Rz
634

Kassai királyi jogakademia
Könyvtára
Szekrény szám XVI
Osztályzat f

Timon

XVI g

265

Rz
943.9
maďarsko (Uhorsko) – geografia
župy
gramma
dej 7 – 18. stor.

Rev. 1988

Okresná ľudov... ...Košice
Prír. č. 12846/964
Sign. Rz – 634
ks 180
Odb. zn. 943.9
K

Rev. 77

# IMAGO ANTIQUÆ HUNGARIÆ,

*REPRÆSENTANS*

TERRAS, ADVENTUS, & RES GESTAS GENTIS HUNNICÆ.

261

Hiſtorico genere ſtrictim perſcripta

à

SAMUELE TIMON,
de Soc. JESU Sacerdote.

RECHTSAKAD. BIBLIOTHEK IN KASCHAU

CASSOVIÆ, typis Academicis Soc. JESU,
per Joan. Henricum Frauenheim, A. 1733.

# APPROBATIO.

EGo infrà ſcriptus per Provinciam Auſtriæ Societatis JESU Præpoſitus Provincialis, poteſtate mihi facta ab A. R. P. noſtro FRANCISCO RETZ, Præpoſito Generali, facultatem concedo, ut *IMAGO ANTIQUÆ HUNGARIÆ* à *SAMUELE TIMON*, ejuſdem Societatis Sacerdote concinnata, & à memoratæ Societatis Reviſoribus lecta, & approbata, typis mandetur. Quem in finem, vigorem ſuum habeat jus Cæſarei privilegii, quo Typographi omnes, & Bibliopolæ prohibentur; nè ullos libros, à quopiam è Societate JESU conſcriptos, imprimant, recudant, aut alibi impreſſos vænum exponant intra S. R. Imperii, Regnorúmq; , ac Dominiorum Suæ Cæſareæ Majeſtatis Hæreditariorum fines abſq; Superiorum prædictæ Societatis permiſſione. In quorum fidem has literas manu mea ſubſcriptas, & conſveto Officii Sigillo munitas dedi. Viennæ 22. Octobris, 1733.

(L.S.) *Franciſcus Molindes.*

# *Nobili, & ornatiſſimo viro,* *DOMINO*

# FRANCISCO SIBRIK,

## Regii *Dicaſterii* Eperjeſſienſis Notario.

*CUm de hoc libro dicando cogitarem,* TU *occurrebas eo dignus munere: cum Muſis enim* TIBI *commercium, îmò hoſpitium perpes eſt. Cælibem vitam agis, libri* TIBI *liberis potiores ſunt. In libros peculium laudabiliter profundis; undiq; conquiſitos ſtudioſè diligentérq; evolvis, nulla lectione explebilis. Adeò capax* TIBI *ingenium, & ſcientiarum avidum! Jámq; ita plenus iis animus, ut in congreſſibus, & diſceptationibus ſatisfacias omnibus. Quot effata Poëtarum, oratorum, ſapientum memoriâ comprehendis? eáq; in loco promis. Omnis idcirco doctus à te doctior diſcedit. Atq; hæc tanta cognitio rerum non inflat animum* TUUM, *quin mirificè moderatur. Nimirum oſtendis te multa ſcire, ſed*

*eâ modeſtiâ es, ut vel umbram jactantiæ evites. In munere* TUO *acquieſcis plenè, dignus amplioribus. Emines in foro; cauſis tamen forenſibus non totum te tradis, ceteras bonas artes peræquè æſtimans. Rarus profectò diſciplinarum alumnus.* Quocirca non potuit TIBI *non deberi liber hic vir eruditiſſime. At invito defertur; virtutis & hoc proprium eſt, nolle ſciri, benignè tamen facere.* Quòd in editionem *hanc ſumptum feceris, magnopere* TIBI *debent eruditi; juventus verò noſtra, libris deſtituta, plurimùm. Cùm verò tantus in legendo ſis, multúſq; in cognoſcenda penitus antiquitate, dubium eſt, an aliquid novi in narrationibus reperturus ſis. Erit, ut ſpero, pro novitate contextus rerum adhuc* TIBI *inviſus. Ità non ſemper opera veteramentariorum diſplicent, ut quandoq; expetantur. Facies rerum nova venuſtatem ſæpe, & gratiam conciliat. Ages igitur, quod te dignum eſt, ſicuti adhuc egiſti, ſi librum hunc ceteris* TUIS *adjunxeris. Vale literatorum decus. Cupiebat* C A S S O V I Æ *Idibus Septembris, anno à nato Servatore* CIϽIϽCCXXXIII.

Devinctus TIBI

SAMUEL TIMON S. J.

# PRÆFATIO.

AMplius trienniũ eſt, quòd hortantibus amicis res Pannonicas, iiſque finitimas in unum colligere, & in commentarium referre cœpi. Opuſculum conabar, volumen penè exiit. Videtur utrumque eſſe: volumen multitudine rerum, opuſculum mole. Non imparatum, imò meditatum me ad ſcribendum acceſſiſſe arbitrabar, in maximas tamen difficultates incurri. Cúmque rem in vado autumabam eſſe, ea in ſalebra hæſit. Utcunque erat, opus deinde per intervalla dilatavi, Deóq; auſpice abſolvi. Ea ſpes animum ſubiit, fore, ut doctis Hungaris, quorum gratiâ præcipuè illud confeci, minimè ſit injucundum. Quorſum verò hic labor? Nonne Antonius Bonfinus res Ungaricas jam inde ab initio juſtis voluminibus eſt perſecutus? Nonne Franciſcus Otrocotſius *Origines* nationis ſatis doctè, &

 peritè

perìtè retexuit? Melchior verò Inchoffer in *Annalibus Eccleſiaſticis Regni Ungariæ* profanis ſociavit ſacra. Mitto minutos ſcriptores, qui illorum veſtigiis inſiſtunt. Habent itaque Ungari libros, in quibus evolvendis tempus utiliter ponant, geſta majorum ſuorum cognoſcant atque percipiant. Nec me præterit, in Bonfinio multas fuiſſe, ut in homine penè Romano literas, in Inchoffero præclaram eruditionẽ, in Otrocotſio judicium acre, & inveſtigationem rerum occultiſſimarum admirabilem. Unum ferè in iis deſideratur, quòd non pauca ad memoriam inſignia ſilentio tranſierint; quanquam non animus illis, ſed facultas defuit. Multi quippe libri, cùm ſua proderent, nondum emanaverant; qui tamen magno uſui eiſdem fuiſſent. Nullo non anno exeunt volumina, quæ obſtruſas res patefaciunt. Quamobrem luminibus prædictorum ſcriptorum obſtruere nolo, imò ajo, magnopere me illis debere. Nihil refello, nihil ad caſtigationem voco, quod in commentariis eorum temporibus, & perſonis conſentaneum eſt. Mihi maximè propoſitum fuit, diſperſa cogere, obſcura illuſtrare. Quare non tam hiſtoricum, quàm inveſtigatorem antiqui-

tatis

tatis me profiteor; nec diffiteor, plura me è tenebris operosè eruiſſe. Quò commodis eorum, qui antiquos auctores legunt, conſulerem, non regiones modò, quas quondam Hunni tenuerunt, ſummatim deſcripſi, ſed oppidorum antiquorum poſitiones, quantum exiſtimare potui, indicavi. Tres adventus Hunnicæ nationis ità demonſtrare conatus ſum, nemo ut quenquam illorum in dubium vocare poſſit, niſi omnem Abarorum memoriam delere velit, aut obſtinatè negare, eos Hunnici generis fuiſſe. Hujus gentis Principes, qui Chagani nuncupabantur, plures fuiſſe, quantum licuit, oſtendi. Qui verò ante me geſta eorum commemorârunt, nulla perſonarum diſtinctione uſi ſunt, quod haud modicas narrationibus eorum offudit tenebras. Nec vicinarum nationum res ſilentio tranſii, propter eam, quam cum Hunnicis habent colligationem. Breviter pleraque omnia perſtrinxi, nam diffusè res narrandi mihi, utpote pluribus occupationibus alligato, ocium non fuit. Viam tamen monſtravi illis, qui uberiùs atq; copioſiùs eas aliquando expoſituri ſunt, aut politè contracturi. Hoc erudito ſeculo cunctæ nationes majorum ſuorum ortus,

geſta,

geſta, factáq; egregia in veſtigant atque illuſtrant, Ungaros non decet eſſe in noviſſimis. Oratio non æqualiter profluit. Multa enim diſputanda, excutiendáque; multa concilianda, & refutanda fuerunt; quæ omnia diſſerendi genera alium atque alium characterem poſcunt. Quamvis veritati ſtuduerim, non dico tamen, me oracula canere ac familiam ducere: cuique integrum erit, certiora ſupponere. In deſignatione añorum plerumque ſecutus ſum Baronium & Spondanum. Hanc rationem ſi quis negat eſſe perfectam, luctetur cum magnis illis ſcriptoribus, licebit. Sæpius auctoritate Spondani, tanquam inventoris, quàm Baronii, nitebar, quia illius *Epitome* expeditior ſub manu erat.

# INDEX CAPITUM.

## LIBER PRIMUS.

## DE PANNONIA
## Et conterminis ei Regionibus.

CAPUT I.

*ETymologia Pannoniæ inquiritur, & affertur deſcriptio ejus ex Plinii Secundi* Naturalis Hiſtoriæ Lib. III. Cap. XXV.

CAPUT II.

De *Pannoniæ oppidis ex Claudii Ptolemæi* Narrationis geographicæ Lib. II. Cap. XV. & XVI. *Tabula Europæ V. déq; recentioribus ſcriptoribus, qui hoc ſtudium coluerunt.*

CAPUT III.

P. *Martini Sentivanii nomenclatio quorundam Pannoniæ, Jazygum terræ, & Daciæ locorum, fluminum, & lacuum,* Diſſertatione Paralipomenica Partis primæ, Decadis tertiæ variarum ſcientiarum miſcellaneorum Catalogo X.

CAPUT IIII.
*Quorundam Pannoniæ oppidorum inveſtigatio de Commentariolo Gregorii Hidii depromitur cum obſervationibus.*
CAPUT V.
*Geographia Pannoniæ ex Deſcriptione Stephani Moronis S. J. cum brevi expoſitione.*
CAPUT VI.
*Obſervationes ejuſdem argumenti, & ſpeciatim de Tauruno.*
CAPUT VII.
*Senſus auctoris de oppidis Pannoniæ, quorum meminit Ptolemæus.*
CAPUT VIII.
*De poſterioribus Pannoniæ Diviſionibus, inſtitutis Pannoniorum, & Romanorum, in eorum terram ingreſſione.*
CAPUT IX.
*De Imperatoribus Romanis in Pannonia ortis.*
CAPUT X.
*De religione in Pannonia, id eſt, de epiſcopatibus, Ariana contagione, & ſanctis viris.*
CAPUT XI.
*De Mœſia, ſive Myſia, finitima Pannoniæ.*
CAPUT XII.
*De Illyrico.*
CAPUT XIII.
*De regione Jazygum Metanaſtarum.*

CA-

CAPUT XIV.
*De Marcomanis, Quadis, Sarmatis.*
CAPUT XV.
*De Dacia.*
CAPUT XVI.
*De Dacia Romana, & ſacra.*

# LIBER II.
# De Hunnis, & Hunnoavaribus.

CAPUT I.
*De Gothis inter ſe armis decertantibus, multis Chriſtianæ militiæ adſcriptis, Hunnorúmque adventu.*
CAPUT II.
*De regione, unde prodierunt Hunni.*
CAPUT III.
*De geſtis Gothorum ſedes quærentium, de D. Urſula M. déque Hunnis aliquibus factis Chriſtianis.*
CAPUT IIII.
*De geſtis Hunnorum uſque ad regnum Attilæ.*
CAPUT V.
*De geſtis Attilæ.*
CAPUT VI.
*De geſtis Hunnorum à morte Attilæ.*

CAPUT VII.

*De Avarum ſive Abarorum in Daciam adventu.*

CAPUT VIII.

*De geſtis Hunnoavarum Imperatoribus Juſtino, & Tiberio Conſtantino, id eſt, ab anno Chriſti nati* IↃLXV. *ad annum* IↃLXXXIII.

CAPUT IX.

*De geſtis Hunnoavarum Principibus Mauritio, & Phoca.*

CAPUT X.

*De geſtis Hunnoavarum ætate Heraclii Cæſaris.*

CAPUT XI.

*De geſtis Hunnorum, & Sclavorum uſque ad regnum Caroli Magni.*

CAPUT XII.

*De regionibus Hunnorum, & commentitio Ungarorum adventu.*

CAPUT XIII.

*De bello Caroli M. Francorum R. Hunnoavaribus exitiali.*

CAPUT XIIII.

*Hunnoavares perdomiti adjunguntur Chriſtianis, Sclavi item Marcomanorum, & Quadorum progenies, Epiſcopi utrique genti dati.*

CAPUT XV.

*De rebus Sclavorum, & Hunnorum, ac aliis ſe offerentibus ab anno Chriſti nati* IↃCCCXXVIII. *ad* IↃCCCLXVI.

CA-

CAPUT XVI.

*De SS. Cyrillo, & Methodio Sclavorum Apoſtolis.*

CAPUT XVII.

*De geſtis Sventopulchri, qui aliis Zventibaldus, aliis Svatoplugus vel Svatoplucus, aliis aliter dicitur.*

# LIBER III.

## De tertio motu Hunnorum, ſive de Ungaris.

CAPUT I.

*De adventu Ungarorum auctorum ſententiæ expenduntur.*

CAPUT II.

*De geſtis Ungarorum uſque ad finem Arnulphi R.*

CAPUT III.

*De geſtis Ungarorum ab anno* IↃCCCC. *ad* IↃCCCCXIIII. *& peculiariter de ſubacta ab iis Pannonia, terríſq; Jazygum Metanaſtarum & Quadorum.*

CAPUT IIII.

*De cladibus per Ungaros exteris gentibus illatis, & viciſſim acceptis ab anno* IↃCCCCXV *ad* IↃCCCCLIIII.

CAPUT V.

*De horribili clade Ungarorum patrata anno* IↃCCCCLV.

CAPUT VI.

*Summatim exponuntur, quæ apud Ungaros, & Sclavos conſequentibus annis acta ſunt.*

CAPUT VII.

*De rebus Gejſæ ſive Gajſæ Ducis, & incremento Chriſtianæ religionis apud Ungaros.*

CAPUT VIII.

*De ceteris rebus Ungaricis uſque ad annum* CIↃ.

# LIBER I.
# DE PANNONIA,
## *ET*
## Conterminis ei Regionibus.
## *CAPUT I.*

### *Etymologia Pannoniæ inquiritur, & affertur deſcriptio ejus ex Plinii Secundi Naturalis Hiſtoriæ Lib. III. Cap. XXV.*

VEtera interpolare, ac emortua ad vitam revocare, eáque denuo fingere, valde quàm arduũ eſt. Scriptores Græci Pañoniã vocaverunt Pæoniam, Pannonios Pæones. Accedit illis ex Latinis Ovidius. Pæonia altera fuit in Macedonia maritima

*Pannonia Græcis Pæonia. Pæonia ad montem Rhodopen.*

tima ad amnem Axium, &, ut Dion Caſſius ſcribit, ad montem Rhodopen. Notum teſtatúmque eſt, hanc regionem etymon habuiſſe à Pæone, Endymionis filio; unde verò Pæonia, quæ propriè Pannonia dicitur, nomen duxerit, obſcurius eſt. Dion & Xilander nugari videntur, dum ajunt, Pannoniis nomen inditum fuiſſe à pannis, quaſi pannoſi fuiſſent, vel centonibus ac veſtimentis ex variis pannis conſutis uſi fuiſſent. Ipſi namque eo ſe nomine appellaverint, cùm adhuc nulla cum Romanis conſvetudine conjungerentur, prorsúsque ignorarent, quid verbum hoc pannus in Romana lingva valeret? Quibusdam placere animadverto, Pannonios nominatos fuiſſe ex Pane ficto illo paſtorum Deo propterea, quòd eum præcipuè coluiſſent. Sed reclamat natio, in cujus lingva vocabulum *Pan* dominum ſignificat. Sunt qui nominis illius originem ad Pannonem regem referant, quia memoriâ ſic eſſet proditum. Verùm etiam

*Pannoniæ etymon unde? An à Pannis.*

*An à Pane? An à Pano, id eſt, domino. An à Pannone rege?*

am rex, ſi quisquam eo nomine fuit, à *Pano* dictus fuerit. Poſterioribus quoque ſeculis Sclavonicarum provinciarum præfecti mutatâ primâ litera *Bani* ſunt nuncupati. Si illi, qui Pannoniam florentem non tantùm animo luſtrare, ſed circumſpectare poterant, uberius res perſcripſiſſent, expeditior via foret ad omnia explananda. Conandum tamen eſt, ut ex illorum lineamentis, quoad ejus fieri poteſt, veritas eruatur. Plinius ſecundus orbem terræ, cujus notitiam habuit, mirâ brevitate percurrens tractum illum, in quo vetus Sabaria erat, nec Norico, nec Pannoniæ attribuit. Verba ejus ſunt: *Noricis junguntur lacus Peiſo, deſerta Boiorum: jam tamen colonia Divi Claudii Sabaria, & oppido Scarabantia Julia habitantur.* Quæ tamen loca ceteri Scriptores Pannoniæ ſuperiori, vel Valeriæ provinciæ adſcripſerunt. Inde ipſam Pannoniam pari brevitate attingit, neque eam in duas tribuit partes, ut fecit Ptolemæus. Ex laconi-

*An à Panone rege?*

*Peiſo lacus. Boiorum deſerta.*

 ni-

niſmo tamen ejus aliquid lucis rebus obſcuris accedet. Tradit itaque geminas in Pannonia fuiſſe colonias, Æmonam & Siſciam. Fuerunt autem hujusmodi coloniæ civitates ſummè liberæ, qualis erat Romana, & plerunq; ab hac originem ducebant. Aliæ deinde erant coloniæ Latinæ, aliæ civium Romanorum; hæ ita dicebantur; quia juris civitatis Romanæ obtinerent, illæ verò, quia jus Latii, quod minus erat, haberent. Ubi ſita fuerit Æmona, alio loco inquirendum erit; Siſciæ verò locum ipſe Plinius commonſtrabit. Amnes nobiliores Savum, & Dravum, de quibus commemorat, Pannoniorum ditionis fuiſſe, notum eſt literatis; nec minùs incertum, finem Pannoniæ à ſeptentrione, & exortu ſolis fuiſſe Danubium. Quomodonam Plinius quosdam alios attingat fluvios, ex ipſius loco cognoſcere licet, unde & Siſciæ, & Sirmii poſitus indicabitur. *Præterea*, inquit ille, *amnes memorandi, Calapis in Saum influens juxta Siſci-*

*Coloniæ Romanorum ætate Plinii in Pannonia duæ.*

*Fluvii Pannoniæ ex Plinio.*

*Calapis aliis Colapis fluvius.*

*Siſciam gemino alveo inſulam ibi efficiens, quæ Segeſtica appellatur. Alter amnis Bacuntius in Saum oppido Sirmio influit: ubi Civitas Sirmienſium, & Amantinorum. Taurunum, ubi Danubio miſcetur Saus. Supra influunt Valdanus, Urpanus, & ipſi non ignobiles.* Expendenda hìc ſe ſe offerunt plura. Quamvis hodie Culpa fluvius idem eſſe putetur, qui Plinio Calapis, ab nullo tamen, qui geographias recèns ediderunt, inſula ejus fluvii, gemino alveo Savo illabentis notatur. Cùm autem dicit auctor, *alterum amnem Bacuntium in Saum oppido Sirmio influere*, ſignificat, illum medium oppidum interfluere, vel potiùs interfluxiſſe, pontéq; junctum fuiſſe, qui Græcis Artemis dicebatur: ex eóque corpus D. Irænei M. & Antiſtitis Sirmienſis, capite plexi in Saum abjectum fuiſſe, tradunt Henſchenius & Papebrochius. Cùm verò ſubjungit Plinius, *ubi civitas Sirmienſium & Amantinorum*, docet, duos populos jure ſociatos Sirmii domicilium habuiſſe. Joannes

*Siſcia apud ejus oſtiū.*

*Valdanus & Urpanus amnes.*

*Segeſtica inſula.*

*Sirmii ſitus.*

*Sirmienſium & Amantinorum una civitas.*

annes Maginus tamen in Tabula *Geographica* Ungariæ diſtingvit Sirmium & Amantinam, locátque hanc ſupra Murſam. Verùm ſi ſejunctas habuiſſent ſedes Sirmienſes, & Amantini, diſcreviſſet eos auctor, & civitates dixiſſet. De Tauruno, déque fluminibus Valdano, & Urpano aliàs. Mitto nomina gentium Pannonicarum, quæ percenſet Plinius. Quid enim juvat nôſſe in fronte montis Claudii habitâſſe Scordiſcos, in tergo Tauriſcos, quando vix conjecturâ conſequi poſſumus, quinam illi fuerint? Multi tamen perſvaſum habent, Tauriſcos fuiſſe Styros. At hodie populi hi à monte Claudio, qui Ungaris Monoslo, Sclavis accolis Moslavina appellatur, procul agunt. Rectè verò Plinius glandiferam appellat Pannoniam propter vaſtas glandarias ſilvas, maximè Baconiam, ubi peculiare genus ſuum.

*Claudius mons.*

*Pannonia Glandifera.*

CA-

# CAPUT II.

## *De Pannoniæ oppidis ex Claudii Ptolemæi* narrationis Geographicæ Lib. II. Cap. XV. & XVI. Tabula Europæ V. *déq; recentioribus Scriptoribus, qui hanc artem coluerunt.*

*Pannoniæ deſcriptio ex Claudio Ptolemao.*

PTolemæus partitur Pannoniam in ſuperiorem, & inferiorem: alii, quod idem eſt, in occidentalem, vel primam, ac in orientalem, vel ſecundam partiti ſunt. Inferior proconſularis erat. Superiorem circumſcribit Ptolemæus ab occaſu ſolis monte, quem Cetium vocat, à Danubio uſque ad Savum protento, partéque montis Caruancæ; à meridie parte Iſtriæ atque Illyridis per Albanum montem uſque ad Bebia juga, ubi fines inferioris Pannoniæ: à ſeptentrione fronte Cetii montis, Danubióque uſque ad oſtium Narabonis: ab ortu ſolis denique Pannonia inferiore. Hanc porrò finiri ait, ab occaſu ſuperiore Pannonia, oſtióq; modò dicto Narabonis; à meridie

*Pannonia partitio, & finis ex Ptolemao.*

parte

parte Illyridis, à Bebiis videlicet montibus uſque ad flexum Danubii, infra quem id flumen Savum recipit: à ſeptentrione verò, & oriente Danubio, ab oſtio nimirum Narabonis uſque ad Sai oſtium. Fugit Ptolemæum, Pañoniam ſuperiorem ab Auſtro terminatam quoque fuiſſe Italiâ. Narabo amnis poſterioribus ſcriptoribus dictus eſt Arabo, Saus pluribus Savus. Albanum ſive Albium montem hodie nonnulli cenſent, eſſe montem Morlachiæ, Bebios verò Marinaricos. At propius fidem eſt, montes illos non longè remotos eſſe à Savo: exiguis enim finibus trans id flumen continebatur Pannonia, neque protendebatur ad mare Adriaticum. Exiſtimo proinde Albanum montem eſſe in Carniolia, Bebios ad Savum in Croatia. Caruanca autem mons eſt Iſtriæ, vicinus quondam Æmonæ. Maximè ad ſeptentrionem docet auctor, ſpectare Pannoniam, quà rigatur altero amne per utramque Pannoniam decurrente, nimirum

*Albanus, & Bebii montes ubi?*

rum Dravo. Deſcribit autem hic auctor flumina ab oſtiis procedendo fontes versùs. Urbes ſuperioris Pannoniæ Danubio appoſitas nominat, *Juliobonam*, *Carnum*, *Flexum*, in qua ſtativa fuerunt legionis quartæ decimæ Germanicæ; dein *Chertobalum*, & *Bregetium*: remotas à flumine notat, *Salam*, *Pœtovium*, *Savariam*, *Rhiſpiam*, *Vinundriam*, *Bononiam*, *Audantonium*, *Novidunum*, *Sacarbantiam*, *Muroelam*, *Lentudum*, *Carrodunum*, *Siſciam*, *Olimacum*, *Valinam*, *Bolentium*, *Sorogam*, *Siſopam*, *Viſontium*, *Prætorium*, *Magnianam*, ac finitimam Italiæ, *ſub Norico Æmonam*. Pannoniæ verò inferioris Danubio proxima enumerat oppida, *Curtam*, *Salvam*, *Carpim*, *Aquicum*, *Salinum*, *Luſſonium*, *Lugionum*, *Theutoburgium*, *Cornacum*, *Acumincum*, ( ubi legio quædam conſiſtebat: ) *Rittium*, *Taurunum* aliàs *Taururum* per errorem: in cetera regione, *Berbim*, *Serbinum*, *Ivolum*, *Certiſſam*, *Murſellam*, *Bibalim*, *Marſoniam*, *Vacontium*, *Murſiam Coloniam*, *Sallim*, *Baſſianam*, *Tarſium*,

*Pannoniæ Superioris urbes ex Ptolemæo.*

*um, Sirmium.* Quibus verò in locis ea oppida ſteterint, cognitu perquam difficile eſt. Nulla indagatio veri inutilis ac ſupervacanea eſt, ut vel animis proponantur. Quamvis enim Ptolemæus poſitiones cœli, unde diſtantiæ locorum percipi poſſent, ſignaverit, tamen propter impeditiſſimum argumentum, & rerum magnitudinem quandoque lapſus eſt. Longè enim aliter recentiores *Geographi* ſignant regiones cœli. Ex præceptionibus atque apparatu Ptolemæi Joannes Antonius Maginus, *geographus* non vulgaris, confecit quidem Tabulam Pannoniæ, ſicut & ceterarum terrarum, pluraque loca ab eo recenſita ordine expoſuit anno CIↃIↃXCIII. ſed ipſius quoque opus ob eaſdem cauſas vitiis non caret. Danubii enim flexus, & alveos apud Curtam & Carpim, eâ formâ figuravit, quâ nunquam ferebatur id flumen. Sic tamen ferè formare eos debuit ſequendo Ptolemæum. Ex Ungaris tres recentiores, eóſque de Societate JEſu Sacer-

*Joãnis Magini Patavini geographi opus, recuſum Coloniæ 1597.*

Sacerdotes nonnihil in hoc argumento elaborâſſe reperio. Martinus Sentivanus (*Szentivány*) propè acta jam ætate nomina tantùm locorum protulit. Alii duo plus operæ huic generi ſcribendi tribuerunt, qui quidem ùt robur ætatis attigerunt, vitam poſuerunt; quia tamen non cani, non rugæ ſolæ auctoritatem afferunt, in hac paucitate ſcriptorum memoriâ digni ſunt. Ubi ad veritatem dicunt, commendatione ſua non privantur; ubi verò ab ea deflectunt (quantum obſcuriſſima hæc materia patitur) corriguntur.

# CAPUT III.

## *P. Martini Sentivanii nomenclatio quorundam Pannoniæ, Jazygum terræ, & Daciæ locorum, fluminum, & lacuum,* Diſſertatione Paralipomenica Partis primæ, Decadis tertiæ curioſorum, & ſelectiorum variarum ſcientiarum miſcellaneorum Catalogo X.

 Hic

HIc vir, libris editis omnibus doctis notus, nova nomina antiquis præpoſuit; at ex uſu fuerit, recentia veteribus ſubjungere ſervato ejus ordine, miſsisque iis, quorum Strabo, Ptolemæus, & Itinerarium Antonini nusquam meminêre. Sic igitur progreditur. *Salinum* & Adonium, locus infra Budam. *Apulum*, Alba Julia, urbs Tranſſilvaniæ. *Vallis Cariniana*, Babolcia. *Volcææ lacus*, Baton. *Uſcenum* Barſchum ad Granum fluvium. *Antianæ*, oppidum inferioris Pannoniæ ad Danubium, ubi Scharvizium fluvium accipit. *Curta*, oppidum inferioris Pannoniæ. *Bononia*, Bonmonoſtra, olim Pannoniæ urbs, nunc pagus ad Danubium inter Eſſecum & Belgradum. *Bacuntius*, Boſveta fluvius inferioris Pannoniæ. *Prætoria Auguſta*, Corona urbs Tranſſilvaniæ. *Aquincum*, Buda, *Napuca*, caſtrum Tranſſilvaniæ. *Patruiſſa*, Claudiopolis. *Comidava*, Deſchum Tranſſilvaniæ, per errorem adſcriptum Sclavoniæ. *Teutoburgum*, pagus

Ungariæ. *Murſa*, Eſſecum. *Peiſo*, lacus Hungariæ (*Fertő*) *Aqua viva*, Teplicia, oppidum Hungariæ in confinio Styriæ. *Ulpia Trajana Zarmigethuſa*, olim urbs, nunc pagus Tansſilvaniæ. *Sargetia*, Iſtrigus fluvius Transſilvaniæ. *Acumincum*, *Ritium*, Salankemenum. *Partiſcum*, Ægopolis (*Kecskemét*) oppidum Hungariæ. *Olimacum*, Lindva inferior. *Berbis*. oppidum Pannoniæ, cujus rudera oſtenduntur ad Dravum amnem. *Motenum*, Moſſonium. *Luſſonium*, Paxum. *Hiulca Palus* inferioris Pannoniæ. *Baſiana*, Poſſega. *Motenum* alterum, Pruccum ad Leitam flumen. *Scarabantia*, *Scabringa* (*Tsepreg*) *Singidava*, Schegeſchvarum in Transſilvania. *Sala*, oppidum Ungariæ. *Siſcia*, Siſſecum caſtrum Sclavoniæ. *Cæſarea*, Tata. *Valcum*, Valcovarum. *Cibalis*, Valpo. *Soroga*, Zagrabia. Ad hunc modum Sentivanius, ratus Valconem, & Valponem diverſa eſſe loca. Apud geographos quosdam Valponem vice Valconis ſcriptum legimus. Convenientia quædam

novorum, & antiquorum vocabulorum non patefacit veritatem. Quare ſi alia ratio non ſuppetit, non continuò dices Siſciam eſſe Siſſecum, Valcum Valconem.

## CAPUT IIII.

### *Quorundam Pañoniæ oppidorum inveſtigatio de Commentariolo Gregorii Hidii S. J. depromitur cum obſervationibus.*

*Hidii opuſculum de Pannonia urbibus.*

NOlo quenquam Hungarorum, qui ante me de hoc argumento ſcripſerunt, præterire. Gregorius Hidius S. J. anno CIƆIƆCCI. compoſuit, & vulgavit libellum de celebrioribus Pannoniæ urbibus magna in vulgus commendatione. Cognitio namq; vel tenuis veritatis, & cumprimis antiquitatis non poteſt non delectare omnem ad intelligendum ortum. Et in magnis abſtrusíſque parva, & pauca aſſequi, laudabile ac prædicabile eſt. Videndum eſt, quî Hidius de urbibus illis ſenſa ſua explicet. Solum *Sirmii* rectè de-

*Sirmium.*

demonſtrat, nempe ſitum fuiſſe in radicibus montis Almi interfluente urbem Bacuntio amne, quem hodie Boſvetam, vel Boſſutam nuncupant. Bene quoq; animadvertit, *Potentianæ* nullum antiquorum ſcriptorum meminiſſe; ſed à recentioribus, iiſque patriis duntaxat in Attilæ geſtis eam nominari. Apud eam tres duces Hunnorum, Belam, Chevam, & Cadicam anno Chriſti CCCLXXIII. cum Materno Præſide Romano, & Detrico Germanorum duce ferro decertâſſe, deſideratis utrinque trecentis quinis ac tricenis millibus cum iisdem domeſticis Hiſtoricis tradit. Opinatur autem urbem eam ibi fuiſſe, ubi hodie eſt pagus Adonius infra Budam ſeptenis milliariis Germanicis. Primam in Potentiana collocatam fuiſſe coloniam Romanam putavit; de qua tacent veteres. Bregetium ubi nam ſtatuat, ùt in re valde ambigua, meritò dubitat. Non audit eos, qui in Jaurini ſolo poſitum fuiſſe arbitrantur, quia hos falſi convincit Antoninus, qui in Itine-

*Potentiana.*

*Bregetium.*

rario ſuo in loco Jaurini apud Arrabonis oſtium deſignat Scaurinũ, quod tranſierit in Jaurinum. Cluverium in ſolo Strigonii fingentem Brægetium prorſus rejicit. Sentit demum ab Lazio, diligentiſſimo illo antiquitatis inveſtigatore, qui Brægetium locat inter Tatam & Comaromium, ubi ruinæ magnæ quondam urbis oſtenduntur. Ceteris urbis ornamentis adjecit victoriam, quam ex Svatoplugo, & Sclavis ſecundo adventu proximè Tatam reportârunt Hunni ducente Arpado. *Carnunto* appellatione Septimii Severi Imperatoris oppido memorabili, locum definit inter Hamburgum & Petronellam, juxta quam adhuc porta urbis. Ac de poſitu quidem hujus conſentiunt inter ſe ſcriptores, uno omnibus refragante Cluverio, qui Hamburgo eam ſociat, nec tamen procul & ipſe à vero recedit. Carnunto quoque Hidius appellationem Coloniæ Romanæ tribuit, cujus rei apud antiquos nullum eſt veſtigium. Rectè autem addit, Plinio

*Carnuntum.*

Car-

Carnuntum Pannonica hiberna dici; unde vaſtam oppidi capacitatem colligas; quia locus erat, in quo hieme Romanus miles ſtationem habebat. Sabariam etiam Savariam dictam fuiſſe ex inſcriptione optimè oſtendit. Quæ autem de tribus fluviis, & ſpeciatim de Savaria urbem alluente affert, cum Ptolemæi aſſertione non conſentiunt. Fluvius enim Sabarienſis in Arrabonem, Savarias autem Ptolemæi in Dravum fertur. *Segeſtam* diligenter quærit, nullam tamen, & nuſquam invenit; utpote quæ nec Strabonis, nec Plinii ætate extiterit: forſitan ab Romanis deleta, quia rebellârat, antea multo labore ſub Imperium Romanum ab Auguſto ſubjuncta. Quia verò ſatis claram ejus deſcriptionem apud Appianum Alexandrinum invenit; fuiſſe nimirum urbem nitidam, & arcem natura, & loco munitam, atque adeò in gerendo contra Dacos bello perutilem vaſtóque flumini adjacentem, ubi plures amnes navigabiles confluunt:

*Sabaria.*

*Segeſta.*

 unt:

unt: exiſtimavit urbem hanc, & arcem ibi extitiſſe, ubi Boſna, & Bisquius in Savum cadunt. Affert tamen & illorum ſententiam, qui Segeſtam à Siſcia non ſeparant, quia prope Siſciam Segeſticam inſulam notat Plinius, procul dubio à Segeſta urbe cognominatam. Et ibi quoq; majores concurrunt fluvii, Colapis, Odra, & Savus. *Murſam* ſive Murſiam collocat ad amnem Dravum, in quo loco hodie validum ſtatutum eſt Eſſecum. Ad hanc urbem anno Chriſti CCCLIII. rectè obſervavit Imperatorem Conſtantium pugnam commiſiſſe cum Magnentio, nam Socrates (*Libr. II. Cap. XXVII.*) Murſam in Gallia perperam indicavit. *Limuſam* de limo appellatam paludibus circumcludit, eámque veteribus dictam fuiſſe Motenum ac Mutenum. Primitus verò Hungaris vocatam fuiſſe Muſam, deinde Muſum, poſtremò Moſonium, ſublatis è Limuſa primis duabus literis. At hæc parum conſentanea ſunt, Limusáque alibi quærenda, & ſtatuenda eſt in

*Murſa.*

*Limuſa.*

loco

loco magis paluſtri. *Teutoburgium* ſive *Teutoburgum* cum Simlero locat infra Eſſecum, ad confluentem Dravi & Danubii, ubi erat Erdedium (Erdőd) caſtrum, antequam Turcæ Hungariam ad exitium vaſtitatémque vocâſſent. *Mogentianam*, alio nomine Magnianam, à Gentio Illyricorum Rege ab Romanis victo conditam, infra Sabariam ad Gemneum amnem ponit. *Ubi* inquit, *ultra Sabariam veſtigia veteris civitatis offendes, ibi Mogentianam ſitam opinâre.* Alios tamen quoſdam infra Danubii, & Vagi confluentem illam reponere, non diffitetur. Verùm de Mogentiana apud antiquos magnum eſt ſilentium. *Salam* vel geminata litera L. *Sallam* cum Lazio opinatur eſſe arcem Salavariam, vel potiùs *Abbatiam* Benedictinam: à qua toti provinciæ Saladienſi nomen inditum fuerit. Salam autem à vocabulo *Zale* profectam eſſe, quod quodam ſermone fluctuationem ſonat, quia ſcilicet urbs Sala paludis Volcææ æſtu quodam, & fluctibus ſtrepebat.

*Teutoburgum.*

*Sala.*

Hæc ille quidem ex ſuo Lazio. Magis crediderim, perſonare illic fluvium Salam, qui magnam regionis partem permeat; de eo tamen apud veteres nihil uſpiam.

*Bononia,* *Bononiæ* ſolùm attribuit in agro Sirmienſi, in quo hodie pagus *Bani Monaſterinm* (*Ban monoſtor*) appellatus, pari ferè intervallo Eſſeco, & Belgrado diſtans. In amore atque deliciis Gratiano Imperatori habitam, altricémque fuiſſe Legionis quintæ Joviæ ex Libro Pannonicarum Præfecturarum docet. *Anamantia* eſt illi Mohatſchium. Situm ejus definit, & Hungaris cum Ludovico Rege cæſis epitaphium dignum ſuo ingenio ſcribit.

# CAPUT V.

*Pannoniæ deſcriptio ex Morone.*

## *Geographia Pannoniæ ex deſcriptione Stephani Moronis S. J. cum brevi expoſitione.*

STephanus Moro, añ. CIↃIↃCCIIII. Menſe Aprili Quinque Eccleſiis cum duobus ſociis Jeſuitis, unóq; ex ordine Eccleſiaſtico Sacer-

cerdote Sclavo ab Raſciis, hominibus Pontificatui Romano inimiciſſimis, crudeliter interfectus eſt. Dico autem Raſcios, non populos illos, qui in Raſcia agitant, ſed eos, qui vel exciſis, vel pulſis poſt cladem Mohatſchienſem Hungaris, Savienſem Ungariam inſederunt. Moro ergo cùm aliis multis, tum præcipuè mathematicis artibus vir eruditus paucis ante necem annis quaſi monumentum ſibi fecit, ſéq; geographiâ Pannoniæ memoriæ commendavit. Antequam eam exponam, ajo, nihil eſſe in humanis non modò perpetuum & ſempiternum, ſed nec ad diuturnitatem ſtabile. Fontes & lacus aliàs exareſcunt atque deficiunt, aliàs naſcuntur atque emanant. Flumina mutant alveos & curſus, præaltas ſubruunt ripas, oppida pagósq; undis ac lapidibus obruunt atq; delent; ut nihil dicam de maribus, quæ continentem hìc dilatant, illic minuunt, alibi urbes & homines hauriunt. Multa oppida corruunt, multis locis labes fit, terræq; deſi-

deſidunt. Gens gentem ſedibus pellit atq; exſcindit. Bellis evertuntur urbes, nec iiſdem locis, ex integro conduntur; quo fit; ut rerum facies valde mutetur, urbes & amnes aliter atq; antea cognominentur, memoriáq; plurimarum rerum funditus tollatur. Nunc ad inſtitutum. Si initium ducatur ab ora Danubii, confinióq; Auſtriæ & Ungariæ, apud Mathematicum illum *Carnunto* ſive Carno reſpondet campus Petronellæ; *Flexo* Poſonium; *Gerulatæ* Rajca; loco dicto ad *Flexum* Ovarinum. *Quadrato* locus inter Ovarinum Jaurinúmque interjacens; ad *Statuas* loco cognominato Sigetũ Jaurinenſe, juxta confluentẽ Danubii, & minoris Arabonis poſitum; inde Arabonæ reſpondet ſuburbium, vel novum oppidũ Jaurinenſe inter confluentẽ majoris & minoris fluvii cognominis ſitum; loco verò ad *Muros* appellato angulus Jaurini editior; Bregetio campus, & ripa Danubii Jaurino ſubjecta. *Azaoni* locus

*Pannoniæ loca Danubio adjuncta.*

cus inter Jaurinum & Comaromium, *Crumerum*, quaſi Comaromio adjacenti loco. Subter, ſed longiùs à Danubio *Florianam*, ſupra Strigonium verò Campaniam ſtatuit. *Acincum* ejus congruit cum Strigonio, ubi ex adverſo inter Granoi, & Ipolis, ac Danubii confluentes Tranſacincum; *Ulciſcia Caſtra* verò congruunt cum Buda Veteri. Ubi paulò magìs diffunditur Tscheppelia, hodie Eugeniana, olim Leuſtachiana inſula, ſignat *Vetuſanam*, tum Carpim, umbilicum inſulæ reſpicientem; cui ad occidentem finitimam notat *Matricam*: dein locum ad *Herculem* æquali ſpatio diſtantem à Matrica, & *Salva*, quæ hodie Tolna eſt; infra quam diviſus Danubius, inſulam efficit, ac infra Mohatſchium (olim Ad *Statuas*) rurſus confluit. Inter Tolnam, & Mohatſchium æquali ferè diſtantia locat *Luſonium* inſulæ, & ripæ fluminis adjacens; inde infra Mohatſchium *Aliſcam*, mox *Altinum* ac Legionem juxta parvam inſulam, & ſupra oiti-

*Fluminum Urpani, Dravi, Valdani oſtia.*

oſtium *Urpani* fluvii, pari intervallo loca inter ſe diſcreta. Ultra oſtium Urpani ad frontem inſulæ ſtatuit *Antianas*, ultra oſtium verò Dravi *Teutoburgum*: trans fluvium Valdanum è regione inſulæ non tamen in ripa indicat *Cornacum*; dehinc in ipſa ripa *Cuccium*, *Cuſum*, *Bononiam*, *Rittium*, *Acimincum*, contra oſtium Tibiſci; trans oſtium verò Savi Taurunum. Savi oram ſic deſcribit: In latere Auſtrali fluminis à Tauruno Siſciam uſq; nullum locum exprimit. In latere verò Aquilonari infra Sirmium *Tarſum*, tum Baſianam, inde *Idiminum*, non appoſitum flumini, pari prope ſpatio à Sirmio, & Aciminco diremptum. Supra Sirmium ad II. M. paſſuum in latere *orientali*, Bacuntii amnis deſignat *Hiſpanetam*, ſuprà alteram Baſianam, in medio earum, Cucciiq; & *Cuſi Murocinctam*: in latere verò occidentali ejuſdem fluvii ſupra Sirmium ad M. paſſus *Budaliam*, ad majorem diſtantiam *Ulmum*. Rurſum ad Savum contra oſtium Boſnæ fluvii collo-

*Pannoniæ oppida Savo, & Bacuntio adjuncta.*

cat

cat *Urbatas*, Servitium, & Variana Caſtra; hæc non longè ab oſtio amnis Unnæ; tum contra Ægetenſium Claſſem *Dautonam*, ad extremum *Celejam*, Norici Urbem. Siſciam ſignat infra confluentem Savi, & Colapis prope Petriniam; in angulo eorundem amnium, ubi hodie indicant Siſſecum, ponit *Ægetenſium Claſſem*, ſuprà *Quadratam*, dein *Noviodunum* in angulo confluentis Savi, & Corcoræ amnium, dein *Prætorium Latovicorum*, quod cum Celeja, & Novioduno triangulum efficiat, poſtremò *Æmonam* in confinio Italiæ. Niſi clara indicia Æmonæ extent Labaci, proxima hæc Italiæ Pannonica urbs affigenda eſt Crainburgo. Videtur enim extremam urbem ſignificare. Labaco autem Prætorium Latovicorum quadrabit. Pergit Moro ad Valdanum fluvium, qui Hungaris *Valco*, Sclavis Raſciis Vuca dicitur, in latere Auſtrali Hiulcæ paludis, ſtatuens *Cibalum*, ſuprà Cirtiſſam, & prope fontem fluvii Leuconum. Palus illa, & ſtagna circa Eſſe-

*Æmona.*

*Hiulca Palus Pannoniæ oppida Valdano amni adjacentia.*

Eſſecum maximā partem memoriâ noſtrâ exaruerunt. Inter *Valdanum* & Dravum, at in ripa hujus exprimit *Murſam* majorem, cujus luculenta extant veſtigia, ſuprà *Murſam* minorem, Ptolemæo Murſellam, hodie Eſſecum: deinde longo ſpatio interjecto non procul à ripa Auſtrali Dravi indicat *Inicerum*, cui in campeſtribus locis reſpondeat *Pecentinum* propiùs Savum ità, ùt cum Servitio, & *Urbatis* reddat triangulum: ſupra *Inicerum* ad M. paſſus notat *Aquas Baliſſas*, paulùm à Dravo recedentes, & magis *Menneianas*, quæ cum *Varicanis Caſtris*, & Servitio triangulum conficiant. Inter Savum, & Dravum eâdem in diſtantia collocat *Pyrros*, aliquantum excedentes confluentem Dravi & Muræ. Suprà in ripa Dravi juxta quandam parvam inſulam ſignat *Aquas Vivas*; ultrà in adverſa ripa ſuo loco Pætovium; in ripa verò Auſtrali Muræ *Curtam*, Aquæ Vivæ finitimam; ſuprà in eadem ripa Alicanum ferè Pætovium ſitu æquans; ſupra

*Pannoniæ oppida Dravo, & Muræ juncta.*

ſupra denique in ripa eadem Muroëllam. In latere ſeptentrionali Muræ, & poſtea Dravi Muram deferentis nullum oppidum ſignificat *Antianas* usq; ; mox Stravianas Cibalo oppoſitas. Inter eas, Antianas, & Soppianas ad fluvium *Urpanum* ſitas, interponit Aureum Montem, qui Sicloschio congruat. Antianas infra oſtium Urpani locatas, & *Manſvatianum Pontem*, qui reſpondere videtur Capoſchvaro, M. paſſibus à Soppianis ſejungit; ſimiliter Vacontium Urpano appoſitum. Tum ſignat Valcum ab eo flumine remotius, & *Cimbrianas* in media Schimigienſi regione locatas, æquali intervallo à Palude Volcea, Dravo & Urpano ſitas. Eſt autem Urpanus amnis, qui in provincia Albenſi appellatur *Pratum Cœni* ( Sár Réte : ) deinde Scharvizius, rectiùs dicendus Limoius. Ad latus orientale hujus fluminis locat *Vallem Carinianam* contra *Luſonium* ad Danubium poſitum : ſubter Salacenas. *Pontem Sociorum*, & Limuſam. Pons Sociorum videtur

*Pannonia loca Urpano fluvio appoſita, & quis ſit ille fluvius?*

C

tur conſentire cum Simonis Turri. (*Simon Tornya*) In vicinia Silacenarum notat *Joviam*, ſuprà Guſtianam. Præterea ad Danubium verſus infra Carpim Matricam, ſupra Salvam *Anamantiam*, ſubter *Intercisſam*, deniq; inter Limuſam, & Aliſcam *Altam Ripam*. Cæſarea apud eum quadrat Albæ Regali; cui finitimi *Laſulones* & remotiores oſones Brægetium verſus: ad occidentem verò versùs *Gorſio*, vel *Hercules*, deinde *Menſtranæ* congruentes *Veſprimio*, poſtremò *Mogentiana* in extremis Paludis *Volceæ*, ad Danubium converſis. Prope Arabonem amnem nullum locum deſignat uſque ad partes Sabarienſes, ultra quas, & Gemmeum, ſive Ginſium rivum locat Prætorium, dein Vinundriam, deniq; Sallas. In adverſo latere ejuſdem fluminis Carrodunum, & Arrabonam è regione Prætorii ſitam. Carrodunum cum Muroëlla, & Alicano refert formam trianguli, Sallæ Alicanum directò ſpectant. Juxta Peiſonem lacum ſtatuit *Mutenum*, ubi hodie

*Peiſo lacus.*

Neſſi-

Neſſiderium (*Neſider Neüſidl.*) Ex adverſo ultra cornu Auſtrale ejuſdem lacûs. Scarabantiam; cui trans amnem Leitam reſpondet Mutenum. In latere verò Leitæ Aquilonari ſiignat Ulmum medium Peiſonem ſpectantem, & Æquinoctium ad Danubium locatum. Suprà *Alam Novam*, ac deniq; *Vindibonam*, Ptolemæo *Juliobonam*, ubi hodie clarior omnibus deſcriptis Vienna. Hactenus Moronis geographia; qua nulla mihi viſa eſt majore induſtria elaborata. Recens Joannis Davidis Colleri in *Deſcriptione orbis antiqui* bona eſt, ſed nihil ad hanc. An autem omnibus numeris abſoluta ſit, mox clareſcet.

*Leita fluvius eiqua adjuncta Pannoniæ loca.*

# CAPUT VI.

## *Obſervationes ejuſdem Argumenti, & ſpeciatim de Tauruno.*

QUædam Moro prætermiſit oppida, quæ enumerat Ptolemæus, ſed in locum eorum multò plura ſuffecit; quæ ex Strabone, Antonini

Itinerario, aliorúmq; libris excerpſerit. Ubi de nominum ſcriptione variant auctores, facilè quisq; prudens animadvertet, unum eundémque locum ſignificari, etſi una litera, vel terminatio mutata ſit. Quamobrem *Tarſum*, & *Tarſium*, *Aciminc*u*m*, & *Acumincum* quin & *Acincum* & Aquicum idem eſt. Nemo autem ſibi perſvadeat, omnia loca, quæ auctores in apertum proferunt, ſummè celebria fuiſſe: nam clariſſima erant totius Pannoniæ oppida, *Siſcia*, *Æmona*, *Sabaria*, *Murſia*, utpote germanæ Coloniæ Romanæ. Progrediente tamen tempore Sirmium ea ſplendore anteceſſit, utpote Cæſarum, & præfectorum prætorio ſedes. Vindibona, Carnuntum, Bregetium, Acincum, Pætovium, Cæſarea, Cibalus, Baſiana, ſecundas tenebant, cetera nitore famáq; inferiora erant. Coloniarum ſola bene exploraſſe atq; expoſuiſſe videtur Moro. Qui Siſciam in Siſſeco aliqua ſui parte ſupereſſe putaverunt cogitationem Plinii non ſatis aſſecuti

*Coloniæ Romanæ in Pannonia.*

*Sirmii eminentia.*

cuti ſunt. Longè enim aliter auctor ille deſignâſſet eam urbem, ſi inter Colapim, & Savum explicata fuiſſet, quemadmodum Siſſecum. Joannes Antonius Maginus exiſtimavit Græcium eſſe Savariam, fortaſſe propterea, quòd fluvius Mura Ptolemæo dicatur, Savarias; ſed refragantur ei clara, & inſignia monumenta, quæ in nova Sabaria extant, ipséq; mons Cecius, ultra quem eſt Græcium. Multi ambigunt de ſolo Brægetii, at niſi vehementer erret Ptolemæus, non relinqvitur ullus dubitationi locus. Siquidem ille inter oppida ſuperioris Pannoniæ Danubio appoſita ultimo loco Brægetium ponit, & oſtio Arrabonis diſterminari ait Pannoniam ſuperiorem ab inferiore: non longè idcirco ab eo oſtio locandum eſſe oppidum illud dilucidè oſtendit. Dormitaverit autem Aventinus, cùm prodidit, teſtimonio Ptolemæi Brægetionem XXX. Millibus paſſuum ab Arabone disjungi. Ex iis, quæ adhuc attuli, apparet, auctores in deſcriptione ex-

*Diſſidium Scriptorum de ſitu Pannoniæ oppidorum.*

extremorum Pannoniæ inferioris Danubio adiacentium oppidorum magis conſentire, quàm in deſignatione oppidorum ſuperiorum. Hæc enim à Ptolemæo iſta ſerie tanguntur: *Curta, Salva; Carpis, Aquicum, Salinum, Luſſonium*: apud Moronem verò, quósq; ipſe ſequitur, talis ordo eorum eſt: *Azao, Crumerum, Floriana, Campania, Acincum, Vetuſanum, Carpis, ad Herculem, Salva, Luſſonium.* Deſignationes hæ nullo pacto componi poſſunt, niſi fortè quis dicat, veteres ſcriptores valde tenuem de quibusdam accepiſſe auditionem, aut cum tempore multiplicata fuiſſe oppida, nomináq; quorundam mutata. *Nihil enim ſemper floret,* inquit Cicero, *ætas ſuccedit ætati*, oppidum oppido variatis appellationibus. Ipſi ſcriptores, qui hæc memoriæ prodidêre, neq; æquales, neq; coætanei fuerunt. Strabo enim Geographiam ſuam ſcripſit Principe Tiberio, Ptolemæus ſuam Principe Antonino Pio; atq; adeò Strabo Ptolemæum præceſſit centum

tum annis, ſic alii alios: intereáq; variæ converſiones, & perturbationes rerum fieri poterant, donec Romani potentiâ ſua tenebant Pannonias. Eadem ſors oppreſſerat ac deleverat ipſam urbem Panno- *Pannoniæ urbs.* niam; de qua Romani ſilent. Solenne enim fuit genti illi, orbis terrarum victrici, urbes aliquas evertere atq; extingvere. Meminit tamen Pannoniæ utcunq; reſtitutæ D. Stephanus Rex, in literis ordinationis *Cœnobii* D. Martini. Qua de cauſa montem illum, in quo poſitæ ſunt ædes Familiæ Benedictinæ, Montem Pannoniæ nuncupamus: alioquin nihil eſſet, quamobrem peculiariter ità appellaretur: cùm in Pannonia ſint alii montes illô nobiliores. Taceo de lapide infra Comaromium ſupra pagum ab *Ephippio* cognominatum (*Nyerges Ujfalu*) ex puteo antiquo anno CIↃIↃCCV. extractum, cùm Racociani Hungari vetus munimentum repararent; in quo inciſa erant hæc verba, CIVITAS PANNONIA. Ea hodie rhedariis

adeò nota eſt, ùt digitis eam monſtrent infra corrivationem aquarum à Tata defluentium, pérq; duos alveos urbis ruinis allabentium, ubi etiamnum duorum templorum parietinæ apparent. Miror autem à Morone Flexum poſitum eſſe trans Danubium, quando Plinius, & Ptolemæus conſentiunt, Pannoniam à ſeptentrione, & ortu ſolis Danubio terminari. Steterit ergo Flexum in latere Danubii Auſtrali ex adverſo Poſonii, ſubverſum bellis, & eluvionibus, quibusdam monumentis Romanis ex ejus ruinis poſtea Poſonium translatis. Turbavit quoque Moro ordinem Rittii & Acimînci. Ptolemæus enim apertè indicat, Rittium viciniùs fuiſſe Savo, quàm Acumincum. Præterea cum pluribus recentioribus putavit, Urpanum fluvium prorumpere ex Volcea Palude; at ea nullum effluvium habet, ut optimè norunt Balatonis accolæ. Palus itaq; illa totam ſe cuniculis condit, multósque eructat rivos, ſtagna, & lacus. Recipit autem

*Flexum ubi?*

*Rittium ubi?*

*Volcea Palus ſive Balaton lacus.*

tem amnem Salam. Quamvis inoleverit opinio, Taurunum illud ipſum oppidum eſſe, quod hodie paſſim Belgradum, appellatur, tamen id valde ambiguum eſt. Plinius Sirmio ſubjungit Taurunum, tanquam locum Pannoniæ extremum, ad oſtium Savi poſitum, ſua ætate memorabilem. Ptolemæus in expoſitione Myſiæ ſuperioris docet, eam regionem finiri oſtio Savi. Quam ob cauſam Jo nnes Maginus Taurunum in ſolo Zemlinii rectè ſignavit. Alter quidem Ptolemæi locus in geographia Illyridis rem dubiam reddere videtur; quo ſcilicet Drinum fluvium, in Scardo monte ortum, aſſerit in Savum influere ab occidentali latere Tauruni; ſed ne ſecum pugnet, dicendum eſt, illum hìc potiùs, quàm in definitione Myſiæ oſcitanter egiſſe. Suffragatur Menander, Græcus ſcriptor (*Lib. II.*) qui (*pag.* CXXVII.) Chagani, hoc eſt, Principis Abarorum, Sirmium oppugnaturi apparatum exponens, notificat, Principē illum magnam

*Belgradum eſt potius Singidunū quàm Taurunum.*

 vim

vim trabium ex ſuperiore Pannonia ſecundo Danubio ad Savum Singidonémq; devexiſſe, atque ad eundem amnem conſidentem de ſtruendo ponte cum Setho, oppidi præfecto, tranſegiſſe. Tauruni poſt ætatem Plinii, & Ptolemæi nemo veterum meminit: erat enim locus ignobilis. Quid multa? illorum ipſorum ſcriptorum, qui Semendriam exiſtimaverunt eſſe ſingidunum, ratio vel conjectura ſtat pro Belgrado. Si enim quidam Auctor Topographiæ magni regni Hungariæ, ex Cellar. idcirco opinatus eſt, nomen Singiduni rectè attribui Semendriæ, quia in colle ſita eſt, prout exigit notio verbi *Dunum*, quod Celtarum, vel Græcorum lingvâ montem, aut collem valet; jam controverſia dijudicata eſt, & viciſſe debeo. Belgradum enim in monte & declivi, Semendria in plano ſolo explicata eſt. *Singiduni nova nomina.* Propter hanc Singidonis, & Pannoniæ propinquitatem Ammianus *Lib. II.* exiſtimavit, Jovianum Imperatorem patre Comite

Var-

Varroniano Singidone in Pannonia natum fuiſſe. De cetero poſterioribus ſeculis oppidum hoc, & arcem Ungari dixerunt Nandorem Albam; ſcriptores ævo Æneæ Sylvii Albam, vel Albam Græcam, addito tempore omnes promiſcuè nationes Belgradum ex Sclavonicis vocabulis, quæ Albam arcem ſignificant, nominare cœperunt. De Segeſta nihil certi ſtatui poteſt. Joañes Maginus in *Geographia Hungariæ* infra confluentem Colapis, & Savi formavit inſulam; in cujus citeriore latere notavit Segeſtam, in ulteriore Siſciam; qua in re adverſatur Plinio, qui prodit, Colapim illabi Savo duplici alveo, & efficere inſulam Segeſticam. Credibile eſt, unam eandémq; urbem modò Segeſtam, modò Siſciam dictam fuiſſe. Tacent enim de Segeſta Plinius, & Ptolemæus. Perquam appoſitè, meo quidem judicio, de binomine Siſcia commentatur Cluverius (*Libr. I. Ital. Cap. XX.*) Cenſet enim Romanos, cùm Pannoniam Savienſem domarent, *Segeſta & Siſcia,*

id op-

id oppidum nomine Segeſtæ, urbis Siculæ, ipſis notiſſimæ appellâſſe; poſtea verò cognita veritate Siſciam vocare perrexiſſe. In hoc oppido cudebant Romani aurum argentúmq;, copiam utriusq; metalli ſuppeditantibus montibus finitimæ Mœſiæ. Hodie uberrimæ Boſnenſes aurariæ ferè tacent.

*Romani nummos Siſciæ percutiebant.*

# CAPUT VII.

## *Senſus auctoris de oppidis Pannoniæ, quorum meminit Ptolemæus.*

EXtinctis Romanis, Hunnisq; penè Pannoniã incolere cœperunt Germani, qui ignari antiquorum Pannonicorum, vel Romanorum nova de ſuo ſermone ejus provinciæ oppidis nomina indiderunt; ex quibus ipſis poſtmodum Hungari paucula retinuerunt. Hinc difficultas in iis diſcernendis. Plures idcirco antiquarum rerum curioſos hoc argumentum fatigavit; neq; quisquam in

eo

eo veritatem ad liquidum exploraverit. Animadverto autem conſentire eruditos, Juliobonam ſive Vindibonam non aliam fuiſſe urbem, niſi illam, quæ hodie Vienna vocatur. Pervideo quoque eos de Carni, vel Carnunti loco parum diſſidere. Stet igitur de his communis receptáq; ſententia. De Flexo jam animum meum aperui. Et dico inſuper, Poſonium opus Germanorum eſſe. Nam etiam à Sclavis veteribus, & perpetuis accolis Presburgum appellatur; quibus tamen Vienna, vocabulo aliquantum ad antiqvum Latinum urbis nomen accedente Videnum dicitur. Chertobalus nulli loco magis convenit, quàm Ovarino ſive Altenburgo. Hoc enim oppidum pervetus, vel arcem fuiſſe tres lingvæ vernaculæ declarant. Brægetium maximè congruit Jaurino: nusquam enim in extremo ſuperioris Pannoniæ ad Danubium locus arci opportunior eſt ac Jaurini. Extitiſſe autem temporibus Romanorum arcem Bregetii, lique-

*Vindibona ſeu Juliobona.*

*Carnuntum.*

*Flexum.*

*Poſonium.*

*Chertobalus.*

quebit. In geographia inferioris Pannoniæ tradit Ptolemæus, juxta Curtam flecti Danubium. Ætate itaq; illius Curta dicta fuerit urbs ampla propinqua Comaromio ad vicum Sunnum (*Szőny*) extenſáq; ferè usque ad veteres, de quibus dixi, ruinas Pannoniæ. Quoniam D. Stephanus Rex, ùt ipſe perhibet, *monaſterium* Ordinis Benedictini in monte *ſupra civitatem Pannoniæ* inſtituit, perſpicuum eſt, oppidum quoq; in ſolo Sunnenſi quondam ſtructum, utpote monti illi directò ſubjectum, aliquando nomen Pannoniæ habuiſſe, partémque ejus urbis fuiſſe. Extare videtur quædam memoria Curtæ in contraria Danubii ripa, ubi in valle quadam ſitum pagum uſq; adhuc eo nomine nuncupant. (*Kurta Kesz.*) Salva Ptolemæi fuerit in territorio Labatlani, vel Almaſchii vici: utrobiq; enim ruinæ apparent. Aquicum ſive Acincum Strigonium eſſe etiam Maginus non obſcurè indicat. Et quamvis Geographus ille à Curta uſq; ad

*Curta.*

*Salva.*

*Aquicum vel Acincum.*

Car-

Carpim Danubii alveum nimium quantum ad ſeptentrionem ducat, ſpectando tamen diſtantias ac diviſiones locorum ſitus Carpis quadrare videtur Divo Andreæ, & Budæ veteri, ſpatióq; iis interjecto, utpote ſolo monumentis Romanis ſuperiori memoria, noſtráq; rudere veteri noto. De ſitu præterea ejus affirmat opinionem ipſius Ptolemæi teſtimonium, dum in geographia regionis Jazygum dicit, apud Carpim flecti Danubium, ſinè dubio propter inſulam, quam infra Budam efficit. Ubi nulla ſunt, fuerúntve antiquitatis vel celebritatis indicia, ibi fruſtra quæſieris oppidorum Romanorum cadavera. Quam ob rem difficile eſt Ptolemæi Salino certum locum aſſignare; quia Tolnam uſque in ripa Danubii nullæ ruinæ Romanis dignæ occurrunt. Standum tamen eſt ſententia Sentivanii opinantis, Salinum eſſe Adonium. Quamvis enim monumenta jam evanuerint, fuerint tamen ævo illorum, qui *Potentia*-

*Carpis.*

nam

nam inibi fuiſſe autumaverunt. Tolnam amplum fuiſſe oppidum, memoriâ proditum eſt. Quà enim hodie medius fertur Danubius, templum ſtetiſſe memorant, quod Curio procurabat. Tolnæ igitur attribuendum eſt vetus quoddam nomen, nullúmq; aptius Luſonio. Mohatſchio deinde Lugionum. Teutoburgum arcem eſſe, quæ poſterioribus temporibus à ſilvis, quibus undique cingebatur, Erdedia dicta eſt, plures cenſuerunt, quibus aſtipulari convenit. Cornacum, Acumincum, vel Acimincum, & Rittium ad tres Danubii flexus ſtatuit Ptolemæus: quorum primum optimè congruere videtur cum Bacova, alterum cum Petrovaradino, tertium cum Salankemeno. Apud hoc antiqua porta, & muri reliquiæ, quo totus mons circumdatus erat. Poſt ætatem Ptolemæi in vicinia Rittii condita erat Bononia, quam novem millibus paſſ. Sirmio diſcretam fuiſſe tradit Marcellinus. De Tauruno jam dictum eſt. Supra Zemunium in ripa Savi

*Luſſonium Lugionum Teutoburgum.*

*Cornacum Acumincum Rittium.*

*Bononia.*

erat

erat Baſſiana, quæ in vicum Metrovicium abiit. *Baſſiana.* Inſignia illa monumenta, quæ ibidem extant, Marſillius perſvaſum habet, Sirmii reliquias eſſe. Tarſium vel Tarſum vicus eſt hodie S. Demetrii. *Tarſium, in quo Galer. Maximianus interiit.* Occidit in eo Galerius Maximianus, Chriſtianorum peſtis anno Chriſti nat. CCCXI. Sequitur Sirmium jam retectum. Sallis Ptolemæi erat oppidum vicinum Baſſianæ inter Savum, & Danubium poſitum, poſtea fortaſſe Idiminum appellatum. *Sallis.* Muſiam Ptolemæi, quam alii Murſiam, & Murſam majorem nuncupaverunt, rectè demonſtrârunt Maginus & Moro; ſed apud hunc Murſella, ſive Murſa minor, ùt aliàs retuli, reſpondet Eſſeco, apud illum Dardæ. *Murſa major, & minor.* Conſentaneum eſt ordini rerum, ut Murſa minor jungatur majori. Bibalim ſive Cibalim Hiulcæ paludi appoſitam fuiſſe, hiſtoricorum ſenſus eſt. *Bibalis ſeu Cibalis.* Serbinum ex collocatione Magini convenit Quinqueecclesiis. Nec dubium eſt, quin locus is antiquitus cultus nitidúsq; fuerit. Carrodunum ipſe *Carrodunum.*

Prolemæus docet eſſe ſolum, in quo conditum fuit Neozrinium ; aut certè eſt Caniſcha, nam non longè ab hac Dravus, & Mura ſive Savarias confluunt, vel ut loquitur auctor, *ſcinditur Darus*. Lindva inferior Lentudum fuerit. Sacarbantiã vel Scarabantiã eſſe Tſchepregum, produnt diligentiſſimi antiquarii Schőnleben, Cellarius, & Scheleſtratius. Et verò congruit Germanicum nomen Scabringa. Ævo Pelagi II. Papæ Virgilium ejus civitatis Epiſcopum concilio cuidã Gradenſi interfuiſſe tradit inſuper Scheleſtratius (*Antiq. Ecc. Tom. II. Diſſert. IV. Cap. IX.*) In Magini geographia Rhiſpia cadere videtur in ſitum Sopronii. Non eſt neganda loco antiquitas, ſed Sempronium quendã fuiſſe ejus conditorẽ, in numerum fabularum reponendum. Nullus enim antiquorum ſcriptorum poſt domitã totam ab Romanis Pannoniam Semproniũ oppidum Pannoniæ indicavit, & Sempronius Tuditanus dudũ deceſſerat. Si quis Novidunum Ptolemæi Marburgũ Styriæ

*Lentudum, Scarabantia.*

*Novidunum.*

riæ dixerit, vix erraverit. Sorogã arbitrantur aliqui eſſe Zagrabiam; quibus non refragor. Nec Varasdino ſua deſunt vetuſtatis inſignia, videtúrq; Prætorium ejus ſolo convenire, Magniana loco cuidam infra confluentem Dravi & Muræ. Hanc Paulus Ritter exiſtimavit eſſe Velicam, fortaſſe ex eo, quòd vocabulum illud Lingvâ Sclavonicâ Magnam ſignificat. Ex tot oppidis tria videntur retinuiſſe priſca nomina, Sabaria, Pætovium, & Sala, vel Salavarum, niſi S. Grittus (*Szent Grott*) id nomen ſibi vendicet. Celiam ſive Celejam Ptolemæus, & plinius Norico adſcripſerunt. His utrumq; explanatis faciliora cognitu erunt omnia, quæ de rebus Pannoniæ ſcriptores commemorant. Cuncta nemo, & penitus perſcrutabitur.

*Soroga.*

*Magniana.*

*Sabaria, Pætovium, Sala.*

# CAPUT VIII.

## *De poſterioribus Pannoniæ Diviſionibus, inſtitutis Pannoniorum, & Romanorum in eorum terram ingreſſione.*

*Pannoniæ diviſio poſterior.*

AUctores ſunt Sextus Rufus, Solinus, Claudianus, non nulliq; alii majoris perſpicuitatis gratiâ, ab Romanis Pannoniæ partem inter Dravum, & Savum poſitam, Dravúmq; & Danubium interjacentem, in eo tractu, in quo eſt Sabaria trifariam diſtributam fuiſſe. Sabarienſem enim cognominaverunt Valeriam; interjectam verò Dravum inter, & Savum Saviam ac Savienſem regionem, hujúſq; partem extremam Danubióq; propiorem Bubaliam.

*Pannonia Illyrico adſcripta.*

Procedente verò tempore, Pannonia Illyrico adjungebatur. Socrates enim anno poſt Chriſti ortum CCCLXXIX. quo Theodoſius à Gratiano Imperatore dictus eſt Auguſtus, vicítq; Gothos, Sirmium Illyrico aſcribit.

*Valentinianus I. quî in Illyrico mortuus?*

Ruffinus verò, de Valentiniano majore bellum Sarmatis parante ſcribens, prodit, eum veniſſe in Illyricum ex partibus Galliæ, repentinóq; morbo oppreſſum exceſſiſſe. Præterea Socrates (*Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Lib. IV. Cap. XXX.*) etiam locum mortis

ejus

ejus declarat, qui fuit in Pannonia Aquilonari. Labaſcente enim Romano Imperio parum de finibus provinciarum laborabatur. Quid verò Pannonii, antequam opes eorum viréſq; carpere cœpiſſent Romani, domi militiæq; egerint, nuſquam traditum eſt. De Pæonia, quo nomine Græci Pannoniam quoq; nuncupant, quædam reperiuntur, ſed hæc Pannoniæ attribui neqveunt. Eo autem tempore, quo in fortunas terrámq; gentis tertiò im̃inebant Romani, quæ ſtudia, qui mores ejus fuerint, C. Vellejus Paterculus (*Hiſtor. Lib. II.*) breviter quidem, ſed ad laudem abundanter, & copiosè exponit, dum dicit, *in omnibus autem Pannoniis non diſciplinæ tantummodo, ſed lingvæ quoq; notitia Romanæ; pleriſq; etiam literarum uſus, & familiaris erat animorum exercitatio.* Hæc experimentis auctor deprehendere potuit, utpote qui confiteatur, ſe miniſtrum eo in bello fuiſſe. Inceperunt autem Romani armis non tam ſubigere, quàm tentare

*Pannoniorum inſtituta.*

*Pannoniam ſubigere cœperunt Romani.*

Pannoniam ante natalem Chriſti Servatoris anno CIX. & LX. Pub. Lucino Conſulis legato ducente exercitum, duobus non amplius oppidis per deditionem occupatis. Carnunto per ſpeciem indulgentiæ potiri volebant. Quibus de rebus clarus eſt locus ille apud Livium: *Eadem æſtate, qua in Theſſalia vicêre Romani, legatus à Conſule in Illyricum opulenta duo oppida coëgit in deditionem vi atq; armis, omniáq; eis conceſſit, ùt opinione clementiæ eos, qui Carnuntem munitam urbem incolebant alliceret.* Poſtquam verò in aliquam Romani ſe intulêre Pannoniam, diuturnis excurſionibus ac præliis ad ſolitudinem redegerunt Valeriam, ùt meminit Plinius deſerta Bojorum attingens. Anno deinde ante ortum Chriſti octavo decimo rurſus belligeratum eſt cum Pannoniis. Maximè Segeſtanorum virtutem verbis extollit Ammianus; triceſimo ſiquidem, quàm obſeſſi fuerunt die, reſpicientes liberos, & conjuges legatos miſerunt de pace. Fortitudinem eorum

*Lib XLIIII. in principio.*

*Iterum impugnant Pannonios captâ Segeſtâ.*

*Segeſtanorum fortitudo.*

eorum ſuſpexit Octavius Auguſtus, urbi ac propugnatoribus pepercit. Pecuniam tamen civitati imperavit, ac ne rebellaret, præſidiũ quinarum ac vicenarum cohortium illi impoſuit, atq;, ùt ego quidem opinor, urbem deinceps quoque Siſciam appellare voluit. Expugnata ea urbe Romani, & Pannonii multos annos interſe colebant, ac in pace erant. Cùm verò Romani adverſus Marobuduum, potentem imperii Marcomanorum Principem, bellum adornarent, Pannonii illo ſe petendos rati, ſocietatem periculi cum Dalmatis coivêre, bellúmque denunciavêre. Romanorum exercitum ducebat Tiberius, Pannoniorum duo Batones, & Pinetes. Fœderatorum res in Dalmatia feliciter ibat. Occupata armis Macedonia, ſocii Romanorum vexati, direptíque. Contrà in pannonia. Romani non modò gradu moverunt hoſtem, ſed prælio fuſum ingenti cæde uſq; ad montem Claudium ſtraverunt. Multis præſidio fuit munitio in eo

*Pannonicũ bellum tertium.*

*Pannonii caſi ad montem Claudium.*

monte ſita. Poſt hæc legionibus in hiberna deductis, Tiberius Siſciam profectus eſt, ubi per hiemem curabat ea, quæ ad bellum proſequendum pertinebant. Anno inſequenti, qui à Chriſti ortu fuerit undecimus, initio veris bellum inſtauratum eſt. Sed Pannoniorum res labaſcere, atque ad interitum ſpectare. Pacem proinde petiverunt. At Romani, majeſtate ſua ac viribus eam inferiorem rati, in armis perſtiterunt. Pleno quidem ore prædicat Paterculus Pannoniorum virtutem, & diſciplinam militarem, ducibúsq; eorum ſum̃am laudem tribuit, ſed quò magis Romanum nomen famámq; ſempiternæ gloriæ atq; immortalitati commendet. Nam Pannonii ne comparandi quidem fuerunt ad Romanos, & numero, & artibus belli præſtantes. Tertia æſtate collatis in Pannonia Savienſi ſignis Pannonii capto Pinete duce inferiores diſceſſerunt. Baton universáq; juventus ſe dedidit, atq; ad pedes Tiberii ſe, haſtáſq; abjecit. Et ita debel-

*Victi extremò ſupplices Tiberio.*

debellatum eſt cum illis populis, agris Valeriæ aliquamdiu vacantibus. Propoſitum quidem erat Paterculo juſtis voluminibus perſcribere bellum Pannonicum, at vix animum ſuum expleverit. Conſonant dictis ejus verſus illi Naſonis:

*Adde triumphatos modò Pœonas: adde quieti*
*Subdita montanæ brachia Dalmatiæ.*

*Libr. II. de Ponto. Eleg. II. ad Meſal.*

Sextus verò Rufus in eo libello, quem ad Valentinianum alterutrum ſcripſit, trecentis poſt annis de edomitis atq; victis Pannoniis hæc ad memoriam propagavit: *Batone Pannoniorum rege ſubacto in ditionem noſtram Pannoniæ venerunt, Amantinis inter Savum, & Dravum proſtratis, regio Savienſis, ac Secundorum loca Pannoniorum obtenta ſunt. Marcomani & Quadi de locis Valeriæ, qui ſunt inter Danubium, & Dravum pulſi ſunt.* Qua ejus oratione patefiunt, atq; illuſtrantur quædam, illúdq; in primis, quod è tractu Sabarienſi à Romanis exacti fuerint Marcomani & Quadi, quos Plinius

*Bato Rex Pannoniorum ſubactus.*

*Marcomani, & Quadi veteres incolæ Pannoniæ Valeriæ.*

 Boios,

Boios; Ptolomæus Boeios nominat. De reliquo Amantini proſtrati ſubinde erecti, ac civitate donati fuerunt. Univerſi verò Pannonii Marco Aurelio Antonino, cognomento Philoſopho, imperatore libertatẽ recuperârunt. Principibus Tiberio, & Claudio Druſo provinciam hanc obtinebant, L. Piſo, vir conſularis, & Publius Attilius Hiſter.

# CAPUT IX.

## *De Imperatoribus Romanis in Pannonia ortis,*

QUem humanarum rerum ſplendor oblectat, cogitatione obſtupeſcat, maximíq; faciat, licebit, Pannoniam veteribus Romanorũ Imperatoribus non modò domicilium præbuiſſe, ſed in lucem editos gremio ſuo excepiſſe. Fuerunt Roma, Mediolanum, & Conſtantinopolis ſedes Imperatorum, fuit etiam Sirmium. Quod gloriæ capiunt aliæ Gentes ex eorum ſedibus,

bus, hoc Pannonii quoque. Memoriæ traditum eſt, Decii Imperat. patriam fuiſſe Bubbalim ſive Cibalim. Fuit is homo ad perdendos Chriſtianos natus. Tenuit Principatum añum unum, menſes tres. Poſt malè pugnatum cum Gothis, in Myſos & Thraces graſſantibus, prælium, palude quadam hauſtus ſangvinarium, & extremum anno poſt Chriſtũ natum CCLIIII. efflavit halitum, nec tam exiguo tempore dignus imperio. Similis illi Aurelianus, in vicinia Sirmii à parentibus tenuis fortunæ procreatus. Hic in uno congreſſu quadraginta adverſarios, in univerſis ad nongentos fertur interfeciſſe. Svevos & Sarmatas quoſdam vicit, Marcomanos Italiâ ejecit. Zenobiam feminam quidem, fortem tamen, & imperatoriam in triumpho duxit. Qui rapuit gallinam eo Principe, rei capitalis reus erat. In deſperatis ac perditis habens Daciam, copias Romanas transportavit in Mœſiam, gemináſq; in ea conſtituit Dacias. Vulgus Servo-

*Q. Decius Traianus Imperator.*

*L. Domitius Aurelianus Imperator.*

vorum reliquit trans Danubium, unde Valachi prognati. Dum ſævit in Chriſtianos, & ipſe cadit anno Chriſti CCLXXV. Occiſo apud Tarſum Panoniæ Floriano, qui Imperium arripuerat, Tacitum excepit Probus, Sirmii patre Maximo tribuno militari natus; non procul ab eadem urbe anno imperii ſexto, qui fuit à natali Chriſti CCLXXXII. cæſus. Cùm enim pacibus perfectis, hoſtibus victis, civibus ſalvis, ne animi militum ſocordiâ torpeſcerent *Hiulcam Paludem* exhaurire, aut in vicinum flumen derivare vellet, ipséque in propinquo in alta quadam turri, ſpeculandi gratiâ conſiſteret, ab impatientibus laboris operis omni ſupplicio interfectus eſt. Per tumultum ad ſummam amplitudinem pervenerat, per tumultum eandem amiſit. Ceterùm milites facti pœnitentes, vel potiùs clientes grandem ei tumulum apud Sirmium excitârunt, cippúmq; ſtatuerunt cum inſcriptione, quæ hujuſmodi erat: *Hic Probus Imperator, & ve-*

*Aurelius Probus Imperator.*

*& verè probus ſitus eſt, victor omnium gentium, Barbarorum, victor etiam tyrannorum.* Memorabilis, quia princeps vites in Pannoniam intulit, iisq; Almum montem conſevit. In hoc opere dicto audientem habuit militem, in exhaurienda palude repugnantem, ac ſævientem. Mediatè imperandum. Hadrianus Probo patre ſuo probior, eodémq; Cæſare in humiliore gradu amplior, inſectationem Chriſtianorum Licinio Imp. exbroprare nihil veritus, ejus juſſu Nicomediæ tanquam defenſor Chriſti ſupplicium dedit. A patruo Domitio, Byzantio Præſule, à quo meliorem vitam acceperat, Argyropoli funeratus. Sic ferè ad VII. Calendas Septembr. Romani faſti. Galerium Maximianum à Sirmio oriundum collegam ſibi aſcivit Diocletianus, malus malum. Ambo una eadémq; die imperium depoſuerunt. Pares ferè ætate, pares vita, pares exitu. Diocletianus veneno, Maximianus laqueo, aut à vermibus abſumptus vitam finivit. Ita ſicco quidem

*S. Hadrianus Probi Imp. filius Martyr.*

*Galerius Maximianus Imper.*

dem, quod raró tyrannis accidit, ſimili tamen cruento fato functi ſunt. Sequitur probior quidem, non tamen probatiſſimus Valentinianus major, ortu Cibalenſis. Ab ſens pronunciatus eſt Princeps in præmium forſitan virtutis, quia Juliano regnante tribunatu ſe abdicare malebat, quàm victimas immolare. A Severa conjuge, ſive incautè, ſive callidè formam Juſtinæ puellæ laudibus ferente adductus, eam ipſi Severæ ſuperduxit, atq; ad tegendam ſtultitiam ſuam legem inſipienter de adjungenda altera conjuge & tulit, & promulgavit. Vitam tamen exigebat ſecundùm Concilii Nicæni placita. Deceſſit morte repentinâ, ut eſt apud Socratem, *in Caſtro Brægetii* ſive in loco ad *Muros* vocato editiore illo Jaurini. Cùm enim Sarmatæ, & Quadi Romanos bello laceſſiviſſent, cujus rei eos ſubinde pœnituiſſet, legatos ad Imperatorem de pace miſerunt. Quos ubi ille malè veſtitos, pannoſósq; intuitus eſt, ſummatésq; Quadorum eſſe

*Flavius Valentinianus I. Imperat.*

eſſe intellexit, indignè ferens à tam contempta, támq; abjecta natione ad bellum provocatos eſſe Romanos; inde magis magísq; efferveſcens ſtomachô atq; iracundiâ, vociferánsq; , ruptâ pectorali venâ ſangvinem, ſpiritúmq; extremum effudit anno CCCLXXV. Non minùs corpori, quàm animæ impotens ira nocet. Ante annos ſeptenos dixerat Auguſtum Gratianum filium ſuum, quem ex Severa ſuſceperat. Ex eo quoque reprehendendus, quia fratrem ſuum Valentem Arianum collegam aſſumpſit, eúmq; partibus orientis præfecit; graſſantem in Catholicos à gubernaculis non dejecit, nec fortaſſe de inſolentia objurgavit. At verò Chriſtus verus DEus non dimiſit impunitam injuriam ſuam. Hic enim Arii coryphæus à Gothis, quibus Thraciam habitandam conceſſerat, dum vim vi repellere conatur, jaculo ictus, in caſa, quam extremi periculi vitandi causâ ſucceſſerat, ſubditis ignibus cum ſociis vivus apud Hadrianopolim V. Idus

*Valens Imperator.*

Idus Augusti exuſtus A.CCCLXXVIII. eundem & mortis, & ſepulchri locum habuit. Gratianus ſuſceptus eſt in lucem Sirmii. Extincto Valente patruo, Epiſcopos ab eo in exilium ejectos, reducendos in ſedes ſuas curavit. Ædes ſacras Damaſo Papæ conſentientibus, ùt prodit Theodoretus, juſſit tradi; ùt verò Socrates, legem ſcripſit, ut Eunomianis, Photinianis, & Manichæis excluſis, ceteri religione inter ſe diſſidentes templa, conventúſq; haberent. Primus fertur titulum Pontificis Maximi, quo antea Imperatores gloriabantur, abjeciſſe. In comitiis conſularibus Sirmii creavit Conſulem Auſonium, præceptorem ſuum. Theodoſium verò collegam cooptavit, eique partium *orientalium* imperium detulit: qui eo ipſo anno, ſcilicet à Chriſto nato CCCLXXIX. Gothos, Mœſorum agros populantes fudit fugavítq;: ipſe bellum geſſit cum Germanis, quo nondum confecto primùm à civitatibus non receptus ludibrio hoſti fuit, deinde

*Gratianus Imperator.*

per

per dolum, pérq; ſpeciem conveniendæ uxoris ab Andragathio, Maximi tyranni excurſore atq; emiſſario circumventus, occiſus eſt Lugduni annos natus ad quaternos & vicenos, anno CCCLXXXIII. Cruentæ manûs veſtigia parietes ejus urbis diu teſtati ſunt. Valentinianus minor, quem Juſtina è Valentiano majore peperit, cognita fratris nece, timore perfuſus tempori potiùs ceſſit, quàm Maximo aſſenſit; deinde, mutato conſilio, Mediolano Theſſalonicã profugit; ubi eum convenit Theodoſius, reprehendítq;, quia matri audiens patriam religionem deſeruiſſet, & labe Ariana ſe ſe inquinâſſet. Cùm verò ſe ad ſanitatem rediturũ promitteret, cauſam ejus ſuſcepit, devictóque & cæſo Maximo altero pòſt anno imperium ei reſtituit non duraturum. Artificio enim Eugenii, & Arbogaſti à cubiculariis, quibus ſalutem vitámq; ſuam crediderat, ſecundùm quietem oppreſſus, & necatus eſt ſexto, quàm regnum recuperâ-

*Valentinianus II. Imperat.*

 perâ-

perârat, anno, qui fuit ab ortu ſervatoris Chriſti CCCXCIII. Mox ſuſpenſus turpior reſte, quàm morte extitit. Quadrimus renunciatus eſt à militibus Imperator. Vixit annos duos & viginti. Atq; hic exitus fuit ultimi Pannonici Cæſaris, & ſemen novi regni olim fundandi. Theodoſius namq; ulciſcens ejus mortem Hunnorum opes adhibuit; quibus tamen nihil profeciſſet, niſi DEum exoraviſſet. Mirum eſt, quî Joann. Aventinus ſcripſerit, Philippum Arabem fuiſſe Pannonium, ortu Arabonenſem, quando hæc inter ſe repugnant. Ut ut erat, hic Imperator ſeu perſonatus, ſeu verus Chriſtianus, ferro Principatum adeptus, ferro itidem & Imperium, & vitam finivit anno à natali Chriſti CCLIII. D. Quirinum, Antiſtitem Laureacenſem, ejus fuiſſe filium, autumat idem ſcriptor. Feracior Principum poſterioribus temporibus Pannonia amiſſa appellatione. Ipſe Cecius mons frontem mihi exporrigere videtur, lætarique; dum

dum quaſi deſpicit Viennam, tot tantorúmq; Imperatorum parentem, educatricem atq; altricem.

# CAPUT X.

## *De religione in Pannonia, id eſt, de epiſcopatibus, Ariana contagione, & ſanctis viris.*

PRomulgata Chriſtiana lege multos in Pannonia Chriſtum coluiſſe, dubitare nefas eſt. Siquidem non pauci vel in una urbe Sirmienſi vitam pro eo profuderunt. Pervolvat Adonis, Galeſinii, Baronii aliorúmque id genus ſcriptorum faſtos, colligátq; illos, cui vacat tempus, libétque. Quorum quidem occaſu magis reſplenduit Sirmium, quàm Imperatorum ortu, aut domicilio. At ubi diſcipuli erant Chriſtiani, etiam præceptores ibi fuiſſe, neceſſe eſt. Decretis Cornelii Papæ anno poſt Chriſtum natum, ùt computat Henricus Spondanus, CCLIV. adſcripti ſunt ſinè nominibus Sir-

*Martyres Sirmii in Pannonia permulti.*

*Epiſcopatus Pannoniæ.*

mii, Cibalis, Carpis, Curtæ, Siſciæ, Brægetionis Epiſcopi: quibus addendi ſunt Antiſtites Murſæ, Petovii, & forſitan Scarabantiæ. De Qvirino Siſcienſium Pontifice in Chronicis Euſebii D. Hieronymus, *Qvirinus Epiſcopus Siſcianus pro Chriſto glorioſè interficitur: nam molâ manuali ad collum ligatâ è ponte præcipitatus in fluvium Sibarim diu ſupernatavit, & cum ſpectantibus collocutus, ne ſuo terrerentur exemplo, vix orans ut mergeretur, obtinuit.* Furebat ea tempeſtate in Chriſtianos Galerius Maximianus. Amnis Sabaris, quo hauſtus eſt Qvirinus, videtur eſſe Ptolemæi Savarias. Victorinum inſignem Chriſti militem, qui anno à natali ejus CCCIII. eodem Maximiano, & Diocletiano bachantibus, mortem oppetiit, aliqui etiam ſagaces hiſtorici retulerunt inter Pictavienſes Galliæ Pontifices; at Petavienſem ſive Petovienſem Antiſtitem eum fuiſſe multi cenſent, planúmq; facit D. Hieronymus in epiſtola LXXV. itémq; in libro de *Scriptoribus Eccleſiaſticis* antiquorum

*S. Qvirinus Martyr Epiſcopus Siſciæ.*

*S. Victorinus Epiſcopus Petovienſis.*

rum exemplorum ; quæ ſecutus eſt Sophronius, ejus libri interpres Græcus. Fuit & Valens quidam Petavionenſis Antiſtes; qui propter perinſignem improbitatem loco deturbatus, hoſtibus civitatem prodidit. Ita homines perditi plus malorum afferre ſolent, quàm ipſi ſubeant. Eum poſtea vagum, & habitu Gothorum ingredientem conventus Aquilejenſis devovit. Sirmium Pannoniæ, & Mœſiæ Metropolis erat. Quinque tantummodo *Archimyſtarum*, qui ei ſacerdotio præfuerunt, extat memoria, ceterorum nomina quoq; oblivio delevit. Irenæus, Eutherius, & Anemius integri ſanctíque erant, Photinus poſt Chriſtianorum memoriam homo turpiſſimus. Ea tempeſtate, quâ orbis terrarum miratus eſt, ſe Arianum eſſe, eadem Arii peſtis pervaſit Pannoniam & Mœſiam. Adverſus quam Sardicæ quoq; in Dardania concilium Pontificum habitum Añ. CCCXLVII. celebre quidem illud, & Nicæno propè par, certè cum eo conſtans.

*Valens Petavienſis nequam Epiſcopus.*

*Sirmienſes Archiepiſcopi.*

Nam ſtatuta eius in perpetuum rata, firmáq; eſſe voluit: multos inſignes Præſules iniquè exilio damnatos, in ſuas ſedes redire juſſit, idipſum pugnante atque enitente Conſtante Auguſto, qui Conſtantio fratri malum minitabatur, niſi D. Athanaſium in antiqvum honoris locum reſtitueret. Adhæc idem concilium cum pluribus duos nominatim Epiſcopos, Valentem & Urſatium, impietatis Arianæ inſignes alumnos, de gradu dejecit. Urſatius erat Singidunenſi, Valens Murſenſi ſacerdotio præditus. Ceteri Pannoniæ Antiſtites adhuc à contagione Ariana integri intactíq; fuêre. Sic enim præfatur ipſum concilium, in epiſtola ad abſentes miſſa, quam profert Theodoretus (*Lib. II. Cap. VIII.*) ſi latinè reddas: *Sancta Synodus Dei gratiâ Sardicæ coacta ex urbe Roma, Hiſpania, Gallia, Pannonia, Myſia, Dacia, Dardania, altera Dacia &c.* Proſcripti autem ſunt Urſatius, & Valens abſentes; qui cum teterrimis ſociis Philippopoli congreſſi, ſanctiſſimos

*Valens & Urſatius Epiſcopi Ariani depoſiti.*

pa-

patres in invidiam adduxerunt, quando errores ſuos nomine decretorum Concilii Sardicenſis texerunt. Ingenioſa eſt in alienam culpam nequitia. Illud autem ad comprehendendum difficile cuiquam videri poſſet, quæ à concilio geminæ ſignificentur Daciæ? Sed expedita eſt enodatio, ſi dicas, vel utramq; fuiſſe ab Aureliano in Mœſia conſtitutam, vel alteram Daciam fuiſſe novam, ſive Mœſiæ partem, in qua delirabat Urſatius, alteram antiquam. Poterat enim etiam in hanc religio Chriſtiana induci. Reverſis ad ſuas ſedes Pontificibus Urſatius, & Valens ad Clementiam Julii Romani Pontificis confugerunt, delictiq; veniam ab eo petiverunt; ſed trienniô pòſt interfecto Conſtante, cùm Imperium ſolus obtinuiſſet Conſtantius, ad ingenium inſaniámq; ; ùt Sulpitius Severus, Socrates aliíq; memorant, redierunt. Mortuo Eutherio Sirmienſium *Archiepiſcopo*, qui Sardicenſi conventui interfuerat, Photinus in minore Galatia

*Daciæ duæ quæ?*

*Urſatius & Valens ad tempus reſipiſcunt.*

*Photinus Sirmienſis Pontifex teterrimus hæreticus.*

tia ortus, homo Græcis & Latinis literis inſtitutus, & admodum eloquens Pontificatum conſecutus, cœpit veſanæ prorſus doctrinæ in libris, & pro concione ſemen ſpargere. Quæ verò illa fuit? Nempe Chriſtum ex matre ſumpſiſſe initium, nec ante eam ulla ſui parte extitiſſe, atq; adeò eſſe tantùm hominem. Sic deſipiebat verus hodiernorum Socinianorum præcurſor ac prodromus, homo extremus, & omnium, qui antea inſanierant, inſaniſſimus. Conſtantius Imperator ex Ægypto reversus, ubi cognovit hominis deliramenta, turbas metuens de exilio reductum Liberium P. Sirmium accerſivit ad conventum Pontificum, anno, ùt contra Socratem, & Sozomenum arguit Spondanus, CCCLVII. At expediviſſet Liberio, ſummo ſacrorum præſidi, diutiùs exulare, quàm claudicare, aut hominibus ſermonem dare. Multa de ejus factis diſſerit idem Spondanus. Caſu verò Oſii Epiſcopi Cordubenſis, viri grandævi, & magni, conventus hic

*Concilium Sirmii, cui intereſt Liberius Papa.*

hic funeſtior erat. Pauculis ejus actis auctoritas omnis, & fides derogata eſt. Photinus, quod laudabiliter factum, ſacerdotio detruſus, ſolúmq; vertere coactus eſt. Formula religionis duplex compoſita: altera quidem Græcè, quam dictavit Marcus Arethuſius, altera Latinè, ab Urſatio, & ſociis conſcripta. Utramq; profert Socrates. Secunda Arium apertè redolebat, prima tectior, ac ferè Catholica erat, ſed ab Urſatio ſuppreſſa. Arimini deinde Patribus exhibita fuit, & cum Stomacho rejecta. Imperator animadvertens non ſatis è ſententia incrementum Arianæ factionis procedere, primùm Mediolani ab oriente, occidentéq;, deinde partim Nicomediæ Bithyniæ, partim Arimini Epiſcopos coire juſſit anno CCCLIX. Pauci, qui Mediolanum ab oriente venerant, damnationem, & expulſionem Athanaſii Alexandriâ urgebant, quibus occidentales præcipuè tres vehementer reclamabant, proptereáq; ab Imperatore in exilium pulſi ſunt.

*Mediolanenſis conventus acta.*

*Ariminenſis conventûs acta.* Ariminum confeſtim advolârunt, Urſatius, Valens, Germanus, Auxentius, Demophilus, & Gajus, præter Auxentium Mediolanenſem Epiſcopum, omnes Pannonii, *Arianorum Epiſcoporũ perfidia.* vel Myſi, Arianæ pravitatis maculis notatiſſimi. Formulam eorum illico repudiavit concilium. Et quia errores deteſtari noluerunt, ſacerdotiis quoq; homines impuriſſimos movit. Illi verò fraudem conceperunt. Simulaverunt enim ſe, in gratiam cum ſanioribus redituros, quod ipſum hi ad Imperatorem perſcripſerunt, traditâ epiſtolâ vicenis, quos è numero ſuo miſerunt, legatis. Verùm factioſi celeritate uſi occupârunt, præſcri- *Conſtantius Imperat. averſus à Catholicis.* ptionem inſtituti ſui Principi exhibuerunt, conciliúmq; criminati ſunt. Conſtantio, qui Arium à prima adoleſcentia macte amabat, conſpectus Arianorum jucundiſſimus fuit, cauſa optatiſſima. Quamobrem Catholicis omnem ad ſe aditum interclusit. Ut verò turpitudinem ſuam obtegeret in reſponſo, ad conventum dato, cauſaba-

ſabatur molem expeditionis adverſus barbaros quosdam ſuſceptæ. At patulum erat hoc fraudis diverticulum. Conciliũ tædiô affectum rurſus per literas eum rogavit, ut priores ſerena fronte legeret, ſententiámq; dicere maturaret, quò ante brumale tempus domos quisque ſuas redire poſſent. At ille in propoſito ſuſceptóq; conſilio perſiſtens, nullum ei reddidit reſponſum. Epiſcopi igitur moræ pertæſi, Arimino diſceſſerunt. Abitum eorum in pejorem partem interpretatus Cæſar, Urſatianis (ſic ad extremum eos, qui ſectam Urſatii ſequebantur, vocat Socrates) cum auctoritate mandat, ut Pontificibus, qui Arimini ipſorum de divinis rebus normam recipere noluerunt, Pontificatus adimant. Illi ad exequenda mandata prompti, illico in Liberium, ſummum ſacrorum præſidẽ, irruerunt, dignitatémq; capitis Eccleſiæ deformaverunt, ſublecto in ejus locum vel invito Felice *diacono*. Nihil eſt, quod tam impudentes, ferocésq; faciat,

ciat, quàm impietas & ſcelus. Verùm quia propterea Romanus populus miſcebat, ejecto è templo Felice, Imperator cedere debuit tempori, ac Liberius cum pluribus aliis Epiſcopis reportatus eſt ex exilio. Sozomenus duas inſectationes Liberii pertingit: unam, quâ Thraciam, ante trienniũ relegatus erat, & Felix in ejus locum ſuppoſitus: alteram, cùm nollet ſubſcribere formulæ Urſatianorum. Antequam ſolum vertiſſet, memor officii poteſtatíſq; ſuæ vicarium ſuum Damaſum Presbyterum deſignavit. Urſatiani relictâ poſtmodum Italiâ formulam ſuam pro Nicæa fallaciſſimè venditabant. Anno verò CCCLVI. Singiduni conventiculum habuerunt, unde per epiſtolas Germenium Sirmienſem Antiſtitem ad impietatem majorem, & ſcelus alliciebant. Erat enim Germenius in ea hæreſi, quam Semiarianam vocabant, atq; adeò malus, Urſatius autem, & Valens multò peſſimi. Quòd verò hi Arii aſſeclæ tantam ſibi ſumpſerint confiden-

*Liberius Papa bis exul.*

*Germenius Epiſc. Sirmienſis ſucceſſor Photini.*

tiam, ùt rempublicam ſacram miſcerent, portentoſo ſanè mendacio effecerat Valens. Cùm enim Conſtantius año CCCLIII. cum Magnentio de ſumma poteſtate concertans ſub initium pugnæ ædem Martyrum nobilem, quæ ſub urbe Murſa poſita fuit, ſubiiſſet, & anxius vicem ſuam exitum rei opperiretur, ille ex occulto, quid gereretur, edoctus, primus de fuga hoſtis indicavit. Ubi verò Imperator de indice quæſiiſſet, reſpondit, ex bono genio jucundum id nuncium ſe accepiſſe. Quapropter Conſtantius palàm poſtea profitebatur, *ſe Valentis meritis, non virtute exercitûs viciſſe*, ùt in *Hiſtoria Sacra* Sulpitius Severus. Quoniam hic Princeps in Pannoniam frequens veniebat, non piget ejus elogium ſubtexere. Conſtantius Conſtantini M. degener filius, à cæde generis ſui Principatum auſpicatus, uni deniq; pepercit Juliano, maximè degeneri, maximè indigno vitâ. Unum Deum non ritè coluit, plurimos execratus. Pertinax Arianus de Chriſto

*Conſtantius Imper. Quamobrē tantopere ſtuduerit Arianis?*

*Conſtantii elogium.*

ſto nõ peſſimè meritus. Namq; neminem ſibi auctoravit, niſi Chriſto quoquo modo auctoratũ. Aliqvando de religione binas formulas cõprobavit; quarum alteram in oriente, alterã in occidente obſervari juſſit. Ità iniquior in orientẽ, dum æquior. Sibi nomen æterni aſciſcebat, Dei filio demebat. Non credidit, ſed experiendo didicit, ſe mortalẽ eſſe. Ante obitum Ariano ritu ablutus, cùm omnes percuperet, nullam eluit maculam. A Gregorio Nazianzeno laudatus eſt, ſed ſolùm cum Juliano deſertore Chriſtiano collatus. Adeò nullum decus habuit ſine exceptione. Valeat cum fatidico Valente ſuo. Sanioris mentis fuit Anemius, cujus in concilio Aquilejæ anno CCCLXXXI. habito illa fertur fuiſſe oratio, *Caput Illyrici non niſi civitas eſt Sirmienſis; ego Epiſcopus illius civitatis ſum.* Anno ſuperiore ſacerdotium illud adeptus eſt, decertante propterea D. Ambroſio cum Juſtina Auguſta. Hæc namq; (ùt auctor eſt Paulinus) cùm e tabellario didiciſſet, Sirmi-

*Anemii Sirmien. Epiſcopi dictũ.*

*Ob Sirmiſenem Epiſcopum S. Ambroſii & Juſtinæ Aug. altercatio.*

mi-

mienſem Eccleſiam moderatore, & patre orbatam eſſe, cupiditati ſuæ, & Arianorum velificatura in eam urbem advolavit. Accurrit & Ambroſius. Ingens contentio excitata. Juſtina potentia, & furore multitudinis, Ambroſius lege Vatinia, & ſanctitate pugnabat. In æde, ubi tumultuatum eſt, virgo quædam Ariana in ſanctiſſimum Pontificem manus injecit. Vicit deniq; æquitas iniquitatem, pietas impietatem. Virgo illa amens atque impura poſtera luce extincta eſt. Funus ejus, immemor injuriæ, proſecutus eſt Ambroſius. Conſtituto in munere Anomio magnus Eccleſiæ doctor propugnatórque, & patrona Arianorum non ad finiendas, ſed ducendas contentiones Mediolanum rediêre. At timuêre Ambroſium, quos mundus timebat. Quæ cuncta cùm ità fuerint, nemo mirabitur, Sulpitium Severum monumentis prodidiſſe, omnes ferè duarum Pannoniarum Antiſtites, totámq; Aſiam ad defendendam ac diſſeminandam longè latéq;

*Lege Vatinia provincia Illyrici conjuncta erat Gallia Ciſalpina Suetòn. in C. Jul. Cap. 22.*

*Pannonia maxima ex parte Ariana.*

latéq; perfidiam Arianam incubuiſſe; nec eam è Pannonia extirpatam fuiſſe, donec Gothorũ & Hunnorum gladiis Pannonii, imò Romani jugularentur, oppidáq; eorum ſæpe diriperentur, incenderentur, ad ultimum diruerentur. Sirmium primis incurſionibus Attilæ attenuatum *metropolis* dignitate ſpoliatum eſt; quæ Theſſalonicæ primùm ab Juſtiniano Imperat. deinde tributa fuit primæ Juſtinianæ. Eadem vis fortunæ oppreſſit cetera in Pannonia ſacerdotia. Rerum tamen potientibus Imperatoribus magis piis, ac in Pannonia verſantibus cervices Arianos demiſiſſe, credibile eſt. Illorum quoq; turpitudinibus longo poſt Chriſti natalem tempore fœdabatur Pañonia, non minùs quàm alia terrarum ſola; qui multos manúque factos colebant Deos. Siquidem D. Martinus, Turonenſium poſtea Antiſtes, ejuſmodi parentibus progenitus eſt A. CCCXVI. Sabino & Ruffino Coſſ. Latent eorum nomina, clari tamen fuerunt. Nam

*D. Martinus Turonenſis Epiſcop. natus parentibus ethnicis.*

*Tempus militiæ.*

Nam pater tribunus ordines ducebat. Militiæ nomen dedit ſecundùm decreta Imperatorum annum ſeptimum decimum ingreſſus. Aqua luſtrali expiatus eſt annum agens quintum & trigeſimum. Hæc eſt ſententia, & vera quidem Gregorii Turonenſis. Nam Severi ſcripta vitio librariorum in principio præſertim mendoſa ſunt. Emeritis confectíſque quatuor & viginti ſtipendiis ab Juliano Cæſare in Gallia militante anno CCCLVI. miſſionem jure petivit. In vico propinquo novæ Sabariæ, qui Divi Martini dicitur, ſitúsq; eſt in ſolo antiquæ Sabariæ, monſtratur puteus, ex quo hauſtam fuiſſe aquam ferunt ad abluendum ritu Chriſtiano Martinum. Et quia valde credibile eſt, Divum in proximo fonti loco, ubi hodie eſt ædicula ejus nomine Deo dicata, natum eſſe, ſinamus peregrinabundos etiam ad fontem ſuis ire itineribus. Miſſione donatus ſemel natale ſolum reviſiſſe perhibetur, ut parentes, ſangvine junctos, ac populares ſuos ad Chriſtia-

*Ejusdem cultus & Sacellum Sabariæ.*

*Idem Chriſtianam Religionem promovet & Sabariâ exigitur.*

na caſtra ſacráq; pertraheret. Erudiit itaq; præceptis Chriſtianis aliquamdiu Sabarienſes, multóſq; à ſuperſtitionibus abſtraxit; in patre permovendo inanem operam ſumpſit, matris animum expugnavit, ipsámq; ſecundùm Chriſtum genuit. Cum Arianis ſæpe congrediebatur, ſempérq; palmam ferebat: illi proinde nefario furore inſtincti Martino vim intulerunt, verberibúsq; cæſum civitate exegerunt. Reliquam vitam in Italia, Galliáque magnum lumen, decúsque Eccleſiæ hic Martinus ſanctiſſimè traduxit. Fuit & alter Martinus Sabariæ ortus poſterior illo, vir clarus, & nobilis ex Doctrina virtutéque. Hic quà peregrinando, ſacráq; loca obeundo, quà viros doctos audiendo, ita proceſſit in theologia, ceteriſq; ſcientiis, ut ad ſummum perveniret, nulliq; ſecundus eſſet. Factus Epiſcopus Gallienſis, vixit in eo munere annis propè tricenis. Meminerunt ejus Gregorius Turonenſis, & Cæſar Baronius. Incomparabilē quoque,

*Martinus alter Sabarienſis.*

que, & maximum *Eccleſiæ* doctorem Hieronymũ ſibi vendicat Pannonia. Nam in Dalmatia propriè dicta, Joan. Lucius, quanquã curioſiùs omnia excuſſit, nuſquã tamen reperit locum, cui convenirent omnia, quæ de paterna Hieronymi domo recenſent ſcriptores. Totius rei, & controverſiæ cardo vertitur in explicando loco ipſius Divi, quẽ habet in Catalogo ſcriptorum Eccleſiaſticorũ, éſtq; hujuſmodi: *Hieronymus Presbyter patre Euſebio natus ex oppido Stridonis, quod à Gothis everſum Dalmatiæ quondam, Pañoniæq; confinium fuit.* Unde patet, omnino falli eos, qui Stridonem propter mare ſtatuunt; ſiquidem Pañonia nunquam extendebatur uſq; ad mare Adriaticum, neq; unquam confinis fuit veræ, & antiquæ Dalmatiæ. Igitur in mediterraneis quærenda eſt Stridon. Et ubicunq; fuerit, Pannoniæ potiùs, quàm Dalmatiæ attribuenda eſt. Pañoniæ enim fines ſemper iidem ſtabiléſq; fuêre, Dalmatiæ, & Illyrici modò contractiores, modò laxiores. Ipſe D. Do-

*Divus Hieronymus Pannonius.*

*Stridon non fuit in veteri Dalmatia.*

*Dalmatiæ nomine S. Hieronym. comprehendit Liburniam Pannoniæ finitimam provinciam.*

ctor profert eos tacitè ad Pannoniam: nuſquam enim meminit Liburniæ inter Dalmatiam, & Pannoniam interjectæ. Quod autem Stridon non aliquo ſuperiore, ſed ipſius Hieronymi ævo à Gothis everſa, eodémq; Pannonia Dalmatiæ finitima fuerit, declaratur. Populi illi pulſi ab Hunnis transmiſerunt Iſtrum, annum circiter CCCLXXVI. poſt triennium victi à Theodoſio aliquamdiu quieverunt: inde per varias regiones populabundi inceſſerunt, anno demum CCCCX. Romam ceperunt; quo toto tempore vitam, & ſpiritum duxit D. Hieronymus admirans, *captam eſſe urbem, quæ orbem ceperat.* An verò regionem illam, quæ propriè Dalmatia dicitur, eo vivente, quemadmodum Pannoniam populati ſint, ſanè non liquet. Joannes Lucius (*Lib. I. Cap. IV.*) non diffidetur, terram inter Dravum, & Savum interjacentem ætate Mauritii Imperatoris appellatam eſſe Dalmatiam. Ego verò Sirmium cum tota utiq; Pannonia Savia multò an-

tè

tè Illyrico, quod pro Dalmatia ſumebatur, adjunctum fuiſſe, plurium teſtimonio jam oſtendi. Quod ſi ita fuit, appoſitè D. Hieronymus poſitionem Stridonis deſcripſit. Locus namq; Stridova, vel Strigova non longo intervallo abeſt à Dravo flumine Pannoniam Savienſem à cetera dividente. Firmat dicta Nicolaus V. Pontifex Max. qui anno CIↃCCCCXLVII. propter memoriam natalis ſoli D. Hieronymi poſtulante Friderico Cilio Comite, Banóq; Regni Sclavoniæ in templo Stridonenſi ritè expiatis pœnas pro commiſſis imminuit. Exemplum literarum Pontificiarum eſt in Libro, qui *Topographia magni Regni Hungariæ* inſcribitur. Editus eſt anno CIↃIↃCCXVII. Viennæ Auſtriæ. Illud verò non modò mirabile, ſed prodigio ſimile videri debet, quòd inter tot temporum viciſſitudines, gentium migrationes, Pannoniæq; vaſtationes memoria patriæ maximi Eccleſiæ Doctoris extincta non ſit. Imò verò jam inde à principio Hungariæ

*Stridon hodie Stridova.*

*Indulgentia templo Stridonenſi conceſſa.*

*Cultus exhibetur D. Hieronymo Stridoviæ.*

Chriſtianæ ad locum hunc ſupplicatum eunt frequentes populi, in primis verò die ſolenni D. Doctoris. Nec miraculis vacat locus. Poſitum eſt templum in clivo in regione Saladienſi, abéſtq; à Mura amne milliario dimidiato. Procurat rationes ejus ſacer Ordo Paulinus. Quondam *Abbatiâ* clarum erat. D. Demetrius illuſtris Chriſti miles, neſcio, quam conjunctionem cum Pannonia Sirmienſi habuerit? Sangvinem quidem eum Theſſalonicæ pro Chriſto pro fudiſſe, res certiſſimis monumentis teſtata eſt. Sed quamobrem Rado *Palatinus* Hungariæ circa annum CIↃLVII. in ſolo Tarſi (ubi usq; adhuc vicus nomen Demetrii retinet) dicaverit Deo ædem ad cultum ei adhibendum, non eſt poſitum in aperto. Nam chlamys ejus, propter quam venerationi erat Sirmienſibus, & templum, quod excitâſſe quidam Leontius perhibetur, jam pridem perierant. Quid ſi Tarſum Demetrii natale ſolum fuerit? Meminit & Tarſi, & Leon-

*S. Demetrius Martyr.*

tii

tii Conſulis Theodorus Lector in Collectaneis imperatore Zenone. Idémq; prodit, Gennadio Patriarcha ex agro Sirmienſi latas fuiſſe Conſtantinopolim reliquias S. Anaſtaſiæ Martyris; cujus nullam mentionem videntur facere Romani faſti. Memor propoſiti mitto plurima ejusmodi Pannoniæ Eccleſiæ decora; duo tamen vitæ ſolitariæ, & contemplativæ lumina, Severinum, inquam, & Equitium præterire nefas ſit. Severinus *Abbas* apud Viennam, quam urbem ævo ejus Favianis vocabant, devotorum divinúmq; numen valde horrentium virorum collegium inſtituit, illúdq; ſanctiſſimâ diſciplinâ rexit. Fuit vir inclytus prodigiis, & ſpiritu divino plenus. Evocatus eſt à Deo anno CCCCLXXXII. VI. Idus Januarii. Equitius ejus fortâſſe diſcipulus multorum in Priovincia Valeriæ Deo dicatorum virilis juxta ac muliebris ſexûs hominum pater atq; rector fuit; de quo mira narrat Gregorius Magnus (*Lib. I. Dialogor. Cap. IIII.*)

*S. Severinus Abbas.*

*S. Equitius Abbas.*

Anteceſſit is ætate D. Benedictum, vixítq; circa annum Chriſti 10. ſeculo Chriſtianis optatiore, quo à metu atq; inſectationibus reſpirârant, Romanæq; Sedis auctoritas, & claritas latè effulſerat, ut ex narrationibus Gregorianis intelligitur. Perplura hominum ſolis divinis incumbentium collegia inſtituerat Equitius. Quamobrẽ perſvaſum eſt multis antiquitatis inveſtigatoribus, è numero filiorum ejus fuiſſe Valentinum, qui Romam vocatus, primus præfuit *cœnobio*, à Magno illo Gregorio coacto. Gloriari idcirco poteſt Pannonia, quod ipſa in partibus occidentis mater fuerit, & forſitan prima religioſorum hominum, qui certis legibus ligati unà vivebant, ſuperáq; ac cœleſtia aſſiduè cogitabant. Fuerunt quidem antea collegia quædam Deo dicatorum hominum in Dalmatia, quorum meminit D. Hieronymus, ad Julianum ſcribens, ſed inchoata tantùm. Fuerunt & ſolitarii, quos idem Hieronymus Græco nomine *monachos* vocat,

vocat ſed hi, in urbibus ſeparatim habitantes ſine legibus ac moderatoribus vitã ducebant. Ante añum IↃXLIX. quo Longobardi Pannoniam invaſerunt, è vinculis corporis evolavit Equitius: nam eo anno inſtituti ſui alumnos, qui ipſum, jam ſuperis aſcitum, invocaverunt, protexit, Longobardisq; religionem obtulit. Celebrant memoriam ejus faſti Romani ad III. Idus Auguſti.

# CAPUT XI.

## *De Mœſia, ſive Myſia, finitima Pannoniæ.*

SIquidem Reges Hungariæ Reges quoq; ſunt Serviæ, non erit ab inſtituto ſcribendi alienum etiam Mœſiam, cujus pars Servia eſt, brevi percurrere. Plinius more ſuo ſtrictim longitudinem ejus definit Danubii curſu ab oſtio Savi usque ad Pontum. Subjungit nomina populorum, quorum memoria jam pridem evanuit. Flumina ſine dubio ſuperſunt, ſed nomina

*Mœſiæ deſcriptio.*

*Mœſiæ flumina è Plinio.*

mina illa perdiderunt. E Dardanis ait, fluere Margim, Pingum, Timachum; ex Rhodope Oeſum: ex Hoemo Utum, Eſcamum, Jeterum. Dardania parva regio fuit, pars Mœſiæ vicina, Macedoniæ. Oriuntur in ea fluvii clariores, Morava, Ipecus, Timocus; qui Plinianis reſpondere debent. Morava Straboni eſt Moſchus, Ptolemæo Moſchius. Oeſcus, quem in Rhodope naſci dicit Plinius, eſt Lomus, vel Cibricia. Corrigendi ſunt itaq; *Geographi*, qui fontem Moravæ in monte Hæmo indicant: hic enim mons eſt multo longior Rhodope, & contiguus Ponto: de quo idem Plinius in deſcriptione Thraciæ: *Mons Hæmus vaſto jugo procumbens in Pontum, oppidum habuit &c.* Tres alios ex Hæmo defluentes, ab eodem hiſtorico ſignificatos amnes, retegere non queo, quia nemo adhuc eos rectè deſcripſit. Ne tamen lectorem expectatione ſuſpendam, ſuſpicor, Utum eſſe Seütteri Ogoſtum (*Ogoſt:*) Eſcamum, Oſſamum (*Oſſam*) Jeterum

*Rhodope Mons.*

*Hæmus mons.*

rum Isqverum (*Isker*) aut Jantram, Vix enim plures, nobilioréſq; illis amnes ex Hæmo in Iſtrum decurrunt. Sed nè longiùs cum fluminibus labar, Ptolemæus bipartitur Mœſiam; cum quo ſuperiorem circumſcribam. Excurrebat ea ab oſtio Savi juxta Pannoniam, & Liburniam ad Dalmatiam, cui ab occiduo ſole confinis erat in Scardo monte: à meridie contermina erat Macedoniæ uſque ad montem Obelum: ab exortu ſolis contingebat Thraciam uſq; ad Ciabrum flumen, inde inferiorem Mœſiam ejuſdem fluminis alveo toto: à Dacia dirimebatur Danubio, quà ſeptentrionem ſpectabat. Animadvertendum, Rhodopen eſſe montem Thraciæ, ſed pertinere uſq; ad Macedoniam auctore Plinio: Orbelum verò montem eſſe Macedoniæ extremum; Hæmum deniq; dividere Mœſiam inferiorē à Thracia. Ciabrum fluvium ante paucos annos in ſua tabula *geographica* primus M. Seütterus, *chalcographus Auguſtanus*, ſub nomine Cibricia (Ci-

*Mœſia duplex.*
*Ejus fines.*

*Rhodope Hæmus. Orbelus.*

*Ciabrus fluvius quis?*

(*Cibritza*) detexiſſe videtur. Ac vocabula quidem aſſimilia ſunt. Sed Ptolemæus ſemel atque iterum oſtium Ciabri deſignat inter oſtia Rhabonis & Alutæ, de quibus in rebus Daciæ. De oppidis hujus regionis pauca habeo dicere, neq; neceſſe eſt multa, quia parum ornata ac munita erant. Ptolemæus Singiduno ſubjungit Tricornium, ad oſtium Moſchii amnis poſitum. Meander (*Lib. I. de Abaris pag. CXVII.*) perſequens bellum Abarorum ducis, quod geſſit anno ab ortu Chriſti IↃLXXXV. tradit, Singidonem ea tempeſtate urbem, parum munitam, & bellico apparatu vacuam, captam eſſe; cetera verò huic vicina loca direpta: deinde Auguſtam & Viminacium in ditionem Abarorum redacta. Hæc igitur fuêre præcipua ac munitiora loca ſuperioris Mœſiæ. Continuò enim ſubjungit hiſtoricus ille, Chaganum Anchialum, quæ fuit urbs Thraciæ, moviſſe. De Singidone jam judicium meum edidi. Auguſta fuerit Semendria, nam nul-

*Singidunum ab Abarris capitur.*

*Anchialum Thraciæ. Auguſta Viminacium Mœſiæ oppida.*

nullus locus inter Belgradum, & Moravam amnem videtur fuiſſe, ùt illis temporibus, clarior ea ac munitior. Notato apud oſtium Moſchii Tricornio Ptolemæus illico ſubdit Viminatium legionem. Hanc porrò militum ſtationẽ haud procul fuiſſe à fluvio Morava diſcimus ex Eutropio; qui (*Lib. IX. Cap. XIII.*) de victoria Diocletiani, hæc literis conſignavit, *Carinum apud Margum ingenti prælio vicit inter Viminacium, & Aureum Montem.* Aureus hic Mons fuerit aurifer, aut Rama (*Ram*) arx olim in monte; ſupra quam Viminacium inveſtigandum. In latere portæ, quæ ad Danubium ſpectat, Semendriæ extat lapis, continens inſcriptionem deletis non modò literis, ſed verbis quoq; valde mancam, ùt patet: GENIO LEGI-III-E-ODNN--DIOC---IANI---AUG--UREL--MAXIMI--IUS-EX-PRÆF--LEG--EJUS-DEN----VOTUM--POSU. compleri, & reſtitui ad hunc modum poteſt: *Genio legionis tertiæ, & genio domini noſtri Dio-*

*Tricornium.*

*Margus, Margis, Moſchus idem fluvius.*

*Aureus mons.*

*Inſcriptio Romana ſemendriæ.*

*Diocletiani Auguſti Aurelius Maximianus ex præfectus legionis ejuſdem votum poſuit.* Dardanorum oppida quatuor profert Ptolemæus; ex quibus Neſſum hodie vocatur Niſſa, Scopi, vel Scupi Scopia. At Livius ante Ptolomæum res Romanas perſequens, pluribus locis Scopos Pæoniæ adſcripſit. Memoriâ dignus eſt pons in Mœſia, Trajani Imp. opus. In ſubjecta ei petroſa ripa inſcriptio: IMP. CÆSAR DIVI NERVÆ F. NERVA TRAINUS. GERMAN. PONT. F. INDUSTR. PATER PATRIÆ. id eſt, *Imperator Cæſar Divi Nervæ filius Nerva Trajanus, Germanicus, pontem fecit induſtrius pater patriæ.* In utroq; latere monumenti effigies eſt aquilæ, quaſi tabulam ſuſtinentis. Clariores inferioris Mœſiæ civitates illuſtrabuntur, ubi occaſio feret. Populos, à quibus tota regio nomen accepit, Plinius Mœſos Ptolemæus & Tomitanus exul Myſos nuncupant.

*Inſcriptio Romana ad ponte Trajani.*

*Mœſi & Myſi iidem populi.*

CA-

# CAPUT XII.

## De Illyrico.

FLavius Vopiſcus, & Capitolinus in geſtis Conſtantii primi, & ſecundi, Galerii Maximiani, Juliani, & Claudii ſecundi prodiderunt, Illyricum continuiſſe quidquid eſt terrarum à Flanatico ſinu uſq; ad Peloponneſum, ac inſuper Iſtriam, Macedoniam, Epirum, Pannoniam, Dalmatiam. Verè autem & antiquè cognominatum Illyricum includebat Liburniam & Dalmatiam: quamvis hæ quoq; ſuis liminibus diſcretæ fuerint, dirimebat enim eas amnis Titius, ſive Titus in Adriaticum decurrens. Fines utriusque, ùt circumſcribuntur à Plinio & Ptolemæo, erant geminæ Pannoniæ à ſeptentrionibus, ab occidente Iſtria, & ſinus Adriatici maris, ab oriente ſuperior Mœſia, cum qua porrigebatur à Savo uſq; ad Scardum montem, incluſo amne Drino; quem attingit Ptolemæus in deſcri-

*Illyrici deſcriptio.*

*Liburniæ & Dalmatiæ fines.*

*Scardus mons vaſtiſſimus fundens duos Drinos amnes.*

deſcriptione Illyrici. In averſo latere, & jugis Scardi montis unum fontem habet amnis Drilon, qui etiam Drinus appellatur. Eo adverſo ſubvehebantur olim merces, aliáq; ad victum neceſſaria in Dardaniam. A meridie cetero Illyris juncta erat Macedoniæ. Liv. montem Scartum, Scodrum appellat L. XLIV. ità de eo ſcribens. Mons Scodrus longè altiſſimus regionis ejus, ab oriente Dardaniam ſubjectum habet à meridie Macedoniam, ab occaſu Illyricum. Fuerunt itaque pro varietate temporum diverſi Illyrici termini. Traxit autem regio nomen ab Illyris Liburniæ populis. Secundùm deſcriptionem Ptolemæi hodie Liburniam efficiunt, Morlachia cum vicinia ultra Flumen oppidum, tum convexa Croatiæ, & Boſnæ. Ætate Plinii ſecundi finis Italiæ, & Iſtriæ fuit fluvius Arſia. Conſentit Ptolemæus in codice quodam Italico. Citra prædictum fluvium indicant iidem ſcriptores Alvonam. Hæc hodie variatâ unâ literâ Al-

bona dicitur, eſtq; vicina oppido illi Flumini. Deinceps ora Liburniæ maritima Jaderam verſus parvo negotio retegeretur atq; explicaretur. Quippe plana eſt non indoctis apud Ptolemæum locorum ſeries iſta, *Alvona*, *Flavona*, *Tarſatica*, *Oenei fluvii oſtia*, *Velcera*, *Senia &c.* Oppida tamen ejus regionis mediterranea doctorē, luménque deſiderant. Dalmatiam diſcretè commentariis ſuis Joannes Lucius ſic illuſtravit, ut aliquid iis ſuperaddere ſupervacaneum videatur. Quamvis Hunni has regiones non habuerint, tetigi tamen eas, quia poſtea in ditionem Ungarorum redactæ ſunt. *Liburniæ maritimæ quædam loca.*

# CAPUT XIII.

## *De regione Jazygum Metanaſtarum.*

PErluſtrato Danubii dextro latere, viſóq; eminus Adriâ, trajiciendus nunc amnis, percurrendúmq; latus ejus alterum. Jazygibus nomen inditum fue- *Jazygum Metanaſtarum regio.* *Jazyges hi unde appellati?*

fuerit ex vocabulo *Jazic*, quod lingvam valet. Metanaſtæ verò dicti vel ob crebras Danubii trajectiones, vel ob metas, & terminos Romanæ ditionis. Nam tametſi vicini fuerunt Romanis, nequaquam tamen ab eis ſubacti ſunt: quin etiam fines ſuos adeò tuebantur, ùt terra eorum parum cognita fuerit vetuſtioribus ſcriptoribus. Plinius ſolos quosdam illius limites novit: ubi enim in ulteriore apud Carnuntum Danubii ripa confinium Germanorum declaravit, continuò illam ſubjicit orationem: *campos & plana Jazyges Sarmatæ; montes verò & Saltus pulſi ab his Daci ad Pathyſſum amnem tenent.* Vix plura apud Plinium repereris. Alio autem loco indicat, fluvio Maro Jazygum regionem diviſam fuiſſe à Germania. E regione ferè Carnunti flumen illud immergitur Danubio, hodiéq; vocatur Morava. Propior verò eſt explanatio Ptolemæi, qui tradit, terminos horum Jazygum incipere ad Carpim, oppidum inferioris Pannoniæ; finiri

*Tibiſcus Plinio Pathiſſus.*

verò

verò toto Tibiſci alveo, Carpato, montibus Sarmaticis, & Danubio. Omnes adhuc, quosquos legi auctores, Carpatum, & Sarmaticos montes eosdem eſſe putaverunt: quódq; magis mirabar, Carpatum etiam ii, qui eruditiores videri volunt, cum aſpiratione ſcripſiſſe, quam tamen Ptolemæus homo Græcus, non uſurpabat. Carpathus enim cum aſpiratione inſula eſt: unde Carpathium mare. Sunt autem Ptolemæo montes Sarmatiæ, Hungariæ Arvenſis, Liptovienſis, Zolienſis, & Barſchienſis montes, à Polonia uſq; ad Danubium & Vacium porrecti; ad Roſenbergam, ubi Turocienſes à Liptovienſibus dividunt Fatræ, ultra Fatræ nuncupati. Eos in Tabula IV. Europæ Ptolemæus extendit uſq; ad caput Danubii. Carpatus verò reliquam Poloniam, Ruſſiam, & Moldaviã ab Hungaria, & Transſilvania dividit. Amnes hujus tractûs nobiliores, Cujus, hodie Vagus, Granous verò Granus; reliquorum nusquam meminerunt ve-

*Carpatus mons diverſus à montibus Sarmaticis.*

*Cuſus Granous amnes.*

*Jazygum oppida.* *Uſcenum.* teres. Oppida apud Ptolemæum, *Uſcenum*, *Gormanum*, *Arbieta*, *Triſſum*, *Parca*, *Candanum*, *Peſſium*, *Partiſcum*. Uſcenum videtur Moro collocare in angulo inferiore inſulæ fluvii Borſchovæ provinciæ Beregienſis. Qui quidem fluvius in provincia Marmaroſchienſi ortus Beregienſi illabitur, eámq; ab Ugotſchienſi magna ex parte diſpeſcit, ad extremum infra pagum cognominem ſpargit ſe in Tibiſcum. I*Parca.* dem Parcam ſtatuit è regione Vetuſani Pannoniæ, ubi Joannes Maginus Peſſium, hodie Peſtum. Can*Candanum.* danum apud utrumq; reſpicere vi*Gormanũ.* detur Agriam. Gormanum locat Maginus ad montes, qui montana oppida cingunt. De Gormano generatim dici poteſt, poſitum fuiſſe in confinio Poloniæ, ubi dies longiſſima eſt ſedecim ſolidarum horarum, ùt vult Ptolemæus; hoc autem in provincia Scepuſienſi evenire deberet, aut auctor opinione *Partiſcum.* ne fallitur. Partiſcum fuerit appoſitum Tibiſco, quod non ſatis perſpectum habens Plinius, ipſum fluvi-

fluviũ Pathyſſũ appellavit. Franc. Otrocotſius (*in Originib9 Hung. Parte II. Cap. XIII. pag. CXVIII. & ſequ.*) Peſſium etiam arbitratur eſſe Peſtum, Parcam verò Parcanum, Triſſum pagum quendam ejuſdem nominis in regione Gemerienſi ſitum, Partiſcum Ægopolim (*Ketskemét.*) Si hunc ultimum locum Tschongradum eſſe dixiſſet, fortâſſe aſſertio ejus propiùs ad veritatem acceſſiſſet. Roget verò quis, quali ſermone uſi fuerint Jazyges Metanaſtæ? Idem antiquitatis Hungaricæ inveſtigator percurioſus, ejuſdémq; aſſertor acerrimus (*Part. I. Orig. Cap. II.*) omnes nervos contendit, ut probet, Jazyges veteres fuiſſe parentes ejus tribûs Hungarorum; cui primus Rege Mathia Corvino Petrus Ranzanus in Libro, quem *Epitomen rerum Hungaricarum* inſcribit, attribuit appellationem Jazygum, & lingvam Ungaricæ diſſimilẽ. Ranzanum deinde ſecutus Jacobus Wernherus in libro, quem edidit de *Admirandis Hungariæ aquis* graviùs

*Jazyges Hungari in regione Heveſchienſi habitantes, an ſint veteres Jazyges?*

ùs offendit, ratus Germanica ſtirpe eam tribum proficiſci. Verùm hæc quotacunq; pars Hungarorum Jaſſi veriùs, quàm Jazyges dicendi ſunt ex Jaſſo, principe familiæ; cui quidam ex Regibus Ungariæ, & Cunno amplam libertatem, conceſſit; de qua poſt extortam Turcis Budam diuturna lis pendet. Jaſſi ſubinde tribuliúmq; poſteros, tredecim aut quatuordecim loca ad Tibiſcum, & Sadaviam (*Zagyva*) amnes colentes, animadverti in literis antiquioribus, & legibus regni Ungariæ, quod nec ipſi ignorant, Philiſtæos nominari. Locus Strabonis (*Geograph. Lib. VII.*) in quo firmamentum ſuæ cauſæ ponit Otrocotſius, veriſſimus eſt. Siquidem populi illi, quos Urgos vocat Strabo, Ptolemæus verò Chunos, apud Pontum Euxinum in utraq; Iſtri ripa ſedes habuerunt, fuerúntq; Hunnica progenies. Sed ante Romanorum in Dacia dominatum, & Hunnorum celebratorum adventum quodpiam genus Hunnicum Tibiſcum accoluiſſe, popu-

*Philiſtæi antea dicti.*

*Urgi vel Chuni accolæ Ponti.*

populóſq; , quos Ptolemæus Breucos, Florus Breunos nominat, fuiſſe Hungaros Barannios , apud Dravum agitantes, commentis ſimile eſt. Si autem propter duas trésve literas, quæ in vocabulis diverſarum lingvarum inveniuntur, quaſi ad liquidum explorata veritate priſcos gentiles ſuos dicere, aut patres ciere licet, multò planiùs apertiúsq; quis oſtenderit, Ptolemæi Pannonios *Araviſcos*, fuiſſe Oravcios, vel Arvenſes, pluráq; ad Bodrogum, Tibiſcum, & Marum notiora loca ex lingva Sclavonica ducere nomina: Valachiam verò, & Moldaviam plenas eſſe Sclavonicis vocabulis, quivis geographias recentiores perluſtrans oculis, multóq; magis peragrans regiones perſpicere poteſt. Hanc itaque, ad Euxinum excurrentẽ terram Sclavorum aliquando refertam eſſe oportebat. Quoniam de lingva Jazygum mentio incidit, quæri etiam poteſt, de ſermone Pannoniorum. Eum non fuiſſe Germanicum teſtificatur Cornelius Taci- *Pannoniorum lingva vernacula.*

tus; cujus locus in promptu ponetur Capite ſequenti. At neq; Græcus erat: quare enim auctor Oſorum, qui iidem Jazyges fuerunt, lingvam peculiariter diceret Pannonicam? Fuit itaq; Panno-niorum quoq; ſermo Sclavonicus. Si enim Boei Ptolemæi, ùt auctor eſt Sextus Rufus, fuerunt Marcomani & Quadi, cur non iis propinqui Coletiani, Latobici cæteríq;? quorum nomina Sclavonicũ quiddam ſonant. Non negaverim tamen in oppidis ac præcipuè Sirmii, cujus urbis conditorem Græcum fuiſſe ferunt, ſtudium Græcæ quoque lingvæ viguiſſe: Latinum verò ſermonem genti familiarem fuiſſe, conſtat. Redeo ad Jazyges. Ætate Plinii, vel antea interceſſerunt illis bella cum Dacis, quorum clara extant monumenta. Ubi enim infra Tocajum in utroq; latere Tibiſci repentè ſic immenſa panditur planities, ut ſubjectos campos oculis terminare non queas, utraq; gens ut inſidias vitaret, ſpeculas poſuit, id eſt, tumulos excitavit, ut

*Jazygum bella cum Dacis.*
*Jazygum & Dacorum ſpeculæ.*

ut longè latéq; proſpicerent ſpeculatores, quidque altera gens moliretur, obſervarent. Tumuli illi curioſos viatores advertunt atque alliciunt. Alteram nationem Jazygum Mæotin accoluiſſe auctor eſt Ptolemæus. Hujus potiùs quàm Metanaſtarum bis térve mentionem injicit Ovidius, & ſpecialiter *Lib. I. de Ponto Eleg. III.* ubi declarat ſpiritus, & virtutem gentis iſto carmine: *Jazyges Boreales.*

*Aut quid Sauromatæ faciant? quid*
*Jazyges acres?*

# CAPUT XIIII.

## *De Marcomanis, Qvadis, Sarmatis.*

DE gente Marcomanorum primus quædam in literas retulerit C Vellejus Paterculus, miris laudibus efferens Maroboduum ævo ſuo ejus Principem. Nempe fuiſſe virum claris natalibus ortum, corporis viribus prævalidum, ingenio acri, *natione magis, quàm ratione barbarum.* Fini- *Marobodui Marcomanorum regis laudes.*

 timos

timos aut bellis ab eo domitos, aut conditionibus in ditionem redactos. Terminos imperii ejus fuiſſe, Germaniam, Noricum, Pannoniam. In legationibus modò ſupplicem ſe Romanis præbuiſſe, modò æqualem oſtendiſſe. Contra hunc igitur virtute fortunáq; præpollentem virum pugnare Romanis decretum erat. *Sentio Saturnino mandatum, ut per Cattos, excisis continentibus Herciniæ ſilvis, exercitum duceret*, ait Paterculus. Tiberius verò à Carnunto moturus fuiſſet, niſi bellum Pannonicum, ùt dictum eſt, interveniſſet. Eo bello profligato Marcomani, & Quadi ſocii fuerunt facti Romanorum. Apertè id indicat C. Cornelius Tacitus. Non erit abs re præclari illius hiſtorici locum afferre, & pertractare; qui in eo libro, quem inſcripſit *De Moribus Germanorum*, talis eſt: *Juxta Hermunduros Nariſci, ac deinde Marcomani, & Quadi agunt. Præcipua Marcomanorum gloria viresq;, atq; ipſa etiam ſedes pulſis Bois virtute parta. Nec Nariſci Quadi-*

*Marcomani Socii Romanorum.*

*ve*

*ve degenerant. Eáq; Germaniæ velut frons eſt, quatenus Danubio prætexitur. Marcomanis Quadisq; uſq; ad noſtram memoriam reges manſerunt ex gente ipſorum, nobile Marobodui, & Tudri genus, jam & externos patiuntur. Sed vis, & potentia regibus ex auctoritate Romana, raro armis noſtris, ſæpiùs pecuniâ juvantur. Nec minùs valent retro Marſigni, Gothini, Oſi, Burii: terga Marcomanorum Quadorúmq; claudunt; è quibus Marſigni, & Burii ſermone cultúq; Svevos referunt. Gothinos Gallica, Oſos Pannonica lingva coarguit non eſſe Germanos: & quòd tributa patiuntur,* partem tributorum Sarmatæ, partem Quadi ùt alienigenis imponunt. Gothini, *quò magis pudeat, & ferrum effodiunt. Omnésq; hi populi pauca campeſtrium, cæterum ſaltus, & vertices montiũ jugúmq; inſederunt.* Hucusq; locus Taciti. Explananda ſunt plura. Nariſci videntur fuiſſe Palatinatûs incolæ, proximi Marcomanis. Vix apud quenquam alium ſcriptorem eos populos invenies. Marcomanos contermi- *Nariſci populi.*

nos

nos fuiſſe Quadis, & utramq; gentem Danubium accoluiſſe ſat declarat auctor. Quare meritò redarguas eos, qui ſedes Quadorum tantummodò ad terga gentis in Sileſia collocant. Et ſuffragari eis videtur locus Ptolemæi in geographia magnæ Germaniæ, ubi neq; Marcomanorum, neq; Quadorum fines usq; ad Danubium proferuntur, ſed ora ejus fluminis attribuitur magnæ genti Bœmorum, tum Teracatriis, & Racatis. Verùm hiſtorici hos populos non attigerunt, fuerúntq; Quadorum & Marcomanorum tribus. Et perinde ſe res habuerit, quaſi hodie dicas, Arvenſes, Liptovienſes, Turocienſes alios atq; alios eſſe populos, qui tamen ejuſdem ſunt generis. Regionem verò illorum populorum ex Bæmis, vel Bois nominatam fuiſſe, docent ſcriptores. Quippe Tacitus Boiemum; Paterculus Bojohæmum eam vocat. Quid? quòd errore labitur Ptolemæus, dum ſcribit, Quados ſub Hercinia ſilva agere, Marcomanos verò ſub Ga-

*Quadorum regio.*

*Termini Quadorũ, & Marcomanorum.*

*Moravorum & Quadorum terra quî vocata?*

Gabreta, háncq; inter illam, & montes Sarmatiæ eſſe. Hac enim ratione Hercinia locanda eſſet in Arvenſi regione, ſicut eam locavit Joannes Maginus explicans deſignationes Ptolemæi, quod ſanè à vero recedit. Tiberius enim, ùt prodit Paterculus, arma Marcomanis illaturus non per Jazyges & Quados, ſed per Cattos, qui apud Ptolemæum videntur eſſe Chattæ, duci juſſit exercitum, & ſilvam non Gabretam, ſed Herciniam exſcindi. Rectiſſimè verò Ptolemæus adjecit, in vicinia, imò in terra Quadorum eſſe metalla ferri, quin auri, argenti, & cupri, ſed hæc propter rapacitatem Romanorum occultabantur. Quænam ſit Luna ſilva, cujus eodem loco meminit *geographus*, propter multitudinem montium, qui metallica oppida ambiunt, difficile eſt autumare. Qui regiones Zolienſem, & Liptovienſem disjungunt, Veteres appellati, ſunt ampliſſimi quidem, & conflando æri lignorum affatim ſuppeditant, ſed lunam bicornem non referunt.

*Herciniam ſilvam ſcripſit Ptolemæus vice Gabretæ, & viciſſim.*

*In Quadis ferrariæ.*

*Luna ſilva quæ?*

Ut

Ut non longiùs abeam, reddunt eam formam illi, qui à Breznenſi (*Breznobanya*) oppido arcuatim in occidentem uſq; ad tractum Turocienſem porriguntur, ubi extrema juga Germanecia vocantur. Inter hunc, & Veteres montes jacet Neoſolium, in altero latere regionis Barſchienſis depreſſum, & anguſtum Cremnicium, ubi cuditur aurum argentúmq;, & interdum cuprum. In territorio verò Breznenſi ſunt antiquæ illæ Quadorum ferrariæ, ac in latere Boreali Veterum montium ad Roſenbergam in Liptovia. Redeamus, quò cœpimus. Si uſq; ad memoriam Taciti Quadi Reges ex natione ſua habuerunt, ſcribente Paterculo Princeps eorum depreſſus fuerit à Maroboduo, ſed rurſus eminuit ejus potentia. Regimen Marcomanorum apud Marobuduum fuiſſe conſtat; Tuder igitur æqualis illius, Princeps Quadorum fuerit; cujus poſteri deinde gubernacula ejus gentis tenuerunt. Certis tamen terminis utriuſq; nationis Principum

*Ferrariæ Breznenſes.*

pum Romani jus, ùt mos eis erat, circumſcribebant. Ignoro autem, quibus auctoribus Aventinus compererit, Marobuduum ad extremum ſuis inviſum, Ravennæ ipſos duodeviginti annos exulâſſe. Catavaldum regni potitum à Vivilo deturbatum. Cúmq; nihilo minùs res apud Marcomanos turbidæ eſſent, ab Romanis datum eſſe regem genti Vaunium, natione Quadum. His in medio relictis, redeo ad populos, quos enumerat Tacitus. Boi, à Marcomanis pulſi, fuerint populi, poſtea Bojarii, & Bavari vocitati. Oſi, ùt plures arbitrantur, fuerunt Jazyges. Gothinis maximè conveniebat tractus Scepuſienſis, & Gemerienſis in terra Jazygum, ubi ferrariæ plurimæ & inexhauſtæ. Si autem Gothini iidem fuêre qui Gothi, in Dacia mediterranea, & Ripenſi ſupra cataractas Danubii, ubi etiam metalla ferri fodiuntur, ſedes illis tribui poſſent, niſi Quadis & ſeptentrionalibus Sarmatis vectigales fuiſſent. Daciam autem adhuc liberæ gentes regi-

*Tuder Princeps Quadorum.*

*Boi Taciti qui populi?*

*Oſorum gens.*

*Gothinorum ubi ſedes.*

regibus ſuis gaudentes tenebant. Peroſi verò ignominiam & ſervitutem ſuam Gothini, ſubinde in eam regionem transmigraverint. Ad Iſtrum deinceps fodinæ ferri nullæ. Ubinam gentium agitaverint Marſigni & Burii, quis vel conjecturâ aſſequetur? Manſerit ea ſocietas inter Romanos, & Marcomanos, uſq; ad principatum Marci Aurelii, & Lucii Veri. Gerebant hi Imperatores primis regni ſui annis bellum cum Parthis, quod in quintum annum traxerunt. Per id tempus variis Romanorum artificiis effectum eſt, ut Marcomani jam armati ab aperto bello abſtinerentur. Anno demum Chriſti CLXVIII. Cæſares illi de Parthis triumphaverunt. Cùm verò Marcomani avidiſſimi pugnæ, & gloriæ propoſitum urgerent, neq; ab injuria, & maleficio temperarent, formidoloſa fuit M. Aurelio virtus Marcomanica. Quamobrem accitis undiq; ſacrificis, Romam omni purificationis genere luſtravit, pulvinaria exornavit, Deos Deáſq; fictas omnes

*Marcomani rumpunt fœdus quod cum Romanis habuerunt.*

*M. Aurelii Imp. comparatio ſacerrima ad bellū Marcomanicū.*

omnes invocavit. Ad timorem belli curámq; peſtilentia acceſſit, quæ per exercitum reducem ſerpens pervaſit urbem orbémq; Romanum. Legiones proinde ſervitiis, mendiculis, gladiatoribus, latronibus completæ. Jam deſævierat contagium, adhuc Aurelius cunctabatur. Et repentino fratris Veri fato penitus obtorpuiſſet, niſi Alexander quidam ficto oraculo, quod ab Æſculapio editum eſſe dictitabat, animum ei addidiſſet. Ita ergo erectus dum fidenter in hoſtem vadit, ad vicena militum millia amittit. Optimum oraculum eſt, cautè pugnandum eſſe. Anno verò belli ejus quinto, Chriſti CLXXVI. cum exercitu Aurelius interîſſet, niſi Chriſtiana legio ſive antea jam, ſive ab eventu (rem in diverſum auctores trahunt) Fulminatrix dicta, pro ſalute ejus DEum verum exorâſſet. Cœlum in Marcomanos, & ſocios pugnare debuit, ut vincerentur. Imber, grando, fulmina ruebant, invulneratis inviolatíſq; Romanis. Iisdem ſiti

*M. Aurelii exercitus caſus.*

*Marcomani prodigiosè diſperguntur.*

 penè

enectis aquæ cœleſtes incolumitatem attulerunt, hoſtibus exitium importârunt. Idémq; elementum noxium, & ſalutare fuit. Res non agebatur apud Carnuntum, ùt multis placet, in ſolo Romano, ſed in hoſtico. Quî enim patentibus in campis concludi, & ad Danubium ſiti confici potuiſſet exercitus? Circumdatus itaq; fuit in valle quadam in terra Quadorum, aut Marcomanorũ non longè Carnunto. Sic igitur precibus Chriſtianorum militum à regibus Marcomanorum Quadorum, & Sarmatarum Imperator ille victoriam, & exercitum incolumem reportavit, non domitis, ſed perterrefactis hoſtibus, bellóq; affecto. Inde ad partes orientis profectus, cùm per Palæſtinam tranſiret, ùt ſcribit Amianus, ſuccenſens Judæis ſæpè miſcentibus ac tumultuantibus præ ſtomacho proclamâſſe fertur, *O Marcomani! ô Quadi! ô Sarmatæ! tandẽ alios vobis deteriores inveni.* Cùm verò prædictæ nationes à præliis non ceſſa-

*Ubi fuerint Romani circumdati à Marcomanis ad Carnuntum.*

*M. Aurelii Imp. dictũ de Sarmatis &c. & Judæis.*

ceſſarent, in Pannoniam reverti coactus eſt, bellúmq; inſtaurare, quod uſque ad exitum ſuum duxit nullo proſpero ſucceſſu. Sirmii deniq; graviter affectus abſtinentiâ cibi voluntariam mortem ſibi conſcivit. Commodus Imp. ſubinde maluit rurſus Marcomanis, Quadis, & Sarmatis amicis & ſociis, quàm infeſtis uti. Non fuit tamen inter eas nationes, & Romanos conſequentibus quoq; annis pax ſtabilis. Commemorabilis illa incurſio, quam fecêre Marcomani anno CCLXXI. percurſando fines Italiæ Urbe metu concuſsâ. Quadi autem, & Sarmatæ Pannoniam ſæpè depopulati ſunt, ſed rurſum in fidem Romanorum ſe permiſerunt. Et pernecessaria fuit illis clientela. Cùm enim contra Scythas quoſdam pugnaturi ſervos ſuos Oſos armâſſent, ii verò ad exitium ipſorum armis abuterentur, ad Conſtantinum Magnum, in quo omnia ſumma erant, confugerunt, ſervitiaq; ope, & auxilio Romani militis in conditionem priſtinam re-

*Marcomani &c. modò amici, modò hoſtes Romanorum.*

*Quadis & Sarmatis Conſtantinus M. auxiliatur contra Oſos ſervos.*

traxerunt. Narrat hæc D. Hieronymus in Chronicis, dum ea, quæ magnus ille Imperator anno ſui Principatûs octavo & viceſimo egregiè fortitérq; fecit, perſequitur. Indè verò monumenta Romana Trentſchinii. Principe verò Conſtantio iidem populi, obliti beneficium, inconſultè atq; inauſpicatò Romanos laceſſiverunt; qui impoſitis Danubio, quà Valeriam, & Pannoniam ſuperiorem diſcriminat, pontibus, in Quadiam efferatis longâ militiâ animis trajecerunt. Quadi, quà cuiq; proximum fuit, in fugam effundebantur. Plurimos ſaltus, & montes occuluêre. Romani cuncta diripere, tecta inflammare. Principes Quadorum Ziza, Frægiledus, Rumarus, & Batherus pro ſalute fœdifragorum ſupplicare, captivos reddere parati. Datis obſidibus pacem recuperârunt. Interea Conſtantius Brægetium venit reliquias belli ſuppreſſurus. Illico Sarmatarum liberorum, quorum jam res agebatur, ſumates viri, Vitrodorus Rex, filius

*Quadi & Sarmatæ rupto fœdere conterriti reconciliantur cũ Conſtantio Imper.*

filius Viduari R. & Agilimundus eum de concordia adierunt. Submiſſis genibus primùm pro ſalute ſua ſuorúmq; deprecati ſunt, deinde more gentis diſtrictis gladiis (quos numero Numinum colebant ac venerabantur) conceptis juravêre verbis, ſe in clientela atq; amicitia Romanorum manſuros. Præterea adverſus ſervos, qui in loca occulta, & paludoſa ad confluentem Tibiſci, & Danubii ſe abdiderant, auxilia petiverunt. Conſtituto apud dedititios Rege Ziza Conſtantius in mancipia ire conſtituit. Fugitivis nihil latibula profuêre. Etenim circumclauſi exercitu cùm in Pannoniam traduci nollent, occidione occiſi ſunt. Permiſtè hæc, & neſcio unde Aventinus, congruenter tamen ad geſta Conſtantii. Pervulgatum quippe eſt, eum cognomine Sarmatici geſtientem atq; gloriantem anno CCCLVIII. Sirmium rediiſſe. Iterum autem diſſenſiones, iterum bella nationibus illis cum Romanis interceſſerunt; de quibus D. Hierony-

*Sarmatæ gladios pro diis habebant.*

*Ziza Rege Quadorũ & Sarmatarum.*

*Oſi, vel Jazyges ſervi Sarmatarum ad internecionẽ cæſi.*

*Quadorum &c. diuturnũ bellum cum Romanis.*

nymus jam grandis natu, imò ſenex ad Heliodorum ſcribens, multos complexus annos complurésque gentes, hiſce memorat: *Viginti & eò amplius anni ſunt, quòd inter Conſtantinopolim, & Alpes Julias quotidie Romanus ſangvis effunditur. Scythiam, Thraciam, Macedoniam, Dardaniam, Daciam, Theſſalonicam, Achajam, Epiros, Dalmatiam, cunctásq; Pannonias, Gothus, Sarmata, Quadus. Alanus, Hunni, Vandali, Marcomani vaſtant, trahunt, rapiunt.* Taliter Hieronymus. Similia his recenſet Am̃ianus (Lib. IX.) Imperatoribus Valente & Valentiniano. De cetero deleto in Pannonia, & vicinis provinciis Romano nomine, & genere populi quoq; illi, de quibus egi, Marcomani, Quadi, & Sarmatæ vocari deſitiſunt; Sclavi deinceps plurimùm cognominati. Quadorum & Marcomanorum oppida à Germaniæ oppidis Ptolemæus non diſtingvit, videtur tamen Marobudum convenire Velehradio in Moravia, Eburum in Ungaria vaſtis ruinis ſub monte Germanicio, qui

*Marobudum oppidum Marcomanorũ. Eburum oppidum Quadorum.*

Zoli-

Zolienſes à Turocienſibus diſtrahit. Solum quippe hujus, ùt exponit Joannes Maginus Europæ Tabula IIII. cum gradibus longitudinis & latitudinis, à Ptolemæo ſignificatis, conſentit. Et ſanè multum vetus rudus partim per ampliſſimum ſpatium diſperſum congeſtúmve, partim humo contectum magni quondam oppidi indicium facit. Situm fuit Eburum plano & æquo loco. In ſuburbiorum ejus ruinis videtur poſita eſſe Stubna, villa thermis ſalubribus nobilis. In hac opera quædam ſubterranea non pridem reperta eſſe, fama fert; pluresq; olim thermarum fonticulos, plures cellas caldarias, & balnearia inibi fuiſſe, curioſi rerum obſervatum habent. De oppidis denique Sarmatarum, qui cum Quadis & Marcomanis in Romanos inſultabant, nihil ferè ſuccurrit. Nam & pauca Ptolemæus attigit, & à Quadis procul remota, eâ forſitan causâ, quòd ea gens variis conſiſtebat locis, neq; tam oppidis condendis, quàm bel-

*Sarmatarũ Quadis vicinorum ſedes.*

liſgerendis intenta erat. Quocirca Statius modò vagos, modò mutatores domorum hos Sauromatas vocat. Non tamen omnino incerti ſedium fuerunt, quia Romanis ſæpe ſigna inferebant, bellúmque trahebant. Carrodunum, quod Ptolemæus Germaniæ aſcribit, Petrus Apianus judicat eſſe Cracoviam. Si regiones cœli, à Ptolemæo deſcriptas expendas, dices haud perperam illum arbitrari. Ante Cracum ergo, qui (ùt fertur) circa annum Chriſti ſeptingenteſimum regnavit, initia quædam urbis illius fuerint. Finio cum Statio, qui nolens rem Romanam elevare, & nomen gentium, quibuſcum deſidioſus Domitianus ſe decertare verbis oſtentabat, celebrare non auſus, ſcribit, imò cōminiſcitur, cum victis Cattis ictum eſſe fœdus, Dacis montes conceſſos, Marcomanos & Sarmatas non fuiſſe triumpho dignos. Ita profectò, nam populi hi eo tempore vix bello petiti, nedum ſuperati fuerunt. Carmina illius Poëtæ hæc ſunt:

*Carrodunum Cracovia putatur eſſe.*

*Hæc*

*Hæc eſt quæ victis parcentia fœdera Cattis,*
*Quæque ſuum Dacis donat clementia montem,*
*Quæ modò Marcomanos poſt horrida bella, vagáſq;*
*Sauromatas Latio non eſt dignata triumpho.*

*De Sarmatis &c. Statii verſus fucoſi. Silvarum Lib. III. in lachrymis Hetruſci.*

# CAPUT XV.

## *De Dacia.*

JAzygibus jungebantur *Getæ, Daci Romanis, aliàs Sarmatæ, Græcis Sauromatæ*, ùt in Hiſtoria Plinius. Non igitur illi, ùt nonnulli rentur, Getæ, qui ad Pontum, & ortum ſolis habitabant; illi verò qui ad occaſum colebant, Daci: ſed univerſa gens Getæ, Daci, Sarmatæ, & Sauromatæ appellati. Non eſt audiendus Strabo, qui literis mandavit, Getas circa Danubii oſtia ſedes habuiſſe: Dacos verò juxta fontem Danubii in Germania: utriuſq; tamen gentis eundem ſermonem. Quaſi verò Ovidius, qui in exilio ſuo Tomitano *didicerat Geticè,*

*Dacorum appellatio.*

cè, *Sarmaticéq; fari*, didiciſſet etiam Germanicè loqui. Zamoſius nimius antiquitatis Dacicæ ſcrutator, opinatus eſt, Daciam olim vocatam fuiſſe Daniam, ſive Daviam propterea, quòd plura oppidorum Daciæ in Syllabas *dana* & *dava* exiverunt. Sed inde nihil aliud conficitur, niſi Dacos Sarmatas fuiſſe: illæ enim vocabulorum terminationes Sclavis familiares ſunt. Daci antequam ſubjungerentur ſub imperium Romanorum, ſæpè eorum fines quà incurſionibus & latrociniis, quà aperto bello cum Jazygibus vexabant. De excurſionibus Getarum ſæpiculè queritur Naſo: quòd verò ſimul cum Jazygibus infeſtũ myoparonibus Iſtrum habuerint, declarat illis verſibus;

*Dacia non fuit Dania appellata.*

*Jazyges & Colchi, Metereáq; turba, Getæq;,*
*Danubii mediis vix prohibentur aquis.*

*Triſt. Lib. II. ad Auguſt. Cæſar.*

Vivente adhuc exule illo, & ſpiritum ægrè ducente, gravi ac periculoſo bello perculit Romanos, opem auxiliúmq; ferens Pannoniæ, dum

dum ab Romanis ſubigebatur, Cotiſo Princeps Dacorum: ipſámq; adeò perturbavit Romam, ut Horatius lugens carmen iſtud fuderit: *Penè occupatam ſeditionibus delevit urbem Dacus* ( *Lib. III. Ode VI.*) ſed poſtquam Cornelius Lentulus, Auguſti legatus, tres duces Dacorum præliis fregit, lyrâ ſua lætiùs ſic inſonuit: *Mitte civiles ſuper urbe curas, occidit Daci Cotiſonis agmen. Ode VIII. ad Mecæn.* ) Non tamen propterea incurſionibus premere deſinebant Daci Romanos. Quotiescunq; enim glaciabatur Danubius, toties auctore Floro, infeſti ferebantur in Mœſiam, atq; Pannoniam. Quapropter neceſſitati parens Auguſtus, commeatus locavit Sirmii ac Segeſtæ, præſidiíſq; oram Danubii munivit. Et quanquam cæſo Boëribiſta Rege, fuſis ac diſſipatis per Vibium Sarmatis, Daciam Ripenſem occupavit, bellum tamen profligare non potuit. Imò verò non multò pòſt Daci de ripis ſuis Romanos deturbaverunt, & Imperium obtinentibus Tiberio, Cajo,

*Sirmii & Segeſtæ annona Romanorum.*

*Boëribiſta R. Dacorũ cæſus à Romanis.*

Cajo, Caligula, Nerone, Galba, Othone, Vitellio, Veſpaſiano, Tito, Domitiano annis ampliùs octoginta continuis manus cum Romanis conſerebant. Domitianus deniq;, homo ignavus, Romanos ſuos ſub Oppio Sabino, & Cornelio Fuſco militantes Dorpaneo regi concidendos reliquit. Quin majores in anguſtias compulſus, eidem in annos ſingulos vectigal pendebat. Hiccine verò fuit Domitianus, qui edicto ſanxerat, ut DEus ab omnibus ſalutaretur; qui Romæ de Dacis victoribus triumphavit, ridente Senatu incredibilem hominis delirationē. Tractabant itaq; Daci dextrè ac naviter artem armorum. Nec tam turpe illis fuit mitti ſub jugum gentis, quæ mundum ſubegerat, quàm pulchrum eam ipſam rurſus vincere, propulſare, & ſtipendiariam habere. Super hæc fuiſſe Dacos humanitate politos, Græcarúmq; literarū non expertes, docet nuṁus Decebali, Græcis notis ſignatus. Regionem interiorē ornabant urbes permul-

*Dorpaneus R. Dacorum Romanos in Dacia delet.*

*Domitianus Imp. Vectigalis Dacis.*

tæ atq; amplæ: quocirca jus & æquitatem colebant. Atq; hæc fuerint inſtituta nationis. Fines terræ, ùt oſtendit Claudius Ptolemæus (*Geographiæ Lib. III. Cap. VIII.*) ſatis lati fuerunt. Ab occidente Tibiſco, à meridie terminabatur Danubio usq; ad Axium, Mœſiæ inferioris oppidum. Ab exortu ſolis à Mœſia inferiore diſtrahebatur Iſtro uſq; ad Dinogetiam oppidũ; præterea Hieraſo fluvio, qui juxta id oppidum Iſtro infunditur, & non procul à fluvio Tyra ortus, ab Aquilone in orientem fertur: poſtremò à Sarmatia dividebatur extremis Carpati jugis, & prædicto flumine Tyra, qui hodiè Neſter vocatur. Ubi terrarum maximus Europæ fluvius nomen Iſtri accipiat, nonnihil diſſident inter ſe auctores. Strabo inde à fontibus uſque ad cataractas, quà per Dacos veteres, & Mœſos fluit, Danubium vocari dicit. Sunt autem hæ cataractæ ſupra veſtigia pontis Trajani, imò & infrà illa: non autem ad Poſonium, ùt putavit Franciſcus Otro-

*Dacorum inſtituta.*

*Daciæ termini.*

*Hieraſus amnis finiens Daciam.*

*Tyras fluvius eandem terminans,*

*Ubi Danubius nomen Iſtri accipiat?*

*Cataractæ Danubii.*

Otrocotſius. Non multum à Strabone diſſentit Plinius, qui flumen illud Iſtrum cognominari ait, ubi primùm Illyricum, id eſt, Mœſiam alluere incipit. Ptolemæus idem nomen illi tribuit usq; ad Axium oppidum, ubi maximè curſu ſuo ſe ad ſeptentrionem vertit. Straboni definitè loquenti plurimum tribuendum cenſeo. Flumina regionis notiora præter ea, quæ modò dixi, in Danubium cadentia, Tibiſcus communis Jazygibus, & Dacis in Carpato habens ortus; Abiſtus, hodie Niger (*Tscherna*) Rhabon vel Catarhabon, hodie Schilus. Aluta, antiqvum retinens nomen, à Carpato mediam ſecans Daciam, infraq; Ciabrum Mœſiæ Danubio, vel Iſtro ſe ſe infundens. Præteriit Ptolemæus Marin, vel Marum, clarum Scytharum amnem, de quo tamen non ſilet antiquiſſimus ſcriptorum Herodotus, cùm adhuc Scythæ, qui penitiſſimam Daciam tenebant, Agathyrſi appellarentur. Nil tamen peccavit Ptolemæus, quia illos dun-

*Tibiſcus amnis dividens Dacos à Jazygibus Metanaſtis.*

*Daciæ fluvii interiores Abiſtus, Rhabon, Aluta.*

*Marus fluvius.*

duntaxat amnes attingere voluit, qui terminabant Dacos, aut ex iis prorumpebant. Oppida florentiora regionis apud eundem ſcriptorem ſunt, *Rhuconium, Docirana, Paroliſſum, Arcobadara, Triphulum, Patridana, Carſidana, Petrodana, Ulpianum, Napuca, Patruiſſa, Salinæ, Prætoria Auguſta, Sandana, Auguſtia, Utidana, Marcodana, Ziridana, Singidana, Apulum, Zermizirga, Comidana, Rhramidana, Pirum, Zuſidana, Paloda, Zuribara, Liziſis, Argidana, Tiriſcum, ſive Taros, Zarmizegetuſa, Regia, Hydata, id eſt, Aquæ, Netindana, Tiaſum, Zeugma, Tibiſcum, Dierna, Acmonia, Druphegis, Phrateria, Pinum, Amutrium, Sornum.* Hæc nomina apud plures ſcriptores, quia è diverſis exemplaribus ſumpta ſunt, variè immutata videbis; quæque hìc ſyllabis *Dana* finiuntur, alibi ſyllabis Dava terminari. Omnium eorum oppidorum ſola exquirere atq; indicare, non longum tantùm, ſed etiam factu difficillimum. Ne nihil egiſſe videar in re tam ardua, támq; involuta ſeqvar auctores, qui

*Daciæ oppida.*

qui ante me quædam in Tranſſilvania retexerunt. Sarmizegethuſam regiam modò junctim, modò ſeparatim veteres ſcribebant, & interdum cum *diphtongo* Sarmizægethuſam. Nihil aliud ſignificâſſe videtur, niſi urbem Getuſam à Sarmize conditam. Reperti enim ſunt aliquando in Tranſſilvania numi Regis Sarmizis. Zamoſcius Sarmizegetuſam quondam Ægethuſam à conditore Ægeo rege dictam putavit. Interluebat urbem fluvius Sargetia, hodie Strigus Maruſium petens, ùt auctor eſt Joannes Tröſterus in Geographia Tranſſilvaniæ. Nondum ſatis innotuit poſitio ejus *Geographis*. Hodie aliis appellatur Arcis locus ( *Várhely* ) aliis Sclavonico vocabulo Gradiſchca. Zamoſcius in valle Hatſegienſi ( *Hátszeg*) in qua jacebat Sarmizegethuſa, ex multis ruinis conjecit, plura fuiſſe oppida, intérq; illa Sergidavam vel Singidavam, proximam Sarmizegethuſæ, deinde Petovium, ac Volmerium infra confluentem Sargetiæ & Maruſii: addítq; Volmerium no-

*Sarmizegethuſa varii ſcribendi modi.*

*Sarmigezethuſa Urbis regiæ Daciæ ſitus.*

*Strigus fluvius.*

*Sergidava. An Petovium fuerit in Dacia?*

nomen traxiſſe ab rege priſco Valamiro; unde juga quoq; illa montium, quà eluctatur flumen Sargetia, cognominata ſint. Invenit autem ea oppida in inſcriptionibus, quas ipſe in lucem extraxit. An autem revera Petovium quoddam, itémq; Volmerium fuerit in Dacia, dubium controversúmq; eſt, ſiquidem ex inſcriptionibus illis id non videtur conſici. Idem enim vir poterat eſſe *auri luſtralis coactor* in Dacia, & curator civitatum *Volmerii, & Petovii* in alia provincia: atque adeò Tordenſis inſcriptio imbecilla eſt ad probandum: epitaphium autem Creſcentis, & Floræ apertè contra Zamoſcium facit, quia Floram Petovii eſſe defunctam declarat. Non enim moris erat Romanorum, ut in epitaphiis exprimerent locum, ſi in eo ipſo quis fato conceſſit, in quo vitam tranſigebat. Volmerii deniq; montes à Valamiro Gotho cognomen poſtea acceperint, venio ad poſitus locorum. Joannes Antonius Maginus videtur ſtatuere Rhuconiũ *Rhuconium Ptolemæi ubi?*

 apud

*Rudna veteres aurariæ.*

*Radnenſis aditus in Moldaviam Tartaris notus.*

*Ulpianum Ptolemæi ubi?*

*Amutrium*

*Auguſtá Prætoria.*

apud Radnam, vel Radvanum extremum ſedis Biſtricienſis, vel provinciæ Dobocenſis pagũ, ſub Carpato ſitum, ubi certa ſigna oppidi & aurariarum. Traditum eſt, anno CIƆCCXLII. quadraginta millia metallicorum à Tartaris eo in loco cæſa eſſe. Eſt inibi anguſtiſſimus aditus in Ruſſiam, & Moldaviam, per quem anno CIƆIƆCCXVII. ingreſſi ſunt rurſus Tartari in Transſilvaniam, impunéq; hominibus in ſervitutem abſtractis, ac tractibus aliquibus Transſilvaniæ, atq; Hungariæ evaſtatis, in aditu provinciæ Maramaroſchienſis à Valachis perterrefacti, magnam partem prædarum captivorúmq; amisêre. Sed ut ad Maginum redeam, locat is Ulpianum ſubter Rhuconium, ità ut Biſtritio quadrare videatur. Ad oſtium Alutæ amnis ſignat Amutrium: ultra Salinas orientem versùs propter eundem amnem Auguſtam Prætoriam. Amutrium itaq; congruere videtur Miconis arci (*Mikovára*) in Sede Tschikienſi, Auguſta Prætoria Foro Kezdienſi, (*Kez-*

(*Kézdi Váſárhely*) Et hæc quidem ſatis aptè conguentérq; ad poſitiones locorum. Eſt in hac parte Daciæ mons metallifer, ab Aquilone in Auſtrum porrectus, Albâ Juliâ, vel Carolinâ duobis millibus ad occidentem ſemotus, Caprinus Lapis (*Ketskekô*) nuncupatus; in ejus radicibus, quæ Albam ſpectant, ſunt ruinæ cujusdam oppidi. Zlatnam quaſi Auratam pleriq; nominant ex verbo Sclavonico, quod aurum valet. De hac, ſicut & de pluribus, jurgium eſt inter ſcriptores. Zamoſius jam pridem exiſtimavit, eam fuiſſe Zermizirgã Ptolemæi, at auctor *Aurariæ Romano Daciæ*, cenſet eſſe Patroiſſam, rationem ducens ex propinquo ruinis pago Valachico Petreſano: auctor deniq; *Veteris Daciæ*, quam emiſit Claudiopoli añno CIↃIↃCCXXV. autumat, fuiſſe coloniam Perendaneſiorum, quam Panvinius ex Ptolemæo deprompſiſſet. At Ptolemæus ſilet de coloniis: ad ejus enim aures, dum ſcribebat Geographiam, nulla fama pervenerat de

*Zlatnæ quod antiquum nomen tribuendum? diſſenſiones ſcriptorũ.*

*Zermizirga Patroiſſa.*

*Colonia Perendaneſiorum.*

conſtitutis in Dacia Romanorum coloniis, alioquin id nequaquam tacuiſſet. Veniunt & alia in controverſiam loca. Plures rerum Transſilvanarum ſcriptores ex via Annia arguunt, Annium, Romanorum oppidum, mutatum eſſe in Ennedium (*Enyed*) Comidavam in Deſchium (*Dés*) Decidavam in Devam. Verùm Annium, & Decidava non inveniuntur apud Ptolemæum, & haud ſcio, an apud quenquam alium. Repertæ ſunt tamen iis in locis Romanæ inſcriptiones. Comidavam Ptolemæus locat ſub II. gradu longitudinis; quapropter non poteſt attribui Deſchio. Fatendum tamen eſt, auctoris illius computationes à vero interdum deficere. Nam, ut alia omittam, Apulum ſtatuit ſub gradu longitudinis XLIX. Sarmizegethuſam verò, quæ magis ad orientem ſpectabat, ſubjecit gradui XLVII. Quam ob cauſam Joannes Maginus Tiriſſum, quod apud Ptolemæum ſubjacet gradui longitudinis XLVIII. malè ſtatuit ultra Sarmizegethu-

*Annium, Comidava.*

*Decidava.*

*Comidava.*

ſam,

ſam, ubi conveniebat ſtatuere Hydatam: hoc enim ordine ab eodem auctore efferuntur, Tiriſcum, Zarmizegethuſa, Hydata: Hácq; ratione Tiriſcum congruet Devæ, vel alteri loco illi vicino. Propter eaſdem deſignationes, non ſatis explicitas, de aliis quoq; locis Ptolemæus dedit recentioribus ſcriptoribus anſam diſſentiendi. Quot enim vel de una Claudiopoli ſententiæ? Jacobus Sponius, & Thomas Reineſius apud Cellarium cenſent, eam eſſe Napucam; Joannes Hortilius apud Maginum Zeugma; Antonius Bautrandus Patruiſſam. Nihil de honore auctoritatéq; ſcriptorum eorum detractum volo, à quorum opinionibus recedam. Albam Juliam, ſive Carolinam ſucceſſiſſe Apulo res adeò celebris ac pervulgata eſt, ut ne recenſenda quidem videatur. Sarmizegethuſæ quoq; locus, nulli eruditionis ſtudioſo poteſt eſſe ignotus. Zermizirgam in ruinis Zlatnæ bellè ſtatuiſſe videtur Zamoſius: ſiquidem Apulo eam ſubjicit Ptolemæ-

*Tiriſcum.*

*Claudiopolis quodnam oppidum veteribus fuerit? opiniones.*

*Apulum.*

*Sarmizegethuſa.*

*Zermizirga.*

mæus parùm diſcrepante utriusq; deſcriptione. Si Torda Salinis reſpondet, ùt eruditis placet, Napuca in Novam arcem, quæ à Samuſio nomen habet, Patruiſſa in Claudiopolim abierit. Hæc enim tria, & finitima, & eidem ferè cœli poſitioni ſubdita fuiſſe, oſtendit auctor. Expenſis præterea ejus deſignationibus, & ordine, quo oppida digerit, Docirana cum Deſchio, Paroliſſa cum Regenio, Marcodana cum Schegeſchvaro, & Ziridana cum Cibinio conſentire videtur. Convenienter quoq; ad deſcriptiones Ptolemæi Cellarius Zeugma locandum judicat, vel ad Maruſium, vel ad Sargetiam amnem, antequam is Maruſio illabatur. In tantis porrò tenebris danda eſt venia Cellario, viro eruditiſſimo, quòd Maruſium cum Rhabone confuderit. Atque hæc de oppidis antiquis nobilioris Daciæ ſcribenda occurrerunt. Ad cætera perquirenda curſu lampada aliis trado.

*Napuca. Patruiſſa.*

*Docirana. Paroliſſa, Marcodana. Ziridana.*

*Zeugma.*

CA-

# CAPUT XVI.

## *De Dacia Romana, & ſacra.*

*Daciam ſubigit Trajanus victo Decebalo.*

TRajanus Imp. ut maculam ſocordiâ Domitiani Romano nomini inuſtam deleret, Decebalo, qui ex rebus geſtis magnos ſpiritus ſumpſerat, majore animo bellū denunciavit, quod etiam illuſtri victoria confecit anno à Chriſto nato CII. dum eſſet tertiùm Conſul. Eáq; res certiſſimis Daciæ monumentis ita teſtata eſt, ut de año, quo geſta eſt, nemo prudens ambigere poſſit. Traditur, pugnatum fuiſſe collatis ſignis in Campo Cruciato (*Keresztes-Mezö*) quod Pratum Trajani Valachi vocant. Nec Romanis incruenta victoria fuit. Cùm alligandis vulneribus panni linteoláq; non ſuppeditarent, ne officio deeſſet Imperator, veſtem ſuam concidit, ſauciísq;, quantum in ipſo erat, ſubvenit. Eorum verò manibus, qui in prælio utroq; ceciderunt, inferias quotannis dari juſſit. Decebalus

*Trajani Imp. in ſaucios caſósque officium.*

*Decebalus Trajano ſupplex.*

lus ex fuga retractus, ad pedes victoris accidit, ut in vita ſervaretur, vectigaliſq; fieret, obtinuit. Verùm inſvetus ſerviendi, vel necem, vel calamitatem Trajano biennio pòſt, juncto jam ponte Danubio, machinatus eſt: id facinus in lapide inciſum, miles quidam publicavit tali inſcriptione: *Quantum abfuit, ne Roma lugeret. Sed vivit Trajanus. Væ tibi Decebale!* Perfidiâ itaque Daci commotus Imperator, odium hoſtile in eum concepit, injuriámq; armis ulciſci ſtatuit. Non imparatus quidem erat Dacus, ſed artibus belli inferior, nec par Romanis. Multis igitur è numero ſuorum occiſis, captis, reliquis diſſipatis inter fugiendum, ne in poteſtatem hoſtis veniret, manus ſibi attulit. De cujus morte violenta, etiamſi omnes tacuiſſent ſcriptores, loqueretur tamen ſaxum illud, cui inſcripti ſunt, aut certè fuerunt verſus hujuſmodi: *Victoriæ Augusti. Nonne tibi dixi Decebale, funeſtum eſt Herculem laceſſere. Non rectè feciſti, tua ipſe quòd jaces manu.*

*Decebalus inſidias ſtruit Trajano.*

Sed

*Sed te utcunq; vicit Cæſar. Titus Sempronius Augur Auguſtalis.* Pugnam & victoriam in ſaxum inciſam Romani in publico propoſuerunt: Dion Caſſius accuratè deſcripſit. Ad rem quoq; pertinet Statii illud carmen: *Silv. Lib. III.*

*--- cùm prima truces amentia Dacos*
*Impulit, & magno gens eſt damnata triumpho.*

Cæſis profligatíſq; Dacis urbibus atq; oppidis, eorum nullo negotio potitus eſt Trajanus. Regionē provinciam appellavit. Ipſe verò re ex ſententia confecta Romam profectus triumphum habuit, Dacicíq; cognomen à perdomita Dacia invenit; ſed in Dacia milites Parthici honore illum dignabantur. An theſauri Daciæ ipſo adhuc in ea regione commorante retecti ſint, non omnino liquet. Poterat enim etiam illo abſente, monumentum, quod ſequitur poni: *Jovi Inventori, Diti Patri, Terræ matri detectis Daciæ theſauris Cæſar Nerva Trajanus Aug. ſacrum poſuit.* Ex quo quidem monumento intelli-

*Daciam Trajanus iterum ſubigit.*

*Theſauri Daciæ vel Decebali reperti.*

gitur, theſauros è terra erutos eſſe, ſed ſubter alveum fluvii Sargetiæ reconditos fuiſſe non item: ſiquidem nulli ficto aquarum Deo gratia habetur. Auctori *Aurariæ* fabuloſi videntur hi theſauri. Venas æris ſolùm repertas retur. Non diſputo de vi verborum, ſed dico propter inventionẽ venarum non potuiſſe Romanos magna admiratione, & gaudio affici, utpote quos non latuerit, interiorem Daciam eſſe metalliferam; ſin id ignoraverunt, quivis è Dacis demonſtrare illis potuit auri, & argenti fodinas, fluminámq; aurifera. Majus ergo quiddam fuit, & inveſtigando repertum, quo Romani deſiderium ſuum expleverunt. Sed quid juvat de re nihili altercari? Omnem Daciam qualiter à Ptolemæo deſcribitur, à Trajano domitam fuiſſe tum credam, ſi in Moldavia, & finitimis Romanæ antiquitatis veſtigia reperta fuerint. Nunc exiſtimo, fines Romanorum in hac regione fuiſſe Carpatum, Danubium, Tibiſcum ad oſtium, & Alu-

*Samuel Köleséri.*

*Dacia tota non fuit à Trajano ſubacta.*

*Dacia Romana limites.*

& Alutam. Præfectorum namq; ripæ Danubii & Tibiſci, nondum evanuit memoria. Ferunt, in tres regiones tributam fuiſſe Daciam Romanam; nempe in Ripenſem, quam Danubius alluit, in Alpeſtrē ſive Tranſalpinam, ac in Mediterraneam ſive Transſilvanam. Monumenta quædam exhibent provinciam Colliam quæ appellatio convenit Tranſſalpinæ. Trajanus primam coloniam in penitiſſima Dacia conſtituit Sarmizegethuſæ, alteram Apuli; & hujus quidem non immutavit nomen; illam verò appellari voluit Ulpiam Trajanam. Ab his duæ provinciæ minores nomina habuerunt. Tertia ejus Colonia fuit Zernenſis, cujus meminit Ulpianus (*Lege I. de Cenſibus*) collocata, ùt credibiliter cenſet auctor *Aurariæ* in ripa Danubii infra pontem illum decantatum, ubi hodie eſt Tschernecium, vel Severinum (*Tsernetz*) terminus Hungariæ. Conſtituta ea colonia erat cùm propter cuſtodiam pontis, tum præcipuè propter aurum, argen-

*Daciæ Romanæ diviſio.*

*Provincia Collia in Dacia.*

*Provinciæ Apulenſis, & Sarmizegethuſæ, eadémq; colonia.*

*Zernenſis Colonia.*

argentúmq; factum atq; infectum Siſciam, aut in Italiam tutò deportandum, ùt idem auctor arbitratur. In porta aquaria Coloſchvarii, ſivè Claudiopoli inſcriptio oſtendit, eo in loco fuiſſe municipium, in quo milites conſtitiſſent: in ædibus verò quondam Dominicanæ, nunc Franciſcanæ familiæ, altera inſcriptio indicat, fuiſſe Coloniam VI. Trajani. Si illi, qui primi oppidulum Ovarienſe ex veteri rudere conſtruxerunt, marmora & ſaxa cum inſcriptionibus non confregiſſent, neque arenato obruiſſent, plura profectò effatu digna paterent. Dio quatuor colonias in Dacia numerat, Ulpiam Auguſtam, Aquarum Vivarum, Apulenſem, & Perendaneſiorum. Verùm quia inſcriptioni Claudiopolitanæ fides abrogari non poteſt, ſenas minimùm in Dacia Colonias extitiſſe, neceſſe eſt. Perendaneſiorum, Ulpiam Trajanam, & Zernenſium juris fuiſſe Germanici Italici, produnt *Pandectæ* Juſtiniani, & Ulpianus. Populi Perendaneſii

*Claudiopolis municipium, & Colonia ſexta Trajani.*

*Dioni IV. Coloniæ in Dacia. Reipſa ſex.*

iidem

iidem fuerint, qui apud Ptolemæum appellati ſunt Perendavenſii. Johannes Trȏſterus in *Antiqua*, *&* *Nova Dacia* leviter opinatur, ibi eſſe querendas collocandáſq; Aquas Vivas, ubi hoc tempore eſt vicus Aureus Fons (*Arany Kút*) dictus. Adjacet is lacui cuidam, & cum Claudiopoli, Nováq; arce Samuſia reddit triangulum. Venio ad vias, quas Romani in Dacia mediterranea ad commoditatem commeandi complures ſtraverant. A Sarmizegethuſa duæ tendebant; altera in provinciam Colliam Danubium versùs usq; ad alpes, altera per oram Sargetiæ, & Maruſii usq; ad Apulum inde Salinas; ab his trans Marum decurrebat unà ad Forum Siculorum (*Maros Váſarhely*) altera Claudiopolim versùs. A Foro Siculorum inſuper una vergebat ad orientem, cujus reliquiæ advertunt euntes Michazam. Vulgus imperitum cacodæmoni opus tribuit. Magnificentior ceteris erat, porrecta ab Ulpia Trajana ad Apulum, utpote quadrato ſaxo compla-

*Via Romana in Dacia.*

pla-

*Viæ illæ Clodia, Annia, Caſſia, Geminia, dictæ.*

planata. Nomina illarum erant, Clodia, Annia, Caſſia, Geminia. Patefecit ea monumentum Corneſchdienſe. Sed quæ Annia, quæ Clodia fuerit, quis enodabit? quando potiùs ab auctoribus, quàm ab oppidis nomina traxerunt. Quare qui ante me ſcripſerunt, omnibus illis viis mihi errâſſe videntur.

*Claudiopolis non eſt à quoquam Claudio Imperatore.*

Quis enim illis aperuit, Clodiam fuiſſe Claudiopolitanam, propter quam etiam Coloſchvarum vocavêre Claudiopolim. Magis autem à recto tramite deflectunt illi, qui Claudiopolim à Claudio quodam Imperatore conditam eſſe aſſerunt.

*Claudiopolis ante quadringentos annos ab Hungaris appellabatur Clus, deinde Cclus, & Coloſvarinum.*

Claudio enim primo Principe Dacia ſui juris ac mancipii erat: altero verò Imperatore opes Romanorum in Dacia magnopere inclinabant, ipséq; exiguo, quo clavum imperii tenuit tempore, domandis tyrannis diſtinebatur. Enectus enim eſt peſtilentiâ Sirmii anno Principatûs altero nondum completo poſt Chriſti natalem CCLXX. Claudius III. ejus frater tantùm ſeptenûm denûm dierum Imperator fuit.

fuit. Hic certè ne materiam quidem ædificando oppido convehere potuit: ſed neq; opùs erat, quia jam ætate Trajani ſtetit. Ut ut hæc fuerunt, tamen Coloſchvarũ (quondam Hungaris Cluſchum vocitatum) annum circiter cIↃIↃC. abiit in Claudiopolim. Tranſeo viam Anniam, quâ plures inducti ſunt, ùt crederent, Eñedium fuiſſe quondam Annium. Non prætereundum illud, quòd Romani ad propagandum Deorum ſuorum cultum Pontifices, Sacerdotes augurésq; in Dacia conſtituerint. Quod ùt perſpicuum fiat, non pœnituerit unam inſcriptionem ex Germanico Joann. Trôſteri libro, de quo jam memini, depromere, quæ quidem talis eſt: NUMINI ÆSCULAPII C. (*Cajus*) JULIUS METROPOLITANUS II. COL. SARM. (*ſecundæ coloniæ Sarmaticæ*) SACERDOS DEI EJUSDEM PONTIFEX Q. Q. (*Quirinalis*) II. VIR. COL. (*Duum vir Coloniæ*) APULI EX VOTO. Plures ejuſmodi inſcriptiones apud eundem Trôſterum invenies. Verùm

rum & Æſculapium, & ceteros De-
os, ſacerdotéſq; eorum unus Mars

*Romanos in Dacia impugnabant finitimæ gentes.*

Sarmaticus expulit, exegit, exterminavit. Sæpe enim in interiore Dacia veterum poſſeſſorum progenies adſcitis in ſocietatem belli propinquis Sarmatis cum Romanis acie dimicabat, ùt oſtendit ſequens monumentum: *Aulus Criſpus è tribu Volitina præfectus legionis XIII. geminæ pontem, bellorum injuriâ & amnis violentiâ diruptum populo plebíq; Sergidavenſi reſtituit.* Fuerit autem Sergidava vicina Sarmizegethuſæ. Turbato per tyrannos Imperio, ad extremum tam gravibus, támque

*Romani excedunt Daciâ; ex Mœſia Dacias fingunt, & quot?*

præſentibus periculis cincti fuerunt Romani in Dacia, ut de ea retinenda deſperârint, præſidiáq; oppidis deduxerint, ac in Mœſiam trans Danubium traduxerint; ubi quidem primùm geminas, deinde quinas appellaverunt Dacias, Mediterraneam, Ripenſem, Mœſiæ primam, Dardaniæ, & Prævalitanam. E quibus una fuit Conſularis, altera Salutaris, Præſidiales tres. Inciderit ea Romanorum transportatio

tio in añũ à Chriſto nato CCLXXIII. antequam in Zenobiam moveret Aurelianus, niſi jam antea Imperatoribus Valeriano, & Gallieno, quod verius videtur, eam provinciam deſeruiſſent ob conjurationem Flavii Claudii, exercitûs Dacici ducis. Antequam in Mœſiam Romani transmigrarent, Gothi plures è Scandinavia, ſive Gotlandia egreſſi in Daciam Borealem penetravêre, præſidiiſq; eam ſubinde occupavêre. Natio Romanis formidabilis, atq; exitialis. Quippe mortuo Flavio Claudio Imp. qui ferocitatem ejus fregerat, ad id loci ventum eſt, ut Romani ſtipendiarios ſe eſſe, mirati ſint. Anno deinde CCCXXX. cùm Conſtantinus M. Conſtantinopoli, novæ illi Romæ ſtruendæ intentus eſſet, magis divexare ac diripere cœperunt Mœſiam & Pannoniam. Bellum idcirco eis intulit, quod ut faciliùs adminiſtraret, Trajanum imitatus, pontem impoſuit Danubio. Ducebat exercitum Ovinius Gallicanus Conſul, cultor fictorum Deorum;

*Gothi è Scandia egreſſi Daciam occupant.*

*Romani illis mox vectigales.*

*Gothi in Dacia vincuntur ab Ovinio, qui Chriſto militare incepit.*

qui amiſſa magna parte exercitûs votum feciſſe perhibetur, Chriſtianum ſe futurum, ſi victoriam conſequeretur. Vicit, votúmque perſolvit. Euſebius prodit, cum cunctis Scythis hoc bellum geſtum fuiſſe, Zoſimus cum Scythis Thayphaiis. Verùm Græci ſcriptores omnes nationes ſeptentrionales etiam Germanicas Scythicas appellare conſveverunt. Sozomenus tamen, & ipſe Græcus, Sauromatas, & Gothos nominat, D. Hieronymus tantummodo Gothos: cui ſuffragantur numi in altera parte illis ſignati verbis, *Gothica Victoria.* Veriſimile tamen eſt, etiã Sarmatas præliis interfuiſſe. Reportatâ non incruentâ victoriâ Conſtantinus cum iisdem populis, ùt auctor eſt Sozomenus, fœdera pepigit, Romanósq; immunes tributo fecit. Rurſus Gothi anno CCCLXIV. vaſtitatẽ intulerunt Thraciæ, quo ipſo anno Sarmatæ, & Quadi diripiebant Germaniam; ſed & hi, & illi audito Valentis & Valentiniani Auguſtorum in Thraciam, & Pannoniam

*Cum quibus Scythis pugnaverint Romani in Dacia?*

*Fœdus Conſtantini cum Gothis.*

niam adventu pedem retulerunt. At de Gothis hoc loco ſatis. Mira autem Dei providentia in nationibus à ſeptentrione in occidentem atq; orientem demigrantibus enituit, quas ad caſtigandos Chriſtianos, abolendámq; inanium Deorum venerationem ſedibus ſuis exciviſſe videtur. Divum Andream Apoſtolum Scythis ſalutē ſempiternam annunciâſſe, extra controverſiam eſt: ſed quia duplex eſt Scythia; altera quidem Aſiatica, altera Europæa, an hanc quoq; peragraverit Apoſtolus, non ità conſtat. Ævo tamen Apoſtolorum, & naſcentis Eccleſiæ ad Pontum, quæ regio ſcriptoribus Græcis etiam Scythia appellatur, religionem Chriſtianam perveniſſe, demonſtrat Apoſtolorum Princeps in ingreſſu epiſtolæ ſuæ primæ. At hi Chriſtiani non fuerunt ſoboles Andreæ, ſed Petri. Temporibus autem Romanorum religionem ſanctam altiores egiſſe radices ex eo apparet, quia Concilio primo Nicæno, anno Chriſti cccxxv. undiq;

*D. Andreas Apoſtolus an fuerit in Scythia Europæa?*

*In Daciam jam olim religio Chriſtiana invecta.*

congregato interfuiſſe quempiam Scytharum, & Theophilum Gothorum Epiſcopos, Euſebius (*I. de Vit. VII.*) memorat. Divus quoque Hieronymus de propagatis latiſſimè Chriſtianis ſacris ſcribens, gaudet etiam Gothos, & Beſſos ſvaviſſimo Chriſti jugo cervices ſubjeciſſe. Beſſi, Ptolemæo Bieſſi, accolebant Carpatum. Poſteri eorum Ruſſi, & Raſcii. Auctor enim, qui ante Thurocium ſcripſit Chronica Ungariæ, Beſſos vocat populos illos, cum quibus Reges Ungariæ apud Savum bellabant. Poſt Theophilum Dacorum, & Beſſorum præceptor ſacer annaliũ monimentis celebratur Nicetas, Pontifex Romatianus; de quo Romani faſti ad VII. Idus Januarii taliter loqvuntur: *In Dacia S. Nicetæ Epiſcopi, qui feras & barbaras gentes Evangelii prædicatione mites reddidit ac manſvetas.* Quamvis autem domicilium habuerit in Mœſia, vel Dacia nova, tamen veteres quoq; Dacos in Philoſophia Chriſtiana erudire poterat. Siquidem Pagius (*To-*

*Beſſi & Gothi primùm Chriſtiani.*

*S. Nicetas Epiſcop.*

( *Tomo II.* ) año Chriſti nati cccxvi. *ex vita S. Theodoſii cœnobiarchæ*, quam reperit inter poſthuma opera Lambetii, refert, quaterna à Divo Niceta in ambitu ædium *monachorum* ædificata fuiſſe templa; in quorum primo laudes Dei Græcâ lingvâ perſonabant, in altero Beſſi Sermone ſuo divina præconia canebant, in tertio Armenii Numini ſupplicabant, in quarto ex corporibus hominum cacodæmones exigebantur. Huc ergo pertinet D. Hieronymi narratio iſta, *Beſſorum feritas, & pellitorum turba populorum, qui mortuos quondam inferis homines immolabant, ſtridorem ſuum in dulce crucis fregerunt melos, & totius mundi una vox Chriſtus eſt.* ( *Epiſt. ad Heliodorum* ) Nequit autem in dubium vocari, Beſſos fuiſſe veteris Daciæ incolas. Et Ovidio audacia, aut pugnacitate noti erant. De reliquo Nicetam ex Urbe revertentem D. Paulinus Nolanus Antiſtes proſecutus eſt iſtiusmodi lyricis modis:

*Græci Beſſi, Armenii monachi, quorũ pater erat Nicetas.*

*Tu Philippæos Macedûm per agros,*
*Per Tomitanam gradieris urbem,*

*Ibis & Scupos patriæ propinquos*
*Dardanus hoſpes.*

Ex quibus verſibus recentiores ſcriptores inferunt, Nicetam, neq; Macedonem, neq; Dardanum, ſed Myſum fuiſſe. Qui res Dacorum, & Mœſorum literis mandant, ſolent meminiſſe mortis, & ſepulchri Ovidii, hominis de re Poëtica bene meriti, ſed Veneris, cùm ætate floreret, ſacrificuli. Magna eſt de eo argumento varietas opinionum. Gaſpar Bruſchius exiſtimat, tumulo mandatum Sabariæ, in argumentum ducens quoddam epitaphium anno CIↃIↃVIII. in eo oppido repertum, quod Ovidio quondam poſitum fuit. Zamoſcius ſequitur Bruſchium, autumans ad levandum conſvetudine doctorum virorum exilii tædium Naſoni factam fuiſſe poteſtatem liberiùs latiúsq; digrediendi; cúmq; fortè eâ gratiâ Sabariæ verſaretur, improviſo morbo oppreſſum eſſe. Hæc opinatio eſt elegis Poëtæ diſſona, nullóq; veterum teſtimonio communita. Potuit autem illi Sabariæ ab amico

*Ovidii obitus & ſepulchrum ubi?*

co quoquam honorarium monumentum poni. Hunc enim morem non fuiſſe inuſitatum Romanis, auctor eſt Svetonius, dum ſcribit, Druſo ejuſmodi tumulum factum fuiſſe à militibus in Germania, cùm reliquiæ ejus Romam devectæ eſſent. Nonnulli eundem Poëtam Temeſchvari ſepultum fuiſſe opinantur propter ſimilitudinem quandam, quam Tomi præferunt cum Temeſchvaro. Silentio tranſeo ceteros conjecturâ magis aberrantes. Certius eſt, quod narrat Euſebius in *Chronicis*, nimirum defunctum eſſe anno Tiberii Cæſaris IV. à nato Chriſto XVII. Sepulchro verò illatum Tomis, oppido Mœſiæ inferioris. Amplo funere elatum, quod ei faciendum curaverunt Myſi Scythæ, refert Pontanus vir eruditiſſimus. Tomi, multo olim, ùt apparet ex *Martyrologio* Romano, ſangvine Chriſtianorum reſperſum oppidum, Ponto appoſitum erat in vicinia Iſtropolis, quæ & ipſa ſita erat ad Pontum, & primum Iſtri oſtium, quod Sacrum,

*Tomi urbs ubi?*

 vel

vel Peucen vocat Ptolemæus. Illud verò mirabile videtur, quòd procedente tempore monumentum Ovidii latum ſit trans omnia Iſtri oſtia. Cùm enim Stephanus Rex Poloniæ circa annum cIↃIↃLXXXII. in Podolia conſiſteret, noñulli ex ejus comitatu curioſiores longiùs ad Pontum excurrerunt, ubi prope Achillæam, quam Chiliam appellant, remota humo, Græcus quidam oſtendit eis monumentum lapideum, cui inſcripti ſunt ſex verſus de rebus, morte, & ſepultura Naſonis. Verſus eos, cui libitum fuerit veritatem exquirere, inveniet apud Michaëlem Ileltium in *Continuatione* Surii.

LI-

# LIBER II.
# DE HUNNIS
## ET
# HUNNOAVARIBUS.
## CAPUT I.

## *De Gothis inter ſe armis decertantibus, multis Chriſtianæ militiæ adſcriptis, Hunnorúmque adventu.*

ICto fœdere cū Romanis Gothi, aliquamdiu ab exteris hoſtibus tuti in Dacia, otióque inertiſſimo perfruentes inter ſe diſtracti, & commiſſi ſunt. Duo in ea natione tum obtinebant principatum, Phritigernus & Athanaricus. Phritigernus non bene firmus ab armis, impar proinde æmulo, Romano-

*Gothorum diſſidium in Dacia.*

*Phritigernus & Athanaricus Duces Gothorum.*

 rum

rum ſubſidium invocavit. Ut poſtulationem ejus Valens Imp. ex nunciis cognovit, juſſit continuò militem, quem in Thracia in ſtativis expeditum habebat, laboranti ſuppetias ire. Commiſſo deinde prælio, victoria penes clientem Romanorum ſtetit. Prælium in Dacia trans Iſtrum depugnatum fuiſſe, tradit Socrates. Non tamen propterea Gothi à mutua vexatione conquieverunt, multíq; Phritigernianorum poſtea pro Chriſto mortem oppetiverunt. Horum enim dux ut aliquid præſtaret, ex quo defenſor ipſius Valens voluptatem caperet, Chriſtianis ſacris cum populo ſibi parente imbui voluit; quod ægrè ferens Athanaricus multos ex eo occidit. Ariana ſubinde labe contactos fuiſſe hos Gothos produnt Sozomenus & Socrates. Cùm enim Ulphilas, Epiſcopus nationis, auxilia contra Athanaricum petiturus, Conſtantinopolim veniſſet, Conſtantinopolitani Ariani perſvaſerunt ipſi, ut cum Valente de divinis ſentiret.

*Valens Imp Phritigerno auxilio eſt.*

*Gothi occiſi propter Chriſtum.*

*Gothi Ariani.*

Ex

Ex eo tempore Gothos virus Arii hauſiſſe, conſentiunt ſcriptores. Fuerit Ulphilas homo natione Græcus, luculenter tamen Gothicæ lingvæ ſciens. Nam non ſolùm divinorum librorum monumenta in Gothicum convertit, ſed literas quoq; Gothicas invenit; quibus etiam Latini longo tempore uſi ſunt. Ante Ulphilã Gothos Chriſtianis præceptis à Theotimo eruditos fuiſſe, jam dictum eſt. Dum ergo Gothi inter ſe digladiantur, dum plures impura Chriſtiana ſacra accipiunt, adſunt Hunni, qui dimicationem dirimant, cunctaq; ſacra profanent. Tentaverunt primùm Alanos, ſed viros experti, manus ab iis abſtinuerunt. Añus, quo in maritimam Daciam ſe intulerunt, vix explorari poteſt; poſt exceſſum tamen Valentiniani majoris illos advolâſſe neceſſe eſt. Eo quippe tempore, quo adventum Hunnorum attingunt Hiſtorici, non amplius meminerunt illius Valentiniani. Geſta quoq; Gothorum, & turbæ, quas ſubinde con-

*Ulphilas Gothorum Epiſcopus literarum Gothicarum inventor.*

*Hunnorum adventus.*

citâ-

citârunt in Thracia uſq; ad exuſtionem Valentis minimùm duos poſcunt annos. Quare conſentaneum eſt, ferocem viribus gentem in eam provinciam adveniſſe, antequam annus poſt Chriſtum natum CCCLXXVI. ſe circumegiſſet. Oraculum de adventu ejus, & transmiſſione Iſtri *Uniæ tribuum*, quod in veteri rudere, cùm Chalcedonis antiqui muri ſubverterentur, repertum eſt; itémq; ululatus luporum, latratus canum, & ſolis exortus obſcuriores ac portentoſos, quales fuiſſe cenſet Franciſcus Otrocotsius, nihil moror. Siquidem Ammianus Marcellinus ea oſtenta jactans, utpote homo ſuperſtitionibus deditus, id unum ſtudebat, ut legentibus imponeret, & perſvaderet, veras fuiſſe haruſpicum vaticinationes, atq; adeò pium ac ſanctum multorum numinum cultum atq; adoratum. Quid enim aliud verba illa impii hominis ſonant? *Poſt multa enim, quæ vates auguréſq; prædixêre veridicè, reſultabant canes ululantibus lupis.* Præterea in oraculo

*Oraculum de adventu Hunnorum, ſive Unorum.*

culo

culo nomen Unnos indicans, apud unum omnino ſpriptorem invenitur; id verò valde dolebat Otrocotſio, oraculo multum tribuenti. Variè illud exprimunt hiſtorici, Socrates taliter:

*Sed quando Nymphæ roſcidam per urbem choream*
*Exultantes ſtatuent per coronatas vias,*
*Et murus ad conficiendum balneum firmum erit adjumentum,*
*Tunc ſanè innumeræ gentes variorum generum hominum,*
*Feroces ſplendidæ, malo munitæ robore,*
*Iſtri jucundè fluentis vadum cum bello tranſeuntes,*
*Et Scythicam perdent regionem, & Myſiæ terram.*
*Ubi verò Thraciam invaſerint cum ſpebus inſanis,*
*Ipſius certè vitæ finem ac mortem conſciſcent.*

Apud Ammianum verò verſus ultimi ſunt:

*Et Scythicam perdent regionem, & Myſiam terram.*
*Pœnémq; equitantem cum Celtis furentes invadent.*

Quæ

*Quæ fides habenda Oraculo.*

Quæ veritas ex diſcrepantia verborum erui poteſt? Quanquam autem exitus docuit, Pœones, vel Pannonios, & Myſos Hunnorum Gothorúmq; ferro penè abſumptos eſſe, tamen huic oraculo non major eſt habenda fides, quàm oraculis, quæ recenſet Herodotus: non tantùm ideo, quia de eo variant auctores, ſed etiam quia poſtremi verſus ambigui, & captioſi ſunt. Deniq; ut paucis finiam, ædificabantur eo tempore Conſtantinopoli balneæ, quo lapis ominoſus, ſi cœlo placet, eſt erutus.

# CAPUT II.

## *De regione, unde prodierunt Hunni.*

MUlta conjectant, multa diſputant, de hoc argumento Ungarici hiſtorici. Omnibus facem prætulit ad lapſum, qui primus Hungariæ annales conſcripſit. Pervolutarât is hiſtoriam Sozomeni, qui ſicut auditione rem accepit, ita poſteritati propa-

gavit. Narrat autem Sozomenus (*Hiſtoris Eccleſ. Lib. VI. Cap. XXXVII.*) Hunnorum gentem Thracibus, ipſisq; adeò Gothis incognitam fuiſſe, quanquam finitimi illi fuerunt, unóq; ſolùm lacu diviſi. Sed quia is lacus vaſtiſſimus, vadóque inſuperabilis videbatur, utriq; populi arbitrabantur, ultima ſe ſola terrarum, locáq; incolere; nec ultra quidquam eſſe aliud, niſi immenſas atq; interminatas aquas. Fortè autem eveniſſe, ut bos ab aſilo morſus, dum remedium malo quærit, lacum trajiceret; quem paſtor perſecutus ad adverſam ripam pervenerit, viſáq; habitabili regione, domum reverſus, populares ſuos de ea edocuerit. Idem Sozomenus auctor eſt, alios quosdam tradidiſſe, cervam venabulis Hunnorum exagitatam, viam illis per lacum commonſtrâſſe. Sic equidem ille. Demus verò Thracibus, & Gothis advenis ignotam fuiſſe gentem Hunnorum; omnibus autem nationibus incognitam fuiſſe, nationem, quæ trans Mæotin

*An Hunnis bos vel cerva oſtenderit tranſitum per Maotin.*

*Tanais fluvius diſtrahens Europam & Aſiam, ac Maeotis palus.*

*D. Hieronymus indicat regionem, ex qua Hunni egreſſi ſunt.*

tio agebat, credi non poteſt. Vetuſtiſſimi enim ſcriptorum Herodoti iſta verba ſunt: *Trans flumen autem Tanaim, non eſt regio Scythica, ſed prima Laxiorum Sauromatarum, qui à receſſu Mæotidis paludis incipientes incolunt tractum, qui ſpectat ad Aquilonem (Lib. IV. Hiſt.)* Improbabile eſt quoq;, terram Gothorum uſque ad Mæotin protentam fuiſſe. Si enim eos Thracia manentibus veteribus habitatoribus cepit, etiam ſola Dacia capere poterat. Bovem aut cervam, venatorésq; aut paſtorem transmiſiſſe paludē illam, cùm non conglaciârat frigoribus, quis ſapiens ſibi ad veritatem perſvadeat? Ea enim palus cùm per ſe latiſſima, tum verò multis magnisque fluminibus oppleta eſt. Quod animadvertens Anton. Bonfinius exiſtimavit eam, cùm ab Hunnis transmitteretur, congelatam fuiſſe. Hunnos accoluiſſe Caucaſum, ab eóq; monte multis itineribus progreſſos Mæotin qualicunq; via, & arte tranſiſſe teſtificatur D. Hieronymus. Locus ejus

jus eſt: *Ecce ſubitò diſcurrentibus nunciis Oriens totus intremuit: ab ultima Mæotide inter glacialem Tanaim, & Maſſagetarum immanes populos, ubi Caucaſi rupibus feras gentes Alexandri clauſtra cohibent, eruperunt Hunnorum examina, quæ pernicibus equis huc illuc volitantia cædibus pariter ac terroribus cuncta compleverunt ( Epiſt. ad Oceanum )* Longè ante ætatem magni Eccleſiæ Doctoris Ptolemæus Chunos in Sarmatia inter Baſternas, & Roxolanos collocavit, eosdémq; populos Strabo Urgos nuncupavit. Alii itaq; Hunni fuerunt Aſiatici, alii Europæi, at ejusdem originis. Nam Chunos & Hunnos, Urgos & Ugros, eandem nationẽ fuiſſe, affirmare nîl vetat Evagrius. *(L.III.C.II.)* tradit, Hunnos olim dictos fuiſſe Maſſagetas, quod de Aſiaticis accipiendum eſt. Ante adventum hunc primũ Hunnorum Aſiaticorum in terra Jazygum, & regione Barannienſi non potuiſſe habitare Hunnici generis homines, jam oſtenſum eſt. Non enim id latere poterat D. Hieronymum,

*Hunni duplices.*

*Urgi, Ugri, & Hunni iidem.*

*Hunni olim Maſſagetæ.*

mum, ceteróſq; ſcriptores. Quem antiquitatis cognitio delectat, noſſéq; cupit, quid priſcis & vetuſtiſſimis temporibns Hunni egerint? quas pugnas pugnaverint? quales veſtes ad ornatū corporis adhibuerint? quam rationem vivendi tenuerint? quàm ſcienter equitaverint? Volvat Hiſtoriam Herodoti de Scythis, qui antiquitus dominatu ſuo orientem preſſerunt, quique Darium totius Aſiæ viribus Scythiam edomare conantem ſinè prælio, ſinè ſtrage vicerunt. Inde, quod in præcipua commendatione ponendum, *viginti annis orientem tenuêre captivum, & ab Ægyptiis atq; Æthiopibus annuum exegêre vectigal.* Anne immortalia hi Scythæ ediderunt opera? Si autem è Caucaſi clauſtris, ùt docet Hieronymus, foras ſe proruerunt, poterat aliqua eorum tribus in Juhria, vel Juharia, extrema Moſcorum provincia, ad ſeptentrionalem oceanum, atq; adeò in Aſia poſita, ſedes collocare; quæ tertium nationis egreſſum motúmq; fecit. Super hæc reman-

*Scytharum ſive Hunnorum Laus.*

*Hunni in Juharia.*

remanſerint in Aſia Hunni, quos Procopius (*Lib. VII. Cap. VIII.*) vocat Chunos albos, verbisq; amplisſimis ornat, uti fortes ac bellicoſos viros, quà Perſia in ſeptentrionem ſpectat, ſedes habentes. Ex horum progenie abhinc annos decem Iſpahani in aula R. Perſiæ viſi fuerint quidam ab Jeſuita Sacerdote Litvano. Mos illis ſcribendi eſt à ſummo ad imum. Eo modo conſcriptum epiſtolii exemplum ab eodem Jeſuita miſſum eſt ad Litvanos, ab his in Bohemiam, deniq; in Hungariam, ubi in Latinum converſum eſt. Habeo hæc ex interprete ejus epiſtolii. Joan. Anton. Maginus in deſcriptione Perſiæ hos albos Hunnos Zagateos Tartaros appellat, ſignátq; regionem illorum ultra mare Caſpium juxta Abianum, ſive Oxum flumen. Sed de his plura alio loco.

*Hunni albi prope Perſiam.*

# CAPUT III.

## *De geſtis Gothorum ſedes quærentium, de D. Urſula M. déq; Hũnis aliquibus factis Chriſtianis.*

 Eje-

EJecti è Dacia Gothi Iſtrum trajecêre. Duces horum fuerunt Alaricus & Phritigernus: nam Athanaricus cognito Hunnorum incurſu periculo ſe temporiùs ſubduxit, at ùt ego quidem reor, in terram Jazygum Metanaſtarum tantiſper ſe recepit. Alaricus & Phritigernus à Valente Imp. partem Thraciæ ad habitandum impetraverunt, ſpondentes ſubſidio ſe Romanis futuros adverſus incurſiones aliorum barbarorum. At enim injuriis provocati reconciliato in gratiam Athanarico in Thraces graſſari, furere, oppida expilare. Lupicinus Dux Romanorum vim vi repellere volens, prælio victus, arma hoſtibus ſuppeditavit; quibus inſtructi in finitimos agros, ipsáq; Conſtantinopolitana ſuburbia impreſſionem fecêre. Tantis malis, ùt auctor eſt Socrates, excitus Valens conſulatu ſuo ſexto, Valentiniani verò minoris ſecundo, III. Calendas Junii Conſtantinopolim Antiochiâ venit, maléq; ſubinde prælio dimicans

*Gothi ſedes in Thracia à Valente Imp. impetrant, inhoſpitales Thraces malè tractant, séq; Romanorum armis armant.*

*Conſtans Imp rediit ex oriente.*

cans interiit. Tum verò Gothi adeò effusè regiones finitimas incurſionibus vaſtavêre, nihil ut bello intactum in Mœſia quoq; reliquerint. Non multò tamen pòſt à Theodoſio Imp. profligati conquieverunt, multiq; ad amicitiam Romanorum adſcripti, multi militiæ ſacramento obligati fuerunt. Sed ſemper iniqui, & infideles beneficis. Athanaricus pacem iniit cum Theodoſio, propteréaq; in odia popularium incurrit, poſtea profugus Conſtantinopoli fato ceſſit, anno CCCLXXXI. ſuperbo funere elatus. Hunni hoſpites in Dacia interea longiori otio vires colligebant. Gratianum Imp. eos Alanósq; muneribus, vel promiſſis devinctos tenuiſſe, apparet ex epiſtola XXVI. D. Ambroſii ad Valentinianum. Ut igitur officioſi eſſent in eum Cæſarem, piraticam illos feciſſe contra Maximum, nonnulli tradunt. Id verò cùm agerent, eveniſſe, ut undena virginũ millia, quas Maximus militibus ſuis Britannicis conjuges deſtina-

*Gothi vincunt & vincuntur.*

*Hunni deliniuntur à Gratiano Imp.*

 bat,

bat, in Germaniam appellerent. Hunnos verò ad eam ipſam oram delatos ad unam omnes Chriſti, & pudoris causâ trucidâſſe anno à natali Chriſti CCCLVIII. Principem earum fuiſſe Urſulam, Dionoci R. Cornubiæ filiam, ſponſam Connani reguli, Britannicorum militum præfecti. Hæc narratio eſt Gaufridi, Epiſcopi Aſaphenſis, Lindani Gandavenſis, & Marci Velſeri apud Spondanum. Explodit eam Chriſtophorus Broverus in *Notis Libri III. Carminum* Venantii Fortunati, & iterum cum Jacobo Maſenio in *Annalibus Trevirenſibus.* Et ſanè ad firmandam hìc fidem deſideratur veterum teſtimoniũ. Negant inſuper Broverus, & Maſenius Hunnos, & Alanos per id tempus infeſtos fuiſſe in mare Britannicum, & contra Maximum tyrannum impulſos; ſed ajunt, à Bautone Valentiniani duce immiſſos, ad arcendos, qui tunc Rhætias populabantur, Guthungos; cúmq; in Galliam irrupturi crederentur, per Alemanniam remiſſos eſſe. Otto,

*D. Urſula Martyr ab Hunnis quando?*

to, Sigebertus, Rogerius, & alii vetuſtiores hiſtorici produnt, florem illum virgineum, dum in occidentalibus partibus diſcurrebat, & graſſabatur Attila, apud Coloniam ſuccïſum eſſe. Atq; hæc narratio ſincera videtur eſſe. Aptè proinde Gregorius Turonenſis, & *Judices Metenſis Eccleſiæ* annum, quo cædes edita eſt, notant CCCCLI. Obnituntur tamen Broverus, & Maſenius, aſſerúntq; cædem eam ante Attilæ incurſiones patratam eſſe. Verùm ſua ipſorum confeſſione arguuntur. Dicunt enim, everſâ Coloniâ Hunnos in civitatem Metenſium irrupiſſe. Nullus autem hiſtoricorum refert, ante annum à Chriſti ortu CCCCLI. civitatem illam, vel Galliam Hunnorum incurſu ac ferro appetitam eſſe. Si animo ægri amoréq; Martis ſaucii non fuiſſent Hunni, illiq; in primis, qui apud Iſtrū conſtiterant, potuiſſent profectò Chriſtianæ militiæ omnes adſcribi, eo potiſſimum tempore, quo ab armis vacabant. Theotimus namq;, ùt ſcribit Sozomenus

 (*Lib.*

(*Lib. VII. Hiſt. Eccleſ. Cap. XXV.*) ea tempeſtate, qua illi jam Daciam armatis catervis poſſidebant, fuit Tomitanorum, Scytharúmq; Præſul, ſpectatæ integritatis vir; qui quidem morem quendam veterum Philoſophorum retinebat: barbã etenim, & capillum nunquam tondebat; edebat verò, & bibebat, cùm famem, ſitimq; cibo, & potione depellere cogebatur: Chriſtianâ tamen philoſophiâ multò clarior fuit. Cum Hunnis Iſtrum transvolantibus frequens agebat, eósq; ſvavitate ſermonis, epulis, muneribúsq; deliniebat. Quandoq; ipſe terras eorum obibat, duráq; pectora pietate, & animos rerum cœleſtium rudes Chriſtianis diſciplinis imbuebat. Inſidias eorundem ſemel atq; iterum præſente ac propitio Deo vitavit. Ob tantam, támq; mirificam virtutem ac ſanctitatem Hunni illum Deum Romanorum appellaverunt. Hinc igitur apud eam gentem prima Chriſti notitia; de qua lætatur D. Hieronymus.

*D. Theotimus Tomitanus Præſul cicurat, & docet Hunnos.*

CA-

# CAPUT IIII.

## *De geſtis Hunnorum uſq; ad regnum Attilæ.*

Cùm clavum imperii teneret Theodoſius major, Pannoniæ, & Dalmatiæ Gothi, Daciæ Hunni inquilini erant. quoad ille Princeps vixit, graviorem calamitatem Romano imperio intulerunt nullam: quin imò eidem cum Eugenio pro Imperio decertanti præſtò fuerunt. Habuiſſe enim Theodoſium barbarorum ad Iſtrum commorantium, ac diſcurſantium auxilia, auctores ſunt Ruffinus, & Sozomenus. Credibile quoq; eſt anno CCCLXXXVIII. interfuiſſe eos, utpote vicinos, præliis, quibus idem Cæſar in Pannonia duos exercitus, alterum quidem apud Siſciam Maximi, alterum germani ejus Marcellini apud Petovium fudit. Antequam ſe in aciem commiſiſſet Theodoſius, plures leges ſcripſit Stobis in Dardania adverſus malè ſentientes de rebus divinis. Sic ſibi cœlum *Deo dilectus*

*Hunni auxiliantur Theodoſio contra Eugenium & Maximũ.*

Imperator conciliabat. Circa annum ſupradictum Hunni, ùt tradit Socrates (*Lib. VII. Hiſtor. Eccleſiaſticæ Cap. XXX.*) Burgundionibus, Rheni accolis, ſæpe hoſtilia faciebant. Illi proinde pertæſi incommoda ac maleficia, ut rationibus ſuis conſulerent, cuncta circumſpiciebant; non tamen ad humanum quodpiam, ſed ad cœleſte auxilium confugere de communi ſententia ſtatuerunt. Cúmq; plures Deos ſibi propoſuiſſent, quem potiſſimùm ex iis colendum deligerent, deliberabant; ſuccurrítq; demum illis, Romanorum Deum maximè opitulari iis, qui ipſum implorarent. Decreverunt itaq; Chriſtiana ſacra ſuſcipere. Cujus rei causâ ad quoddam Galliæ oppidum profecti, Chriſtianíſq; præceptis ab Epiſcopo eruditi, poſt ſeptenũm dierum jejunium ſalutari aqua abluti ſunt. Poſtquam domum revenerunt, accidit fortè, ut Uptarus, Hunnorum rex quadam nocte ingluvie dirumperetur: tum Burgundiones in Hunnos, duce orba-

*Burgundiones preſſi ab Hunnis fiunt Chriſtiani.*

*Uptarus Hunnorũ rex voracitate rumpitur, & Hunni fugantur.*

orbatos irruptionem fecerunt, jugúmq; à cervicibus ſuis depulerunt. Plurimum ergo Hunni profuerunt Burgundionibus. Ipſi verò confirmârunt, militem ſinè duce nullum eſſe. Ex poëmatis prætereà Claudiani intelligi datur, Gothos Græciam, Thraciámq; hoſtiliter percurſâſſe, urbémq; Conſtantinopolim obſidione cinxiſſe: Hunnos verò ab Ruffino præfecto Imperatorii prætorii ad vaſtandam Aſiam impulſos fuiſſe. Sed ne teſtificatione Poëtæ nitar, auctor *Miſcellæ*, qui vulgò Paulus Diaconus putatur eſſe, prodit, famam fuiſſe, à Ruffino Hunnos in Romanorum provincias accerſitos, ſive potiùs immiſſos eſſe, Armeniámq;, & orientem ſpectantes terras omni crudelitate lacerâſſe. Quod ipſum deplorat D. Hieronymus ( *Epiſt. XXX.* ) ubi docet, excurriſſe illos uſq; in Syriam, ibiq; Antiochiam, pluréſq; alias urbes Palæſtinis, Arabibus, Phœnicibus, Ægyptiis trepidantibus, circumſediſſe. Quas ob res Ruffinus purpuram, quam

*Hunni vaſtant orientem.*

ſibi

ſibi paraverat, omni ſangvine ſuo tinxit. Incurſionem illam incidiſſe in alterum, quàm exceſſit Theoſius major, añum concordant opiniones. Poſt Uptarum regnum apud Hunnos obtinuit Uldes, vel Huldin; an autem ab ipſo Armenia, & Syria fœdata ſit, non liquet. Uno facto is benignum ſe exhibuit Chriſtianis. Cùm enim Alaricus Rex Gothorum totâ Italiâ cum ſuo exercitu latronis modo percurſaret, Rhadagaiſus incertæ originis Scytha, extremus ac feritate immanior ante alios omnes Europæ vaſtatores, cum centenis ampliùs millibus, ùt ad memoriam notavit D. Auguſtinus: ùt verò Marcellinus cum ducentis, ut Oroſius cum paulò pluribus, ut Zoſimus cum quater centenis millibus bipedum nequiſſimorum in Italiam irrupit, ferro flammáq; omnibus minitans, ac cæſis Romanis, Diis ſuis litare geſtiens. Cúmq; jam Romæ immineret, falſorum Deorum cultores, qui in urbe reliqui erant, vociferari, Romam Deorum irâ à cultore

*Uldin vel Huldin & Uldes rex Huñorum.*

*Rhadagaiſus barbarus obruit Italiam.*

*Minatur Romanis.*

tore Deorum deletum iri, ideóq; vetera ſacra ritúsq; repeti oportere. Verùm ſummo mundi rectori placuit, impiorum illorum Romanorum conatus infringere, pudoréq; vanos divinos afficere, ac immanes Rhadagaiſi copias barbarorum adventu conficere. Cùm enim ſubſidio Honorio Imp. veniſſent Huldin, & Sarus, hic Gothorum, ille Hunnorum dux, Rhadagaiſi turma, & colluvies divinitus conſternata in Feſulanos montes trepidè ſe recepit, ibiq; ſine ullo certamine, metu quaſi obriguit, magnáque ex parte fame abſumpta eſt; ipſe verò Rhadagaiſus inter fugiendum captus atque interfectus eſt. Eum tamen poſtea (ut exiſtimant) dementes Sclavorum gentes quaſi virum divina quadam, & inaudita virtute præditum vice numinis coluerunt, Radagoſtúmq;, quaſi Hoſpitalem, vocaverunt, niſi jam antè Jovem cum Latinis eo nomine notâſſent. Reliqua multitudo comprehenſa, ſub haſta minimi veniit. Ejuſmodi eſt narratio Pauli Oroſii, D. Au-

*Hunni & Gothi illi opponuntur, ſed divinitus vincitur.*

D. Auguſtini, aliorúmq; apud Spondanum teſtimoniis firmata: Marcellini verò manca, Zoſimi, Chriſtianorum oſoris, omnino falſa. Hic enim ne vero Deo Gloriam daret, néve ſuorum fictorum virtutem obſcuraret, commentus eſt, Rhadagaiſi catervas, antequam in terras Romani Imperii ſe intuliſſent, à Stilicone conciſas eſſe. Incidit ea barbarorũ clades, uti acutè obſervavit Spondanus, in añum CCCCVI. Idem ſcriptor anno poſtero refert, accidiſſe acerbiſſimam Galliarum vaſtationem, in qua quidem principes fuerunt Vandali, & Alani; participes verò, & adjutores, ùt memorat Oroſius, Svevi, ùt D. Hieronymus, Quadi, Sarmatæ, Gepidæ, Saxones, Burgundiones, Alemanni, & Pannonii. Hanc autem vaſtitatem illi regno illatam fuiſſe machinatione Stiliconis, qui à Vandalis originem ducens eo artificio filium ſuum ad Imperium provehere in animo deſtinabat. At pependit dementiſſimæ temeritatis pœnas. Interea Uldes copias ſuas

*Gallia vaſtatur à variis populis.*

*Uldis Regis Hunnorum in Romanos motus.*

ſuas ex Italia in Daciam reportavit. Cùm verò animadverteret, res Romanorum vehementer turbatas eſſe, occaſionem inde arripiens, exercitum in expeditionem eduxit. Tranſito Iſtro primùm Caſtrum Martis, ùt nomen ipſum indicat, firmum munimentum per inſidias, vel proditionem cepit, deinde in reliquam Mœſiam Thraciámq; infeſtus ferebatur. Ad ineundas cum Romanis inducias nullo pacto adduci poterat. Cùm enim ductor quidam Romanorum ad pacem eum hortaretur, oſtento ſole oriente per ſummam arrogantiam dixit, totam terram illi ſubjectam nullo negotio ſe evertere poſſe. Ne tamen à pace prorſus alienus videretur, intolerabile tributum Romanis imponebat. Cùm verò ii ſuſpenſi, & incerti obſcura ſpe, & expectatione penderent, accidit, ut quidam Hunni de Romanorum imperio, déq; benevolentia Cæſaris, quâ ſtrenuos fortéſq; viros proſequeretur, ſermonem inferrent: quo audito multi nobilium

*Uldis arrogantia.*

um Hunnorum cum vernis ſuis ſeceſſione facta, ad Romanorum ſocietatem ſe contulerunt. Cognita eorum tranſitione Uldes cum parte copiarum maturè ſe fugæ commiſit, transmiſsóq; Iſtro è periculo evaſit. Qui tardiùs fugam capeſſiverunt, ab Romanis pars occiſi, pars capti, ac in ſervitutem abducti ſunt. Incurrerit hoc inter Hunnos diſſidium, & clades in annum Chriſti nati CCCCIX. quo occiſus eſt Stilico. Siquidem Sozomenus poſtquam attigit cædem Stiliconis, ſequenti Capite, quod eſt, Libri noni quintum, rem eam, ùt geſta eſt, expoſnit. Addit verò in extremo Capitis illius, ex Hunnis iis multos ab ſe in Bithynia viſos, qui ad Olympum montem paſſim rus colebant. Quid deinde Uldin domi militiæq; egerit? an Romanos vectigales (quod Otrocotſius in *Originibus* amplectitur) fecerit? perſpectum non habeo. Dubitari autem non poteſt, quin Romani Hunnis tributum penſitaverint Ruâ rege, qui exce-

*Huñi multi ab Ulde deficiunt, ipſe fugam capeſſit.*

exceperat Uldem. Ex *Excerptis* quippe Priſci Rhetoris apparet, extincto Rua Senatum Conſtantinopolitanum ad Attilã miſiſſe Phlintam Oratorem; pòſt Margis, quod erat oppidum Mœſiæ Danubio appoſitum, pacto conveniſſe, ut deinceps Romani quotañis ſeptingenta auri pondo Scytharum regibus dependerent, cùm antea dimidio minus illis numerare conſveviſſent. Ex iisdem *Excerptis* intelligitur, Ruam R. cùm arma intentaret Amilzuris, Itimaris, Tonoſuris, & Boiſcis, hoc eſt, Jazygibus, & aliis nationibus Sclavonicis Danubium accolentibus, cúmq; reſciviſſet, easdem ad ſocietatem belli ſolicitare Romanos, per Islam familiarem ſuum, denunciâſſe Imperatori, ſe fœdere, quod cum ipſo pepigerat, non ſtaturum, niſi omnes Scythas, qui ad ipſum ſe recepiſſent, extemplo redderet. Igitur ſive ob hanc cauſam, ſive quia ab Joanne quodam tyranno accitus erat, Ruas bellum commovit Romanis. Priusquam autem in eorum ter-

*Ruas R. Hunnorũ bellat cum Sclavis. Theodoretus Lib. V. Cap. xxxvii. appellat Roilũ, quidã Rugilam.*

*Idem premit Romanos,*

terras pervenit, jam Joannes ſublatus erat. Ne tamen fruſtra exercitum eduxiſſe videretur, quaquà ferebatur, diripiebat perdebátq; omnia. Theodoſius tunc fortaſſe imparatus, diffidens opibus ſuis, rem Superis commendavit, diligentiúsq; Deo pro ſua, atq; imperii ſalute ſupplicavit. Evenit itaq;, ut coorta tempeſtate Ruas de cœlo tangeretur; exercitus verò peſtilentia, & ignibus quibusdam cœleſtibus magnam partem conſumeretur. Sic rem paucis expedit Socrates (*Lib. VII. Cap. XLII.*) Rugámq; regem illum vocat. Etiam gigantes, cum ſuperis pugnantes, ſemper vinci neceſſe eſt. Liquet verò Theodoſiis peculiare ac penè gentilitium fuiſſe, magis precibus, quàm armis hoſtes profligare. Accidit Hunnis exitium illud anno CCCCXXXVI. Conſulibus Iſidoro, & Senatore, ùt notavit Socrates, vel poſtero, ùt Proſper.

*Idem fulmine icitur, exercitus interit.*

CA-

# CAPUT V.

## *De geſtis Attilæ.*

Poſt interitum patrui regnum occupavêre Attila, & Bleda fratres, filii Mundozuchi; ſed quia regnum duobus regibus conſors rarò tranquillum eſt, Attila poſt duos annos maturavit Bledæ exequias, ùt prodit Proſper. Primo regni anno ambo bellabant cum Sorosgis (Jazyges Metanaſtæ fuerint) non tamen in Pannonia, ùt videbatur auctori *Miſcellæ*, conſederunt. Quamvis autẽ res Hunnorum clade Ruæ acciſæ videri poterant, placuit tamen Senatui Conſtantinopolitano legationem mittere ad Attilam, & profugos Scythas, eos quoq;, qui jam pridem ad Chriſtianos transfugiſſent, reddere; Romanos verò, qui nondum aurum pro ſe appendiſſent, remittere. Pretium autem redemptionis in ſingula capita octo aurei conſtituti erant. Conventa conditio de libero mercatu. Ne Romani cum nationibus, quibus cum Hun-

*Attila regnum.*

*Romanorum legatio ad Attilam, & Conventa.*

ni bella gererent, conſvetudinem jungerent, fœdere cautum. Non diuturna tamen ea pax erat, eò quòd Romani promiſſis non ſteterint; neq; idcirco cœlum illis faviſſe videtur. Año enim CCCCXLII. Attila tranſito Danubio irrupit in Pannoniam, & Mœſiam. Non imparatos offendit Romanos. Inſtructa utrinq; acie decertatum. Interfecto Romanorum duce, Scythæ non incruentam retulerint victoriam, ùt indicat Marcellinus Comes in Chronicis illo loco: *Attila R. uſq; ad Thermopolim infeſtus advenit, Arnegisclus, magiſter militiæ in Dacia juxta Utum amnem ab Attila R. pluribus hoſtium interemptis occiſus eſt.* Hunc locum hiſtorici illius, nullus, quod ſciam, ſcriptorum pertractavit, nedum explanavit. Joanni Trôſtero hæſit aqua, præterquam quòd ſecutus Lazium, exiſtimavit, Daciam Ripenſem à Marcellino dici eam regionem, in qua eſt Varadinum. At obſtat his cogitatis & Varadinum, quod à ripa Danubii remotum eſt, & fluvius

*Attilæ expeditio in Romanos, & victoria.*

Utus,

Utus, qui non veterem, ſed novam Daciam ſecat, éſtq; unus è tribus Plinianis, quos fundit mons Hæmus. Nulla verò eſt tanta ſcribendi vis, aut copia, quæ enarrare poſſit, clades & ſtrages, quas Hunni victores in Illyrico, orientéq; ediderunt. Et collegerat quidem Theodoſius rurſus exercitum, ſed eum quoq; poſt quatuor annos apud Cherſoneſum Hunni contriverunt ac diſſipaverunt. Coactus eſt igitur pacem ab iis mercari, vel potiùs conventa annorum præteritorum ſtipendia ac nomina expedire, appenſo auro ſex mille librarum: deinceps verò añuatim bis mille centenásq; libras ſimilis metalli pendere. In Hunnis reddendis difficilem ſe præbuit Theodoſius, quia multi jam ex illis Chriſtiani facti fuerint: iterum ergo repetebat eos Attila. Cùm pax conciliaretur, accipiebantur, & remittebantur poſtulata per literas legatósq;. Anno CCCCXLVIII. princeps legationis fuit Maximinus ſenator & conſularis, ſocius ejus Priſcus Rhetor.

*Attilæ altera victoria.*

*Attila Romani ſtipendiarii.*

*Attila cum Theodoſio Imper. fœdus.*

*Maximianus cum Priſco ad Attilam legatus.*

Et hic quidem omnia Attilæ geſta accuratè deſcripſerat, ſed totum opus evanuerit, quando à nemine editur. In *Excerptis* autem, quæ extant, relatu digna, lectúq; jucunda eſt legatio, de qua commemorare cœpi. Conſcenderunt legati ſecuritatis causâ Conſtantinopoli, excenſionē fecerunt Edeſſi; quod oppidum ſitum erat juxta Paniſi amnis oſtium in ulteriore ripa, & litore Ponti Euxini, à Plinio attributum Thraciæ, à Ptolemæo Mœſiæ. Inde terreſtri itinere contenderunt Sardicam, unde expedito viatori Conſtantinopolim trinûm denûm dierum iter eſt. Poſtridie temporè venerunt Nayſſam vel Niſſam, quam Gothi aut Hunni jam everterant. Tum per montana abruptáq; loca iter fecerunt Danubium verſus; altero die plana attigerunt, eodémq; Danubium lintre trajecerunt. Non longè progreſſi, ſubſiſtere juſſi ſunt. Poſtero die ad caſtra Attilæ delati, quæ locata fuerunt ex adverſo Vidini inter Danubium, & Schilum fluvios.

*Itineris legationis deſcriptio.*

*Schilus fluvius Ungarico, & Sclavonico modo ſcribendi* Žil/ *eſt fluvius Walachiæ.*

os. Inde in comitatu ejus ad ſeptentrionem iter converterunt. Otrocotſius in *Originibus* exiſtimavit, eos ad Tibiſcum contendiſſe, Attilámq; regiam Jasberennii (*Jaszberény*) ultra eum amnem habuiſſe. Sed Cantoclarus, Priſci interpres, rectè animadvertit, eos in Moldaviam iter feciſſe. Si enim Tibiſcū, verſus iviſſent, non ad ſeptentrionem, ſed ad occidentem ſe vertiſſent. A Danubio præterea profecti legati multos fluvios navigabiles trajecerunt: ad Tibiſcum autem tendendo, vix unum alterúmve ejuſmodi fluvium transmiſisſent. Tranſierunt ergo Schilum, Alutam, qui multa minora flumina recipiunt, & quendam tertium nobiliorem. Tigam verò Priſci non fuiſſe Tyram, vel Neſtrum, ùt placuit Cantoclaro, inde conficitur, quia non modò tres, ſed novem claros amnes tranſîſſent, & ſubinde continuo ſenûm dierum itinere plures. Exiſtimo proinde, ſedem Attilæ fuiſſe in illo Moldaviæ tractu, qui lapidibus ſilvisq;

 caret:

caret; id enim exigunt verba Priſci. Legati ad eum locum rectà non fuerint de induſtria ducti. Ex illo enim vico egreſſi, in quo unam noctem traduxerant, ab Attila divulſi ſunt; deinde confecto ſex dierum itinere rurſus ſe ei adjunxerunt, ſequentes præeuntem uſq; ad magnum vicum, in quo domicilium habebat. Erant Attilianæ ædes turritæ è trabibus, & aſſerculis politis fabrefactæ. Legati tentoria fixerunt, in iisq; ſe tenuerunt, prompti ad excipienda tyranni juſſa. Quibus de rebus cum eo egerint, incompertum eſt. Confirmatio pacis caput omnium fuerit. Subnectit deinde Priſcus modum epulandi Attilæ; qui quidem haud quaquam barbarus atq; agreſtis erat, imò magnificum quid juxtáq; modeſtum ſapiebat. Libitum eſt illum Cantoclari interpretis (nam ſatis polita utitur oratione) verbis referre, ùt ſequitur. *Reverſis*, inquit Priſcus, *nobis in tentorium, ecce ad nos Oreſtis pater: vos ambos, inquit, ad convivium invitat Attilas, fiet*

*Attila palatium ex qua materia.*

*Modus epulandi Attilæ.*

*ſiet verò illud circa nonam diei. Tempore condicto obſervato, ùt venimus, & unà quoq; Romanorum occidentalium legati, ſtetimus in limine cœnaculi coram Attila. Hìc pincernæ, ùt mos eſt in illis regionibus, calicem tradiderunt, ut & nos vota faceremus. Quo facto calicem deguſtantes ad ipſa ſolia venimus, in quibus nos ſedentes cœnare oportebat. Ad parietes autem cubiculi præparata erant omnia ſedilia, ab utraq; parte diſpoſita: in medio verò ſedebat Attilas in lecto; è cujus regione erat & alter lectus, ponè quem erant quidam gradus, qui ad ejus cubile ferebant, linteis candidis, & variis tapetibus venuſtatis, & ornatûs gratiâ contectum, ſimile cubilibus, quæ Romani, & Græci nubentibus adornare pro more habent. Tum convivarum primum ordinem ad Attilæ dextram ſedere conſtituerunt, ſecundum ad lævam: in quo nos, & Berichus, vir apud Scythas nobilis, ſed Berichus ſuperiore loco. Nam Onegeſius in cathedra ad dextram regii tori, & è regione Onegeſii duo ex Attilæ filiis. Senior enim in eodem, quo pater throno non*

*In Attiliano convivio ordo accumbentium.*

*Attilæ filiorum adverſus patrem obſervantia.*

*propè, ſed multùm infrà accumbebat, oculis præ pudore, propter patris præſentiam, ſemper in terram conjectis. Omnibus ordine ſedentibus, qui Attilæ erat à poculis, ingrediens pateram vini tradit. Hanc ubi quis ſuſcepit, eum qui ordine prior erat, ſalutavit; ſalutatione honoratus ſurrexit, neq; priùs eum ſedere fas erat, quàm merum deguſtans, aut etiam ebibens, poculum pocillatori redderet. Unicuiq; verò unus pocillator aderat, quem, pincerna Attilæ exeunte, introire ſuo ordine oportuit. Poſtquam verò Attilas ſecundum à ſe, & reliquos deinceps honore affeciſſet, nos etiam paribus poculis dextrâ junctâ honoravit ex Thracum inſtituto. Tum, ubi omnes ſalutatione honorati fuiſſent à Rege, pincernæ receſſerunt. Menſæ verò juxta Attilæ menſam erant erectæ, excipiendis tribus & quatuor, aut etiam pluribus convivis idoneæ; quorum unusquisq; poterat, minimè transgreſſis ſedium ordinibus, in diſco ex ferculis, quod ſibi libitum erat, deſumere. Et primùm in medium acceſſit Attilæ miniſter diſcum plenum carnibus ferens: poſt ipſum, qui reliquis omnibus mini-*

*Miſſus primus in convivio Attilæ.*

*miniſtrabant, panem & obſonia menſis appoſuerunt.* Sed ceteris quidem barbaris, & nobis cœna vario eduliorum genere referta, & inſtructa præparata, & in diſcis argenteis appoſita: *Attilæ verò in quadra lignea, & nihil præter carnes.* Moderatum pariter, & in omnibus reliquis ſeſe præbuit. Convivis aurea, & argentea pocula, quibus bibebant, ſuppeditabantur; Attilæ verò poculum erat ligneum. Ut opſonia primorum ferculorum fuêre conſumpta, omnes ſurreximus, neq; priùs quisquam noſtrûm ad ſuam ſedem eſt reverſus, quàm ſibi traditam pateram, vini plenam ſervato, quem ſuprà diximus, ritu, Attilam ſalvum, & incolumem precatus ebibiſſet. Eo ad hunc modum honore culto ſedimus. Tum nova fercula cuiq; menſæ ſunt illata, quæ alia continebant eſculenta; ex quibus ubi omnes, quoad ſatis eſſet, comediſſent, modo, quo ſuprà, in pedes erecti, ebibito calice, conſedimus. Adveniente veſpere ſublatis epulis duo viri Scythæ coram Attila prodierunt, & verſus à ſe factos, quibus ejus victorias, & bellicas virtutes canebant,

*Attila nil niſi carnes edebat.*

*Miſſus ſecundus in eodem convivio.*

*Duo Scythæ laudes Attilæ canunt.*

*bant, recitârunt. Et alii quidem verſibus delectabantur, aliis bellorum recordatio animos exſuſcitabat, aliis manabant lachrymæ, quorum ætas affecta reddiderat corpus effœtum & imbecillum; ex quo eorum pugnandi ardor, & cupiditas quieſcere cogebatur. Poſt cantus, & carmina Scytha, neſcio quis, mente captus abſurda & prodigioſa, nec ſani ſensûs quicquam habentia reſonans, & deblaterans riſum omnibus commovit. Zerchon Maruſius introivit &c. Itaq; tunc arrepta feſtivitatis occaſione progreſſus & forma, & habitu, & pronunciatione, & verbis confusè ab eo prolatis, modò Auſoniorum, modò Hunnorum, modò Gothorum lingvam intermiſcens omnes lætitia, & hilaritate diffudit, & effecit, ut in riſum, qui ſedari, & extingvi non poterat, prorumperent, excepto Attilâ. Attilas enim vultu omnis mutationis expers, & immotus permanſit; neq; quidquam facere, quod jocum præ ſe ferret, conſpectus eſt, præterquam quòd juniorem ex filiis introëuntem, & adventantem, nomine Irnas, placidis, & lætis oculis eſt intuitus, & eum genâ traxit.*

*Morio Attila.*

*Attila Severitas.*

*traxit.* Hæc ille Rhetor; & poſt pauca: *Ut verò in convivio noctem protraxerunt, frequentes eximus, nolentes in compotatione permanere.* Inter prima ſecundáq; fercula interponit quædam Priſcus de ſimplici ac vulgari habitu Attilæ, aſſerens, nihil in ejus veſtitu ſplendidum, nihil exquiſitum, nihil peculiare fuiſſe, niſi quod ex panno unius generis toga conſtiterit. Nam ceteri Hunni verſicoloribus utebantur. Non adhibuiſſe eum præterea more uſitato calceorum quædam ligamina, non enſem, non frena, non reliqvum equeſtrem inſtructum gemmis, aureísq; cruſtis ornatum. Vernaculã Attilæ Hunnorúmque lingvam nonnulli in diſceptationem vocaverunt, neq; veriti ſunt, in lucem libros emittere, rationibus diſputare, oſtenderéq; Hunnos Gothicam atq; adeò Germanicam gentem fuiſſe. At ſatis ſupérq; refellit, & redarguit vaniloquentiam illorum Priſci locus. Sermo quippe Gothicus, quẽ morio ille duobus aliis intermiſcebat, fuit

*Perpotatio Huñorum.*

*Attila amictus ſimplex.*

*Hunni non fuerunt Germani.*

fuit haud dubiè Germanicus, diſcrepans ab Hunnico. Sciebant autem Hunni tum Latinè, tum Germanicè, quia cum Romanorum, & Gothorum reliquiis in Dacia verſabantur. Et quo pacto Hunnus morio tribus illis lingvis fari, aut riſum concitare potuiſſet, ſi eas & ipſe, & convivæ ignorâſſent? Diu certè audientibus non placuiſſet. Quare nec Attila imperitus fuit Latini ſermonis. Maximo argumento eſt illud, quòd nemo veterum prodat, Magnum Leonem Papam interpretem adhibuiſſe, cujus adjumento illi perſvaſiſſet, ut manum ab Romanis abſtineret. Non fuerunt deniq; Hunni undiq; inculti, duri, agreſtésq;, ùt multi exiſtimaverunt. Sed è diverticulo in viam. Poſtero die Reca uxor Attilæ legatos cœnâ accepit nitidâ, cunctáq; cibaria multo ſale, & facetiis condivit. Perendino verò die rurſus Attila eos ad cœnam invitavit, quæ ritu eodem, quo prior, peracta eſt. Quarto die ad interiores ædium Attilanarum partes ſe Priſcus intulit,

*Reca, uxor Attilæ, dat epulum legatis, iterum Attila.*

donáq;

donáq; verbis ornata dedit Crecæ, alteri Attilæ uxori; quam in uno latere conclavis frequentes circũſtabant famuli, in altero ancillæ pavimento tapetiis inſtrato inſidentes acu pingebant, variabántq;. Ex Creca ſuſceperat Attila tres filios. Maximus natu vocabatur Dengizich, vel Denſices; qui jam tum Acatiris ceterisq; gentibus, Pontum accolentibus, imperitabat. Alteri nomen erat Irnach: tertii nomen nusquam invenitur. Per eos dies Attila, quibus apud eum oratores diverſabantur, novas nuptias cum Eſca quadam apparabat. Eo uſq; verò ad novos thalamos procedebat, donec in iis periret. Irruptiones ejus in Italiam, everſionémq; Aquilejæ, Mediolani, Ticini, atrociſſimũ ac pertinax in campis Catalaunicis certamen, ceteráq; geſta, quæ fusè latéq; Hiſtorici perſeqvuntur, miſſa facio. Facem ad deformandam Italiam addidiſſe ei Honoriam Valentiniani Imp. ſororem, mulierculam ſalacem, auctores ſunt, Priſcus, Jornan-

*Creca, alteri uxori Attilæ, legati munera præbent.*

*Eſca nova nupta Attilæ.*

*Attila cur vaſtârit Italiam & Galliam.*

nandes, & Paulus Diaconus. Illa enim per eunuchum quendam ad nuptias Attilam ſolicitabat, cui rei cùm acriter obſiſteret Valentinianus, Attila arma ſumpſit, omnémque ferè Italiam vertit. Francos autem bello laceſſivit propter duorum fratrum, Pharamundi R. filiorum, de regno contentionem. Majori enim favebat ipſe, minori Aëtius. Militabant in exercitu ejus rex Gepidarum Andaricus, Gothorum Valamir; Marcomani, Svevi, Quadi, Heruli ſub ſuis ducibus, ùt memorat auctor Miſcellæ. Perdebat autem Gallias anno Chr. CCCCLI. Italiam ſequenti. Vaſtitas nobiliſſimis regnis illata me monet, ut reliqua de choro virginum, quas Hunni cœlo aſſeruerunt, exequar. Apud Coloniam interfectas eſſe, nemo prudens negaverit. Nusquã enim alibi veſtigium cædis. Omnem multitudinem, quæ cæſa eſt, ex virginibus conſtitiſſe, vulgò circumfertur. Jacobus Maſenius in *Annalibus Trevir.* arbitratur, fuiſſe homines utriusq; ſexûs, omnísque

*Sub ſignis Attilæ militantes nationes.*

*De D. Urſula plura.*

que ætatis, & numerum XI. millium uſurpari cœptum, certum pro incerto. Nobiliorem autem multitudinis partem fuiſſe collegium virginum, cui Urſula præerat. Affert præterea hiſtoricus ille antiquos verſus, unde conficitur, Climatium & Diodorã conjuges, templum eo in loco ædificâſſe, in quo virginum cœtus habitavit, séq; victimam Chriſto præbuit. Sacrârunt memoriâ ſuâ diem primum, & viceſimum Menſis Octobris; qui non adeò antiquitùs apud Hungaros feriatus erat. Ceterùm, ùt primùm Attila ex Italia revertit, ſtatim Marciano Imp. bellum, & vaſtitatem denunciavit, niſi ſtatum aurum continuò ipſi appenderet. Nil tamen effectum dedit, quia ab hominibus demigravit. De morte. ejus multa variãt auctores. Marcellini opinio eſt, vel à muliere ab Aëtio inſtructa atq; ſubornata cultro confoſſum; vel profluvio ſanguinis ſuffocatum eſſe. Auctor *Chronici Alexandrini* in hoc ſolùm diſſentit à Marcellino, quòd dicat,

*Attila exigit vectigal à Marciano.*

*Attila obitus.*

novam nuptam ſuſpectam fuiſſe ſuper nece ejus. Jornandes magis rem verbis exaggerat, dum ait, illum juncta ſibi Idiſcone puellâ præ gaudio mero ſaucium, obrutúmq; cum ſangvine animã edidiſſe. Non igitur fuit quædam procax Honoria Attilæ nova nupta, ùt poſt aliquammulta ſecula viſum eſt Andreæ Dandulo, Duci Venetorum. Paulus Diaconus tacens de ſangvinis profluvio refert, illum vaſtatâ Italiâ Romæ imminentem à magno Leone *Papa* à propoſito deterritum fuiſſe, promiſsáq; pace perpetua ultra Danubium conceſſiſſe, nec multò pòſt obitu ſuo finem bellis impoſuiſſe. Atq; hic fuit exitus occasúsq; *flagelli Dei* añо CCCCLIIII. extincti. Cui animus eſt cognoſcere lineamenta corporis ejus, legat *Miſcellam.*

# CAPUT VI.

## *De geſtis Hunnorum à morte Attilæ.*

*Chaba, fictus Attilæ filius, non rediit in Hunniam.*

DEfuncto Attila, quanquam Hunnorũ fortuna depreſſa fuit,

fuit, non tamen ſic attriti, attenuatiq; fuerunt, quod noſtrates Hiſtorici opinati ſunt, ut fictus & commentitius quidam Chaba, filius Attilæ in Scythiam redierit, triáq; duntaxat Siculorum millia in extremis finibus Transſilvaniæ remanſerint. Denſices enim, & Irnachus in locum patris ſucceſſerunt; qui protinus ad Marcianum Imp. legatos de pace miſerunt, veniam in præteritum petentes, orantésq;, uti veteres injuriæ voluntaria oblivione contererentur, commerciúmq; rerum omnium, ùt antè, maneret. At Conſtantinopolitani obitu Attilæ animati legationem contemnere, poſtulatáq; pro nihilo putare. Denſices & Irnachus indignè ferentes, ſe deſpicatui eſſe, diverſi inter ſe, quid agant, conſulunt. Denſices, ne Hunnorũ natio apud exteras gentes inertiæ condemnaretur, néve ſplendor nominis à majoribus acceptus deformaretur, cenſebat bellum Romanis inferendum eſſe: contrà Irnachus pacem aliquâ ja-

*Denſicis & Irnachi, Attilæ filiorum, legatio ad Imp. Marcianum.*

*Attilæ filii de bello Romanis inferendo diſcordes.*

ctura redimi oportere judicabat. Neq; enim ex uſu fore declarabat, ſi bellum in terra remota gereretur, dum Sanaguri cum Acatiris, aliisq; ſangvine junctis, vel fœderatis gentibus bello Perſico diſtinerentur.

*Denſices Attilæ filius movet in Romanos.*

At Denſices rejectâ ejus ſententiâ bello perſequi ſtatuit Conſtantinopolitanos. Cùm primùm tranſiit Danubium, præfectus ripæ Ornigisclus, vel Anagaſtus quæſivit ex eo, cur infeſtus venerit? Verùm ne reſponſione quidem illum dignatus, certos ſuos ad Imperatorem miſit, qui edicerent, Denſicem bellum Romanis denunciare, niſi Hunnis terram, quam colant, aſſignet; in ſtipendia verò exercitui præſentem pecuniam ſolvat. Permiſti autem erant in exercitu Denſicis Hunni cum Gothis.

*Doloſum reſponſum datu Denſici ab Imperat Marciano.*

Ubi nuncii mandata expoſuerunt, Marcianus Imperator dixit, omnia ſe facturum, quò eos Imperio ſuo devinctos teneret: imò jucundum pérq; gratum ſibi eſſe, inimicos ad ſocietatem, amicitiámq; adjungere. Per Hunnum autem quendam, qui

qui in aula verſabatur, reſpondit, terram ſe populis illis daturum, unde non Gothi, ſed Hunni fructum percipient. Non enim fugere ipſos quoq; Hunnos, Gothos agriculturæ negligentes eſſe. Ex quo ſperabat, fore, ut committerentur inter ſe Gothi atq; Hunni; hiq; illis agros eriperent, variisq; modis vexatis ad extremum exitium compararent. At ſecus evenit. Terra illa, quam Marcianus Gothis,& Hunnis habitandam conceſſerat, erat Pannonia. In partitione agrorum orto inter nationes divortio, Gothorum principes, ſacramento populares ſuos adſtrinxerunt, ne cum Hunnis, ulla conſvetudine jungerentur. Hinc vulgus comotum in Hunnos impetum dedit multósq; occidit. Id ubi ad reliquos Hunnos perlatum eſt, illico ad arma manúsq; ventũ. Dum verò inter ſe dimicant Gothi atq; Hunni, Conſtantinopolitani occaſionem nacti, in utriuſq; nationis perniciem incumbere,& obvios quoſq; interficere. Scythæ inju-

*Gothi & Hunni colliduntur.*

*Hunnos & Gothos concertantes opprimunt Romani.*

injuriâ provocati, rurſus amicitiam, & arma junxerunt, bellúmq; Conſtantinopolitanis indixerunt. Deſcenſum deinde in aciem, ſignísque collatis juſto prælio pugnatum. Utri victoriam reportârint, reticet Priſcus, id ſolùm memorans, ſæpiùs poſtea levibus præliis eas gentes vario eventu dimicâſſe. Interea verò Sanaguros, quos antea cum Acatiris in Perſas moviſſe dixerat, cum Orogis, & Onoguris ſedibus ſuis expulſos, ad captandam Conſtantinopolitanorum benevolentiam in Hunnos Acatiros irruiſſe, pluribúsq; congreſſibus eos compreſſiſſe. Geſta hæc fuerint año CCCCVII. ante exitum Marciani. Eugipius *Abbas* in libro de admirabilibus factis, & virtutibus D. Severini, Noricorum Apoſtoli cognominati, memoriæ tradidit, filios Attilæ in Pannonia de regno decertâſſe, at res illis cum Gothis fuerit. Etenim Hunni in Pannonia commorantes cùm Oſtrogothos fugitivos ac deſertores in ditionem ſuam rurſus redigere vellent,

*Sanaguri Acatiros comprimunt.*

lent, repentinò Valemirem aggreſſi ſunt: at in virum inciderunt; qui forſitan prævidens futura, non ſolùm hoſtium impetum ſuſtinuit, ſed fugâ verſos ex finibus Pannoniæ exterminavit. Qua de re narratio Jornandis hæc eſt: *Contigit, ut Attilæ filii contra Gothos, quaſi deſertores dominationis ſuæ, velut fugacia mancipia requirentes, venirent, ignaríſq; aliis fratribus ſuper Valemir ſolum irruerunt; quos tamen ille quamvis cum paucis excepit, diúq; fatigatos ita proſtravit, ut vix pars aliqua hoſtium remaneret; quæ in fugam verſa, eas partes Scythiæ peteret, quas Danubii fluenta prætermeant, quæ lingvâ ſuâ Hunni Vár vocant.* Nempe non eadem vel virtus, vel fortuna ſemper filiis, quæ patribus. Ex verbo *Vár* conjiciunt pleríq; ſcriptores noſtrates, Hunnos veros Hungaros fuiſſe, ſed quomodo ripa Danubii potuerit eſſe arx, non enodant. Habuerint Hunni inſigne vaſtúmq; receptaculum inter Tibiſcum, Tarnam, Sadaviam (*Zagyva*) ipsúmq; ferè Danubium, de

*Attilæ filii à Gothis propelluntur, è Pannonia ejiciuntur.*

quo alio loco. Conſiſtebant ea tempeſtate tres fratres Gothi in Pannonia. Valemir, pergit Jornandes, *inter Scarniungam, & Aquam nigram fluvios, Theodemir juxta lacum Pelſodis, Valemir inter utroſq; manebat.* Lacum Pelſodis opinor eſſe Peiſonem, Scarniungam Repcen (*Réptze*) Aquam nigram Arabonem. Nihil dehinc de Attilæ filiis commemorant ſcriptores, niſi funeſtum illud Marcellinus de Denſice: *His Conſulibus caput Denſicis, Hunnorum R. Attilæ filii Conſtantinopolim allatum eſt.* Conſules illi fuerunt Zeno, & Marcianus, adeóq; Denſices ceciderit anno Chriſti nati CCCCLXIX. regni ſui quarto decimo. Atq; ità Hunni ab excitata fortuna ad inclinatam, ac prope jacentem deſcivêre. Deniq; Jornandes tradit, Hernachum minorem Attilæ filium, in finibus minoris Scythiæ conſediſſe; cognatos verò ejus in veteri Dacia Ripenſi. Sub hæc Theodemirus R. eorum Gothorum, qui Eruli appellati ſunt, cum filio Odoacro anno CCCCLXXIII. in Dalmati-

*Denſices R. ferro ſternitur.*

*Hernachus conſidet in Moldavia. Cognati ejus in Dacia Ripenſi ad Danubium & Temeſchum.*

matiam, qui ea regio vel amœnior & fertilior, vel ad res gerendas opportunior ipſi videbatur, conceſſit relictâ Gepidis Pannoniâ Savienſi. Unus ergo adhuc repertus eſt Princeps, quem ſatietas cepiſſet ejus provinciæ. Otio, luxuria, voluptatibus diffluente Zenone Imp. anno CCCCLXXV. Hunnos Thraciam vexâſſe nemine maleficiũ prohibente, auctor eſt Evagrius tali oratione: *Barbari in tentoriis commorantes cuncta vaſtabant, & in Thraciam Hunni, olim Maſſagetæ, trajecto Iſtro ac nemine obſiſtente incurſiones faciebant, Zenone deinceps ad barbaricum morem violenter abrepto (Hiſt. Eccl. Lib. III. Cap II.)* Annus ille ex actis Zenonis colligitur. Annos deinde aliquammultos Hunni nullam calamitatẽ importârunt Conſtantinopolitanis. Cum adventantibus namq; Sclavis, & cumprimis Bulgaris res illis erat; quos quidem populos vel inviti hoſpitio acceperunt. An autem cum iis anno CCCCXCIX. Thracias ferro flammáq; pervaſtârint, Anaſtaſiiq; Imp.

*Hunni vaſtant Thraciam.*

*Bulgarorũ & Sclavorum ejuſdem origi nis gentium eruptiones incipiunt.*

*Anaſtaſius Imp. fit ſtipendiarius Sclavorũ.*

Imp. exercitum conciderint, memoriæ non eſt proditum. Eo prælio florem Illyricorum militum deperîſſe, luget Marcellinus. Pacem itaq; à Bulgaris Imperator nundinatus eſt. Sed quia prima penſione ſitim non expleverant, non parvam nummorum acceſſionem anno IↃII. illis dare coactus eſt. Ut verò in poſterum proſpiceret, peſtémq; à cervicibus ſuorũ, & flammam à tectis averteret, viam Bulgaris monſtrâſſe fertur in regiones occidenti ſubjectas. At contudit impetum eorum poſt biennium Theodoricus Gothus R. Italiæ, receptámq; Pannoniam Sirmienſem adjunxit ad breve tempus Italiæ, ùt produnt Caſſidorus in Chronicis, & Ennodius Titienſis in Panegyrico, quo ornavit Theodoricũ. At hic propterea magnam offenſam ſubiit apud Anaſtaſium. Usq; adeò difficile eſt de ſuo jure aliquid detrahi ſinere. Eruperunt autem Bulgari à flumine Volga, olim Rha vocato, ob idq; nonnullis Vulgares, vel Volgari dicti ſunt. Cùm

*Theodoricus terret, & diſſipat Bulgaros; Pannoniam recipit, eiq; præficit Coloſeum.*

ali-

aliquantùm reſpirâſſet Pannonia, Symmachus Papa Theodoro Laureacenſi Præſuli pallium miſit, eúmq; *Primatem* Pannoniæ creavit. Sed ut ad Hunnos revertar, animadverti, jacuiſſe aliquandiu illorum res, excitaverunt eas diſcordiæ Chriſtianorum. Anno quidẽ ɪↄxɪɪɪɪ. impulſu Vitaliani Scythæ cum ſociis Bulgaris Myſiam, Thraciam, & Scythiam vaſtaverunt, ùt in Chronicis Marcellinus. Fuit autem Vitalianus homo Chriſtianus, qui Anaſtaſium, ſordibus Manichæorum inquinatum Principẽ, eâ viâ à turpitudine abſtrahere conabatur; ſed operam & ille, & omnes perdiderunt. Anno altero Hunni ad maleficium docti confuſis rebus Chriſtianorum per Armeniam, quam minorem dicunt, & Cappadociam in fines Lycaonũ populabundi excurrerunt. Poſt hæc multi inter Boſphorum, & Cherſoneſum juxa Euxinum ſedes collocaverunt, facti amici Conſtantinopolitanorum. quandoquidem Juſtinus Cæſar anno ſui Principa-

*Theodorus Laureacenſis Præſul accipit à PP. pallium anno 499.*

*Hunni vaſtant Thraciam &c. poſt Armeniam &c.*

*Conſident ad Boſphorum Thracium.*

cipatûs primo miſit ad eos Probum patritium de ſuppetiis cuidam Iberorum genti ferendis. Anno verò IↃXXVII. acceſſit ad Romanorum ſocietatem princeps mulier vidua, nomine Boazer, habens ſub ſignis C. M Sabirorum, ſive Iſaberorum, qui etiam Hunni dicebantur. Ejus exemplo inductus Gorda, Rex germanorum Hunnorum, qui ad Euxinum conſederant, adiit ad Juſtinum Imperatorem. Edoctus Conſtantinopoli Chriſtiana ſacra *baptiſmum* accepit. Juſtinus nihil dubitans de fide hominis, nec falſus animi, fines Romanos, & in primis Boſphorum oppidum tutelæ ejus commendavit. tum ampliter donatum cum bona gratia ab ſe dimiſit. Sic Baronius cum auctore *Miſcellæ*. Cedrenus verò addit, Gordam poſtea Juſtiniano Imp. à fratre Magore, quòd Chriſtianæ militiæ adſcriptus, ſimulacra patriorum Deorum confregiſſet, occiſum eſſe. Habent ergo Hūni *Martyrem* Chriſti Regem. Magor verò eo ſcelere exaſperatum non ſatiavit animum,

*Boazer fœmina princeps ſtudioſa Chriſtianorum.*

*Gorda R. Hunnorum fit Chriſtianus.*

*Occiditur propterea à fratre Magore.*

bel-

bellum inſuper immane in Conſtantinopolitanos apparavit. Siquid in anno poſt Chriſti ortum IↃXXX. qui fuit Juſtiniani Imp. tertius decimus, Hunni ſedibus ſuis effuſi, multas urbes expugnaverunt, cunctáq; uſq; ad Conſtantinopolis ſuburbia, nemine gladios teláq; retundente, depopulantes, maximas prædas egerunt, centenis ac vicenis captivorum millibus in ſervitutem abſtractis. Adhæc crebris incurſionibus tanta mala, damnáque Conſtantinopolitanis intulêre, quanta nulla natio immanitate efferata antea illis injunxerat. Imperator, ut tandem ruinas ſiſteret, non duntaxat illis, ſed Saracenis etiam Palæſtinam incurſantibus annua ſtipendia promiſit. Deſcribit triſtem illam Conſtantinopolitani Imperii faciem Procopius *de bello Perſico Lib. II.* Magis verò eam deformârunt Sarmatæ Sclavi, qui anno IↃXLVIII. ſedibus ſuis exciti, per Jazygum Metanaſtarum terrã, veterémq; Daciã in Illyricum magnis itineribus contenderunt. Peregri-

*Hunni variibus reſumptis peſtifero incurſu affligunt Conſtantinopolitanos.*

*Sclavi tendunt in Illyricum, & ſedes in eo collocare incipiunt.*

regrinationem eorum, & ſedium in Illyrico collocationem, ex Procopii narratione taliter tangit Spondanus: *Additum ad alia damna, ut Sclavinorum exercitus transmiſſo Iſtro Illyricum occupârit, quæ poſtea ab illis Sclavonia dicta.* Idem ſcriptor anno IↃL. præeunte rurſus Procopio, à Sclavis, ſecundò trajicientibus Danubium, Illyricum & Thraciam pervaſtatam eſſe memorat: año verò poſtero ad Hadrianopolim Conſtantinopolitanorum copias ab iisdem fuſas. Hunni ſuperiore bello uſq; eò militaris virtutis nervos contenderunt, ut ultrà nequierint. Quippe nihil admodum memorabile Marte ſuo poſtmodo geſſerunt. Sequitur ergo de populis fœderatis Hunnis, eorúmq; geſtis. De Catraguris, ſive Catriguris Agathias eadem recenſet, quæ Procopius paulò antè de Hunnis germaniſſimis. Vexâſſe videlicet eos Mœſiam, Thraciam, Græciam ductore Zabergâ; cúmq; ad Conſtantinopolim feſtinarent, à Beliſario, jam grandi natu clariſſimo duce, de-

*Catraguri reipublicæ Conſtantinopolitanæ pernicioſi, vectigal extorquent ab Juſtiniano Caſ.*

depulſos quidem de regionibus illis fuiſſe, ſed cum pactione tributi. Cecidit hæc incurſio in annum ꟾↄLVIII. Menander ſcriptum reliquit, Juſtinianum Imp. ſubinde metuentem, ne Zabergas iterum turbaret, per frequentes nuncios ac literas Sandilchum, vel Sandilem Utigororum ducem ſtimulâſſe ad bellum Zabergæ inferendum, pollicendo ei annua ſtipendia, quæ Zabergæ perſolvebat; Sandilchum autem reſpondiſſe, quamvis grata ſibi cum Romanis neceſſitudo foret, nequaquam tamen ſe commiſſurum, ut eos bello laceſſat, quibus eadem lingva, ſimilis veſtitus, par vivendi ratio eſſet; deniq; declarâſſe eos cognatos ſuos eſſe, etſi alienigenis ducibus parerent. Ex qua reſponſione conjectat Franciſcus Otrocotſius Zabergam Bulgarum fuiſſe, ſed in exercitu veros Hunnos habuiſſe. Hunnos Utiguros, ſive Utuguros trans paludem Mæoticã ſedes ſuas adeóq; etiã Juſtiniani Imp. ætate habuiſſe, docet Procopius. An autem Sandilchus cupi-

*Hunni aliquo tempore Bulgaris miſti erant.*

*Hunni Utigori.*

cupiditate auri inſtinctus, occidione occiderit Catraguros, quod quidam ex narratione Agathiæ colligit, vix credi poteſt. Si enim inter illos Hunni non pauci fuerunt, eos certè, non læſerit; ſi verò Catraguri, omnes Bulgari fuerunt. nec illos ad internecionem cæſos eſſe, veritas eſt perſpicua. Excitanda eſt hoc loco memoria D. Lauriani M. natione Pannonii, myſtæ inclyti. Fuit hic vir omni genere virtutis præditus, effectórq; mirabilium ſua ætate maximus. Vitam tranſigebat Mediolani. Quia verò Totilæ regi Gothorum Ariano, impietatem exprobrare non dubitavit, capitis periculũ adiit; quod ut vitaret, domicilium frequenter, & aſſiduò mutabat. Excurſores Totiliani ubiq; viciſſim veſtigia fugitantis perſequebantur, & incredibili ſagacitate odorabantur. Denique apud Maſſiliam, Laurianus agnitus & comprehenſus, capite cervicibus abſciſſo vitam pro Chriſto reddidit, anno IↃXLVIII. cùm eſſet deſignatus Pontifex Hiſpalenſis.

*Laurianus Pannonius M.*

Hæc

Hæc de eo prædicant ſacri hiſtorici, nec tacet *Martyrologium* Romanum ad VII. Idus Julii.

# CAPUT VII.

## *De Avarum, ſive Abarorum in Daciam adventu.*

*Abarorum, vel Avarum etymon incognitum.*

NOn laboro, ut vim illius vocis perſcruter, unde Avares dicti fuerint: id enim abundè præſtitit Otrocotſius, in Originibus Hungaricis, ubi apertis omnibus Hebraicis, Hungaricis, & Sclavonicis fontibus quantum veritatis expreſſerit, exiſtiment eruditiores. Suffecerit oſtendere, Avares fuiſſe populum Hunnicum, quando neq; Germanicæ, neque Sclavonicæ cuiquam nationi, ſed Hunnis Dacicis ſe ſe adjunxerunt. Hunnoavares utraq; gens vocati, quandóq; ſinè copulatione Avares, vel Hunni; interdum ex Sclavonica appellatione Ugori, vel Unoguri, nonnunquam Græcis Turci; quæ omnia varios annales, libróſque evolventi ſe offerunt. Evagrius

*Junguntur Hunnis Dacicis, & Boſphorianis.*

*Avares quales populi, & unde venerint in Daciam?*

grius (*Lib. V. Cap. I.*) prodit, Abaros fuiſſe nationem Scythicam Amaxobiorum, quæ in ſarracis vitam agens, ultra Caucaſum, ubi longiſſimè campi porriguntur, habitâſſet; ſed à proximis Turcis aliquando malè multatam, relictis illis ſedibus cum uxoribus ac liberis primùm ad Boſphorum advolâſſe, deinde per oram Euxini multorum dierum viam progreſſam, cũ omnibus occurrentibus populis collatis ſignis depugnando, Iſtri ripam attigiſſe. Menander verò (*in Excerptis legat.*) addit, confeſtim nuncios ab Abaris miſſos eſſe ad Juſtinum, ripæ Iſtri præfectum; qui Imperatorem Juſtinianum, certiorem de eorum adventu fecit. Imperator verò juſſit homines ad ſe Conſtantinopolim continuò deduci. Candices (*Candich.*) princeps legationis erat. Is ubi in conſpectum Juſtiniani venit, taliter verba fecit: Adeſt Imperator gens omnium fortiſſima, atque innumerabilis, hominum genus acie invictum, bellóq; inſuperabile; quod

*Avarum nuncii ad Juſtinianũ Imp. miſſi.*

*Avarum nuncii Candicis poſtulata apud Juſtinianũ Imp.*

quod omnes hoſtes tuos profliga re ac conterere poſſit. Si ſocietatem cum eo junxeris, fœdú q; ſanxeris, nihil ad utilitatẽ tuam præſtantiùs egeris. Ut verò tibi fideliter deſerviat, hoſtéſq; à terris tuis abſtineat, id tum demum obtinebis, ſi certam pecuniam annuis penſionibus ei ſolveris, terrámq; fertilem, quam colat, conceſſeris. Ubi ita peroravit Candices, Imperator jam ſenio, ocióq; confectus, ac deſperans ſibi, muneribus conciliandos cenſuit Abaros, ſenatúsq; ſententiam ejus probavit. Redeuntibus Abaris comitem adjunxit quendam Valentinum, cui mandavit, ut cum gente fœdus iceret, eámq; ad perſequendos bello Romani Imperii hoſtes impelleret. Ut mandata digeſſit Valentinus, muneráq; Chagano præbuit, illico Abari Viguros, & Zalos domuerunt; Sabiros autem deleverunt. Menander ratus eſt, Zalos Hunnicam gentem fuiſſe; at enim Zali, Ptolemæo Sali, diverſi erant populi à Chunis pariter ac Sabiri, eidem

*Juſtinian9 Imp. metuens ſibi conciliat animos Avarum.*

*Zali & Sabiri non fuerunt populi Hūnici.*

*Avarum ſedes in Aſia excutiuntur, & deteguntur.*

auctori Savari, quamvis impropriè Hunni appellati fuerint. Si revera Abari, acerbè à Turcis tractati, ut narrat Evagrius, advenerunt à Caucaſo, credibile quoq; eſt, fuiſſe eos ex genere alborum Hunnorum, quos laudat Procopius; ſiquidem mons ille ſpectat ad mare Caſpium, quod accolebant albi Hunni. Inter Caucaſum autem, & Ceraunios montes Tuſcos locat Ptolemæus, quos nonnulli opinantur eſſe Turcas Plinii; at Turcæ ejus non erant Caucaſi accolæ, ſed Sacæ, & Maſſagetæ Perſis finitimi. Maſſagetas Photius ex Theophanis Byzantii hiſtoria colligit eſſe Turcas: at Evagrius utroq; antiquior ex variis indiciis conjecit, Maſſagetas patres fuiſſe Hunnorum. Jam ſi quis locum D. Hieronymi in primo motu Hunnorum allatum cum Evagrii narratione componat, & accuratiùs expendat, perſpiciet apertè, ex una eadémq; regione Hunnos & Abaros erupiſſe, atq; adeò ejuſdem generis ac originis fuiſſe. Notatu dignum, principes

*Hunni, & Avares ex eadem regione advenerunt.*

pes Abarorum nuncupatos fuiſſe Chaganos, Chajanos, & Bajanos, ſicuti Imperatores Romani communi nomine appellantur Cæſares, Turcarum Sultani. *Delati fuerint* in Daciam Avares Juſtiniani Imp. anno XXXVIII. qui fuit à Chriſto nato IↃLXIIII. Hinc autem non injuriâ redarguas Aventinum, ut qui prodiderit, anno circiter IↃVIII. inductu Clodovei Francorum R. Theodonem Bojorum regulũ non ſolùm Angilos, & Charinos, Venedicas gentes, ac reliquias Hunnorum, ſed etiam Avares, adhuc incertos ſedium, contra Romanos advocâſſe, copiáſq; Giſonem duxiſſe. Rectiùs forſitan ſubjicit, circa annum IↃXX. à Theodone juniore ad Brundunum ſubſidio Hunnorum Romanum exercitum cæſum eſſe. Sed rurſum corruptè judicat, & ſubtexit, Romanos præliis ejus Theodonis attenuatos non modò Noricum, ſed Pannonias quoq;, & Mœſias deſeruiſſe. Deniq; an Hunni ſine ſociis Avaribus Noricum inſederint, in ancipiti

*Principes Avarum dicti Chagani.*

*Aventini error de Avaribus.*

*Giſo Hunnorũ dux.*

*Alter Avẽt. error de Pannoniis, & Mœſiis ab Romanis derelictis.*

 poſi-

poſitum eſt. Altera legatione petebant Avares ab Juſtiniano Imperatore, liceret ut ipſis terram obire ac oculis perluſtrare, quam incoleret humilis multitudo, non autem Chaganus ipſe & ſummates, qui adhuc Scythiæ deſiderio tenebantur. Deſignabant autem Pannoniam, quam tenebant Longobardi, & Gepidæ, Gothorum progenies.

*Avares terram petunt ab Juſtiniano Imp.*

# CAPUT VIII.

## *De geſtis Hunnoavarum Imperatoribus Juſtino, & Tiberio Conſtantino, id eſt, ab anno Chriſti* IↃLXV. *ad annum ejuſdem* IↃLXXXIII.

ANno IↃLXV. Idibus Novemb. deceſſit Juſtinianus Cæſar, poſtero verò die ſenatûs Conſtantinopolitani acclamatione ſalutatus eſt Auguſtus Juſtinus; ad quem inſequenti anno venit legatus Regis Avarum Targites cum Vitaliano interprete petitum pecuniam, quam quotannis Cutriguris,

*Avares petunt vectigal à Juſtino Imp. nihilq; obtinent.*

ris, & Utiguris numerare ſolitus erat Juſtinianus. Verùm Juſtinus nec dare, nec polliceri quidpiam, quin arma denunciare, ſiquam perniciem Avares reipublicæ Romanæ molirentur. Hæc pluribus verbis (*Lib. II.*) exequitur Corippus. Photius verò memorat, per eos dies adfuiſſe Conſtantinopoli legatos quoq; Turcarum, qui munera Juſtino attulerunt, oraverúntq; ne Avarum poſtulationi ullum daret locum. Vacui itaq; reverterunt ad Chaganum oratores eorum Hunnorum. Super hæc præcepit Cæſar cuſtodi ripæ Danubii in Mœſia, ut illis arma eriperet, quæ Byzantii coëmiſſent. Hinc odium Avarum adverſus Conſtantinopolitanos, aliquamdiu tamen ſuppreſſum. Alboinus enim R. Longobardorum inimicitias gerens cum Cunimundo Gepidarum rege, præmiis Chaganum ad armorum ſocietatem pelliciebat. At is ultionem in Romanos coquens, paránſq; diu ſe inexorabilem præſtitit, ad extremum aſſenſus eſt, non aliter tamen,

*Turcæ abalienant Juſtinum ab Avaris.*

*Avarorum Chaganus promittit auxilia Alboino R. Longobardorum certis conditionibus.*

quàm ſi Alboinus decumam omnium pecorum, quæ habebat, ei daret. Si victoriam adipiſcerentur, dimidium inſuper prædæ, regióq; Gepidarum Chagano cederet. Gepidæ ergo à duabus nationibus bello ſuperati, de poſſeſſione Sirmienſis Pannoniæ, & Moëſiæ Singidunenſis, déq; fortunis ſuis deturbati ſunt. Vix debellatum cum iis erat, Longobardi à Narſete, ut fertur, inſigni cetera duce (Totilam namq; & Theiam Gothorum reges acie victos occiderat, Romámq; Conſtantinopolitanis reſtituerat) in Italiam evocati ſunt año IↃLXVIII. Hunni vel officii gratiâ comitati ſunt Longobardos, vel ſpeculandi cauſâ excurrerunt in Germaniam: ubi cùm re frumentaria laborarent, ſuſtinebat commeatus eorum Sigebertus Rex Francorum forſitan coactus. Sic enim Rhegino Abbas: *Hunni, qui & Avares, compertâ morte Clotarii ſuper Sigebertum irruunt:* niſi fortè id ſuperiore quodam anno accidiſſet, quo fœdus cum eo Rege fecerunt. Cùm peregre fuerunt,

*Gepidæ opprimuntur.*

*Longobardi in Italiam acceſſuntur.*

*Avares luſtrant Germaniam.*

runt, Conſtãtinopolitani illis non ſolùm Sirmienſem agrum eripuerunt, verùm etiam turmas, quas ad cuſtodiam ſarcinarum, præſidiúmq; liberûm, & conjugum in Pannonia reliquerant, anno inſequente ſub Tiberio duce, prætorianorum militum præfecto, diſſipârunt, ac in ſervitutem aſſeruerunt. Qua de re extant illa ad Juſtinum Corrippi carmina, *Perdunt intereà tractum Sirmienſem.*

*Illa columbrimodis Avarum gens dura capillis,*
*Horribilis viſu, crudiſq; aſperrima bellis,*
*Imperio ſubjecta tuo ſervire parata:*
*In media ſupplex de fuſis crinibus aula,*
*Exorat pacem, nec fidere millibus audet*
*Tot numeroſa ſuis Romana laceſſere ſigna.*

Et rurſum,

*Pars inimicorum cecidit cùm magna tuorum*
*Perfidiâ punita ſuâ: nunc marte peracto*
*Victores, victiq; una famulantur in aula.*

Sic Poëta ille.

*Chaganus indignans emittit in Dalmatiã Cotriguros.*

Moleſtè id quidem tulit Chaganus, moderatè tamen principiò. Ubi verò ne exigua quidem munuſcula à Bono, Sirmii Præfecto, impetravit, gravem indignationem concepit, juſſitq; dena Cotrigurorum millia in Dalmatiæ fines infeſtè procurrere. Ipſe verò cum omnibus copiis trajecto Iſtro in regione Gepidarum conſtitit, miſitq; ad Imperatorem Targitium cum mandatis, ut repeteret Sirmium, & quendam nobilem captivum Gepidam, nomine Usdibadum, exigerétq; ſtipendia pluribus annis intermiſſa.

*Chagani poſtulata ter rejicit Juſtinus.*

At Juſtinus Targitio iterum ac tertiò legationem obeunti aures vacuas præbuit. Tiberius dux ad pacem inclinabat, útq; terra Hunnis, quam petebant, daretur, Cæſari ſvadebat: at huic nil niſi bellum placebat.

*Incruenta victoria Hunnorum de Conſtantinopolitanis.*

Verùm commiſſo deinde prælio anno ICLXXIIII. victoria penes Hunnos ſtetit, eáq; omni memoriâ inaudita. Nam, ùt refert Evagrius, Conſtantinopolitani ne conſpectum quidem, nedum impetum Hunnorum ferre poterant, pro-

propéq; factum eſt, ut Tiberius dux caperetur. Juſtinus demum ad oblatas conditiones deſcendere neceſſe habuit. Et quamvis inter eum, & Chaganum pax aliqua convenerit, Chaganus tamen per ſcelus, pérq; perjurium (Sclavos ſe invaſurum ſimulans ac mentiens) ponte junxit Savum Sirmiúmque undiq; copiis cinxit, ac cives militésq; commeatu omni prohibuit. Cúmq; propterea multi fame enecarentur, Tiberius dux judicavit, plus commodi capturum Imperatorem, ſi urbs Avaris dederetur, quàm cum populo amitteretur. Præcepit ergo is per literas Theognidi ſtratego, ſi aliter res conventura non eſſet, efficeret, ſaltem uti milites civésq; ſalvi, unicâ togâ amicti, modicéq; viaticati ceteris omnibus Avaribus relictis ex urbe egrederentur. Ad hanc uſq; deditionem fuerunt Sirmii Epiſcopi, an adhuc Ariani, non eſt in aperto. Menander Græcus hiſtoricus, qui res illas perſcripſit, videtur ſignificare, Sirmium ab Hunnis ca-

*Pax aliqua inter Chaganum, & Juſtinum.*

*Chaganus obſidet Sirmium perfidioſè, quod Tiberius jubet ipſi dedi.*

captum eſſe defuncto Juſtino Cæſare; ſed vixiſſe eum, deditionémque illius urbis ſententiâ ſuâ comprobâſſe teſtificatur Evagrius (*Lib. V. Cap. VII.*) ità ſcribens: *Cùm hæc in oriente gererentur*, Choſroë bellum Romanis comovente, *Sirmium à barbaris capitur, quæ civitas antea quidem à Gepœdis poſſeſſa, poſteà verò Juſtino fuerat ab illis tradita. Interea autem Tiberium Juſtinus conſilio Sophiæ Cæſarem declarat.* Quatuor ferè annis collega Juſtini fuit Tiberius, ſed quoad ille ſpiritum duxit, regiis inſignibus abſtinuit. Quæ ſi ità habuerunt, Hunni Sirmium in ſuam poteſtatem redegerunt anno IↃLXXVI. Sed non aſſveti nitidæ habitationi, urbem pulcherrimam ſartam tectam conſervare non curaverunt. Neq; eâ contenti eo uſq; horribilia omnia Conſtantinopolitanis minitari non deſtiterunt, donec in præteritum triennium ſtipendia ab iis exprimerent. Stipendia porrò illa in annos ſingulos erant octoginta aureûm numorum millia. Verùm triennio vixdum exa-

*Sirmium quando occupatum ab Hunoavaribus.*

exacto ità de tributariis ſuis meriti ſunt Avares, ut ſi alterum tantum exegiſſent, modicum quid videri potuiſſet. Anno namq; IↃLXXIX. Tiberius Conſtantinus ex nationibus, quæ Pannoniam, Mœſiam, Illyricum, & Iſauriam incolebant, conflavit exercitum, quem adverſus Choſroëm Perſarum regem, hominem ex victoriis inſolentem, & crudelem in Chriſtianos, miſit, eiq; præfecit Juſtinianum. Fuerunt ergo in illa expeditione Hunnoavares, Bulgari, ceteriq; Sclavi. Curs Scytha, ùt auctor eſt Evagr. (*L. V. Cap. XIII.*) initium pugnæ, & victoriæ fecit, opimam prædam de ſarcinis Perſarum egit, ignémq; perpetuum, Deum Chosrois abſtulit. Hic Curs fuerit Hunnus, à quo nomen accepit longiſſimus agger per Philiſthæorum Hungarorum tractum extentus, hodiéq; agger Regis Curſi (*Csűrsz Király árka*) dicitur. Chaganus itaq; ſecundus Hunnoavarum fuerit Curſus. Primum dicere non audeo, quia nimis extento vixiſſet ævo. Antequam

*Huñoavares auxilio ſunt Tiberio contra Chosroëm regem Perſarum.*

*Curſus Chaganus, adoritur Chosroëm, & fugat.*

quam accepiſſet Sirmium, ſuperiorem Pannoniam in ditionem ſuam redegerat; ſiquidem ex ea provincia materiam ædificando ponti navibus deportaverat.

# CAPUT IX.

## *De geſtis Hunnoavarum Principibus Mauritio, & Phoca.*

*Chaganus reſpuit munera Mauritii, ſtatū tributum exigit; nihil impetrans, bello petit Mauritium.*

MAuritius Cæſar ſtipendia, quæ Hunnis de republica Romana bene meritis procedebant, donis tantùm explere volebat, ipséq; Chaganus lectum inauratum expoſcebat; quē tamen poſtea inferiorem ſua majeſtate ratus, reſpuit: imò auctoritati ſuæ eo illuſum interpretans, ut ſtatis illis octogies mille aureis, vicena inſuper aureûm millia adjicerentur, audenter edixit. Cùm verò Mauritius poſtulationi ejus nihil concederet, claſſicum cani juſſit, atq; in expeditionem exercitus eduxit. Effuſa multitudo primùm Singidonem, Auguſtam, & Viminacium in Mœſia, deinde in Thracia

*Singidonē, Auguſtam, Viminaciū expugnant Avares.*

cia

cia Anchialum expugnavit, ùt tradit Theophilus Simocatta ( *Hiſt. Lib. I. Cap. IIII.*) qui Auguſtam & Viminacium, ùt temporibus illis, Illyrico attribuit. Evagrius ſilet de Anchialo, ſed addit, omnem Græciam incendio fumâſſe, multáq; oppida capta, & Avares ad longum uſq; murum excurriſſe; qui quidem murus diſtabat Conſtantinopoli ſtadiis ducentis & octoginta, à Ponto Euxino ad alterum mare procurrens, ab Anaſtaſio Imp. ad arcendos ab agro Conſtantinopolitano Colchos, aliásq; barbaras nationes à Mæotide, Caucaſo, Europáq; erumpentes, ùt tradit idem Evagrius. Longus erat ſtadiis cccxx. Apud eum condidit Anaſtaſius urbem quoq; peropportunam, quæ ex ipſo Anaſtaſiopolis appellata eſt. Nicephorus ( *Lib. XVIII. Cap. XXVIII. & IX.*) ſcribens de bello, quod percenſeo, notificat, in exercitu Chagani Sclavos quoq; fuiſſe, varióq; eventu cum Cæſarianis pugnatum. Ne porrò ſævitiâ ſuâ adverſus plures gentes graſſaren-

*Murus longus prope Conſtantinopolim.*

*Sclavi ſocii Avarûm in bello, anno 587. geſto.*

ſarentur Scythæ, fortitudine ac virtute Priſci ducis, & diſſvaſione Theodori medici, qui apud Chaganum de pace agebat, effectum eſſe. Cùm enim tanta jam detrimenta accepiſſet Mauritius, tribúsq; menſibus vaſtationem ſuarum provinciarum pertuliſſet, ad placandum Chaganum adjecit animum, miſitq; ad eum, tum Anchiali commorantem, Theodorum illum, velut apud Simocattam ſcriptum eſt, Commentiolum. Chaganus furens durum atq; inexorabilem ſe homini præbuit. Tentorium ſiquidem illius concidi, ipsũ verò in cuſtodiam tradi juſſit. Poſtridie tamen precibus ſuorum mitigatus, vinculis miſerum exolvit. Imperator ergo pluribus malis prævertendum eſſe cenſens, ſignificavit per alterum nuncium Chagano, ut ad ſe hominem idoneum mitteret, quicum de pace tranſigeret. Ille autem in eadem ſententia perſiſtens non alio pacto ab armis diſcedere voluit, niſi Mauritius ratis illis octogenis aureûm milli-

*Chaganus malè tractat legatũ Mauritii, & acceſſionem tributi extorquet.*

millibus vicena adderet. Pax itaq; reducta eſt. Incidit motus hic Hunnorum in annum Chriſti nati IↃXCIII. ùt rectè collegit Spondanus ex epiſtola M. Gregorii Papæ ad Priſcum ducem data. Pax tamen ſtabilis non fuit. Priſcus enim dux, qui ſumma fide eam ſervare debebat, prior rupit. Tranſmiſſo ſiquidem Iſtro, ùt apud Theophanem ſcriptum eſt, media nocte in ditionem Sclavorum irrupit. Eos, qui in ſtatione erant, ex improviſo adortus, vel interfecit, vel diſſipavit. Parum aberat, quin dux gentis Ardagaſtus, multos annos Romanis infeſtus occideretur, aut comprehenderetur. Rem proſperè geſtam inſolita lætitia, ſed brevis, Conſtantinopoli excepit. Vix impune laceſſuntur fœderati populi. Ne illi, qui variis in libris legunt ea, quæ infeſtè in Venetos, Pannonios, Thraces, Hunni & Sclavi fecerunt circiter annum IↃC. ira furoréq; tantùm inſtinctos omnia egiſſe putent, depromo orationẽ è monumentis Simocattæ, quâ Chaganus

*Priſcus dux pacem turbat.*

*Ardagaſtus Sclavorum Dux.*

*Chagani invectio in Mauritiũ, & Priſcũ.*

ganus in Mauritium, & Priſcum invehitur: *Quid hoc rei eſt*, ait, *ô Dii immortales? Quibus proprium erat religionem colere, iis nunc facile ac promptum eſt impiè agere. Pacem Romani violârunt, fœderis lex vitiata eſt, ſal pactionis infatuatus, fidei reverentia evanuit, ſequeſtre jusjurandum periit. Iſter hoſtile ſpectaculum, & Priſcum, qui paulò antè pacem Romanis, & Abaris deſponderat, ferro armatum videt. Iniqvus es Cæſar, dum fraude mala bellum nefariè ſtruis. Non eſt imperatorium, quod moliris, non ſunt ab auctoritate iſti ſpiritus, conſilium iſtud eſt prædatorium, palàm execrabile eſt factum tuum. Aut coronæ ornamentum depone, aut poteſtatis decus non corrumpe. Vos barbaros ad nequitiam inſtituiſtis. Fœdus diſſolvere neſcoviſſemus, niſi vos mendacii magiſtros inveniſſemus; qui à bello nunquam feriamini, & pacem nunquam complectimini. Dum bellum geris, injuſtus es; dum fœdus percutis, mœrorem ac dolorem affers. Et quando tandem credi poterit, te quietem ab armis deligere? Quam nuper vobis humanitatem exhibui-*

*Scythæ ſalem adhibebant in ſanciendis fœderibus.*

*bibuimus, Priſce dux reverere. Tanquam amicos, non hoſtes futuros, vos ſervavimus. Proh! humanitas! quæ nobis ægritudinem periculúmq; parturis. Qui nobis ſalutem ſuam debent, nunc longè aliud remetiuntur, & nos juxtáq; Deos ipſos oppugnant. Obſidetur enim arx ſacramenti, & quod præſtantius eſt, à deteriore vexatur, & dolus liberè graſſatur, & mendacio principatus committitur, & injuria palàm exercitum ducit. Si igitur tu dux vires tuas infirmas, noſtras contrà validas agnoſcens, nos reverebere, damnum tuum præter pudorem nullum erit. Si verò non, ultio tibi magiſtra fiet, quæ cum cladibus pœnitudinem adducet.* Hactenus Chaganus, & Simocatta (*Lib. I. Cap. VIII.*) Si verò ea ità habuerunt, magno profectò impedimento fuerunt Hunnis Conſtantinopolitani, ne ad ſacra Chriſtiana animum appellerent. Priſcus nil habens, quo objecta dilueret, prætexuit hoſtilitatem Sclavorum. Fax igitur belli funeſtiſſimi extitit. Chagano non ſatis erat, reprehendiſſe fœdifragum, ſed ſe populósq;

*Chaganus hac oratione bellum Perſicum reſpicit, quo Hunni Mauritio Imp ſuppetias tulerunt.*

*Sclavi occupant Mœſiam, Illyricum &c.*

ferro accinxit. Ac primùm quidem Sclavos in Mœſiam, & Thraciam immiſit; qui non ſolùm regiones eas depopulati ſunt, ſed etiam magnam earundem partem ſibi contribuerunt. Tradit hæc Simocatta hujusmodi narratione: *Sclavini ab Hunnis ſubmiſſi, & ſubornati impreſſione facta Romanæ telluris partem latiſſimam occupant, & uſq; ad murum longum in Thracia confertim proſilientes, graſſantésq; funera multa faciunt.* Jam antea iidem populi ſe in Illyrici, Pannoniæq; partes intulerant, hoc bello verò fines limitum protulerunt Iſtriæ, & Italiæ hoſpites. Conſequentibus temporibus variâ fortunâ uſi: modò enim Conſtantinopolitanis obnoxii erant, modò jugum exuebant.

*Chaganus Thraciam ſubigit.*

Chaganus producens bellum anno IↃXCIX. in Thraciam infeſtis ſignis irrupit, Druſiparam multáq; alia oppida expugnavit, Tomos denique hieme circumſedit, copiarum Cæſarearum robore urbem propugnante.

*Chagani benignitas in Chriſtianos.*

In ea oppugnatione præclarũ ac mirabile factũ ejus memorat

rat ac prædicat Simocatta. Cùm, inquit, vix jam famem tolerarent obſeſſi, comeatum illis devehendum curavit, & quinque dierum inducias conceſſit, quò liberiùs divinis rebus vacare, & *Paſchæ* ſolennia lætiùs agitare poſſent. Liberum præterea erat iisdem diebus utriq; exercitui omnium rerum commercium. Non minùs quoq; mirum videri poſſet, ejuſdem Chagani effatum, quod hiſtoricus ille in hunc modū effert. Cùm Theodorus legatus variis ſermonibus atq; argumentis emolliret animū illius, ad extremúmq; obſecraret, ne cum Seſoſtre, Ægypti rege, nimis ſibi tribueret, quia fortunæ rota nimiùm volubilis eſſet. Ille tum quidem tacuit; poſt aliquot verò horarum ſilentium, & meditationem ad Theodorum: *Novi* inquit, *iram debellare: ſed in tempore. Deſino Priſco iraſci: ille viciſſim ex æquo, & bono mihi amicus ſit.* Scitū ſanè dictum, ſed ùt exitus docuit, vanum. De reliquo armis ſuis tantum metum injecit Conſtantino-

*Chagani modeſtè dictum.*

 poli-

politanis, ut ferè deliberaverint urbem deſerere, ac in Aſiam migrare. Liberavit tamen eos tandem metu ſupremus mundi rector atq; moderator. Peſtilentiâ enim, ùt perhibent, ob incenſum & expilatum templum, violatúmq; D. Alexandri M. ſepulchrum Avarorũ attrivit exercitum: quâ etiam ſeptem filii Chagani uno die interierunt. Cùm adhuc mortuos lugeret, venit ad eum Druſiparæ commorantem Armaton, Mauritii legatus, afferens munera, quæ ut acciperet, vix adduci poterat. Poſtero die pax inter partes ità convenit: ùt Iſter Romanorum, & Avarum terras diſtraheret, Romanis contra Sclavos id flumen trajicere fas eſſet; ſtipendia verò, quæ quotannis Romani penderent Avaribus, vicenis millibus aureorum rurſus augerentur. Hoc bello florentiſſimæ Thraciæ Pontiq; urbes exciſæ everſæq; ſunt. Antequam moveret Chaganus, Imperatorem hortatus eſt, ut uno numo, deinde etiam minoris ſingulos captivos, quos

*Chagani ſeptem filii peſtilentiâ rapti.*

*Chagani pax cum Mauritio quibus conditionibus.*

*Mauritii Imp. immiſericordia & pœnitentia.*

quos innumeros habebat, redimeret; cùm verò is ne tantulum quidem ſignati æris in redemptionem calamitoſorũ erogare vellet, Chaganus, qui ante dixerat, ſe noſſe in loco iracundiam vincere, hìc impotens animi omnem multitudinem de medio tolli juſſit. Ità duorum hominum unum im̃iſericordiæ crimen inſontum catervas perdidit. Chaganus ſecundis rebus immodeſtus atq; intolerabilis ſumpſit ſibi, ut etiam in Italiæ provinciam, quam Forum Julii dicunt, anno ſequente arma intulerit. Cæſo in acie Agilulpho, vel Sigulpho terræ domino, oppidum Forum Julium, quondam Carnorum, à quo regio nomen accepit, omni vi circumſedit. Reliquiſſet obſidionem, niſi Romilda, laſciva & intemperans femina, paulò antè Agilulphi uxor, oppidum prodidiſſet. Captũ itaq;, incenſum, & everſum eſt. Juventus, & viri ferro trucidati, reliqua utriuſq; ſexûs multitudo in ſervitutem abducta. Romilda, procacitatis exemplum, in campo pro-

*Chaganus in Forum Julii infeſtus, oppido ejus nominis potitur.*

*Romildam proditricē pali ſupplicio necat.*

ximo palo transfixa eſt, dicēte Chagano, *mulierem, quæ patriam prodidiſſet, non alio dignam eſſe marito.* Ità unius noctis oblectamentis Romilda interitum ſibi comparavit. Filiæ verò ejus, inter pudicitiæ exēpla cenſendæ, ſubter faſcias pectorales carnes crudas repoſuerunt; quæ per calorem putrefactæ tetrū ſpirabant odorem. Avares rati, omnibus ejus regionis mulieribus animam, aut corpus fœtere, à conſvetudine omniū refugerunt. Venum ſubinde datas in ampliſſimas familias nupſiſſe aliquas, literis proditum eſt. Præmium inſigni virtuti non poterat non deberi. Hac incurſione Sclavos in Dalmaticos penetrâſſe ſinus, auctores ſunt D. Gregorius Papa, & Paulus Diaconus. Inter hæc Mauritium Imp. facti maximè pœnituit. Omnes enim viros ſacratos, etiam in ſolitudinibus ætatē agentes, per nuncios oravit, uti pro ſe Deo ſupplicarent, ne poſt fata, ſed vivens peccati pœnas lueret: inde verò, ùt ferunt, in quiete ab ipſo Chriſto

*Filiæ ejus ſolertiâ ſe integras caſtásq; ſervant.*

edo-

edoctus eſt, ſe unà cum liberis, conjugéq; à Phoca milite occiſum iri: quod ità eveniſſe, res teſtata eſt. Cùm enim anno ıↄcıı. mandaret militibus, ut trans Iſtrum hibernatum irent, vel commeatum inde pararent: illi propterea excitato tumultu repentè Phocam centurionem ſcuto inſiſtentem, in ſublime ſublatum, Imperatorem ſalutaverunt; qui ſubinde Conſtantinopolim delatus, regiíſq; inſignibus ornatus de Mauritio, conjuge, quatuórq; filiis ſupplicium ſumpſit, & ipſe poſt ſeptem annos ob nimiam crudelitatem gladio percuſſus. Mauritius homo in numerum paucorum ritè pœnitentiam agentium referendus, inter cædes, Davidis illud carmen ingeminabat: *Juſtus es Domine, & rectum judicium tuum.* Spes peccantis non alibi poſita eſt, quàm in confeſſione. Jam naturæ conceſſerat amicus, idémq; hoſtis ac peſtis Conſtantinopolitanorum Curſus Avarum Chaganus: alioqui vivo illo minimè auſus fuiſſet Mauritius ad

*Mauritius Imperator cum ſuis à Phoca cæditur.*

comparandam annonam milites trans Iſtrum mittere. Renovârit fœdus cum Hunnis Phocas, ùt docet auctor *Miſcellæ:* poſtquam ſcilicet anno Principatûs ſui primo, maximas, ùt auctor eſt Nicephorus, clades accepiſſet. Poſtea ipſe in viscera reipublicæ ſæviit.

# CAPUT X.

## *De geſtis Hunnoavarum ætate Heraclii Cæſaris.*

*Chaganus III. ſimulat amicitiam cum Heraclio Imp.*

IPſos ſeptendecim annos per Hūnoavares quieti fuêre Conſtantinopolitani: tum tarditas atrocitatis gravitate compenſata eſt anno ᴍᴅᴄxᴠɪɪɪ. Chaganus namq; ſimulans amicitiam, ùt ſcribit Nicephorus Patriarcha Conſtantinopolitanus, & poſt eum Theophilus Cedrenus, legavit certos ad Heraclium Imperatorem; qui ex eorum adventu non mediocrem cepit voluptatem; útq; in officio ac humanitate certaret cum Chagano, viciſſim miſſis in Daciam Athanaſio Patritio, & Cosmo quæſtore illum,

*Invitatur ab Heraclio Heracleā.*

illum, tanquam amicum ad congreſſum, præſtituta die in Heraclea oppido Thraciæ habendum, evocavit. Ipſe interea ludos equeſtres apparabat, veſtésq; honorarias hoſpiti, & comitibus dandas concinnabat. Appetente verò conſtituta die in viam ſe dedit, occurſurus hoſpiti. Selymbriæ triduo conſtitit, præſtolans nuncios de adventu Chagani. Ecce tibi afferuntur quidem ii, at acerbiſſimi, Chaganum videlicet maximo cum exercitu Heracleam contendere. Quoniam verò probè cognita erat Hunnis Thracia, Chaganus ab Heraclea expeditos equites præmiſit; qui utroq; latere Selymbriam, & viciniorem Conſtantinopoli agrum uſq; ad longum murum circumvolitarent, elabiq; conantem Imperatorem cum comitatu interciperent. Verùm is, ùt in tali tempore, ingenti quidem horrore perfuſus, ut tamen ex incendio fortunæ effugeret, celeritate ſibi opus eſſe exiſtimavit. Quò verò faciliùs hoſtium inſidias vitaret, captivi-

*Chaganus inſidias tendit Heraclio, quas agrè effugit.*

tatém-

*Hunni vaſtant Mœſiam.*

tatémq; à ſe amoveret, regales veſtes cum pannis mutavit, alligatóque ad brachium diademate Conſtantinopolim pernici equo devectus eſt. Avari fugientem veſtigiis conſectati, uſq; ad campum urbi proximum, qui Septimus dicebatur, procurrerunt, ibiq; poſitis caſtris aliquamdiu in Conſtantinopolitanos graſſabantur; inde totam regionem, quam Panyſus amnis irrigat, fletu luctúq;, & cædibus complevêre. Prædis demum onerati in terram ſuam tranſito Iſtro reverterunt. Utriusq; ſexûs multitudo, quam captivam abduxerunt, fuit ad ducenta, & ſeptuaginta millia. Purpura ac cetera Cæſaris veſtimenta cum omni ludorum apparatu atq; hominibus, qui eum deferebant, intercepta ſunt. Ità Abari ludum luſêre luctuoſum atq; inſolentem. Hoſtis barbarus blandiens timendus maximè. Quamvis autem tanto maleficio à Chagano affectus fuerit Heraclius, tamen majora metuens, ac neceſſitati parens, fœdus cum eo pepigit. Anno

*Heraclius cum Chagano III. fœdus init, & in Per-*

verò

verò ıↄcxxı. antequam copias educeret adverſus Chosrhoëm, Perſarum regem, per literas filium ſuum Conſtantinum tutelæ ejuſdē commendavit. At lupo ovem commiſit. Cùm enim Heraclius adhuc bello Perſico occuparetur, Avares ſive pollicitationibus, ſive largitionibus à Perſis corrupti añо ıↄcxxv. belli Perſici quinto, Conſtantinopolim decem dies terra mariq; obſederunt: verùm Deo obſeſſis propitio, Chriſtiq; Dei Genitrice urbem tunc ſibi devotam protegente cùm mutuis armis, tum præcipuè vi tempeſtatum, terra ac mari in eos ſævientium, adeò conſumpti ſunt, ut pauci admodum in ſuam regionem redierint. Hujus certè expeditionis exitu ſeu felici, ſeu infelici Avarum Daciorum nervi acciſi ſunt. Iſtáq; fuit ultima inſignis clades, quam Conſtantinopolitanis intulerunt, ipſi verò à Deo multò maximam acceperunt. Leves tamen deinceps quoq; inter easdem nationes interceſſiſſe dimicationes, refert Nicephorus.

*ſas motu-rus filium ſuum tutelæ ejus cō-mendat.*

*Huñi Conſtantinopolim obſidētes divinitus incidunt in maximam calamitatem.*

CA-

# CAPUT XI.

## *De geſtis Hunnorum, Sclavorum uſq; ad regnum Caroli Magni.*

*Bulgarorũ Ducis cum Chagano inimicitia.*

PArcè deinceps de rebus Hunnicis ſcriptores. Colligenda tamen ſunt etiam pauca, quæ ab iis diſpersè dicuntur. Nicephorus memorat, circa annum IↃCXXXIIII. cùm dominatum Bulgarorum Chaganus occupare vellet, Cubratum, vel potiùs Chrobatum Bulgarorum ducem omnem populum, quem à Chagano acceperat aſperrimè habitum, terrâ ſuâ expuliſſe. Ac iſtud quidẽ in Mœſia ad Iſtrum contigit; in Pannonia verò, quod Aimonius (*Lib. III. Cap. XXIII.*) narrat; nimirum Dagobertum R. Francorum, anno regni ſui nono, qui fuit à natali Chriſti IↃCXL. miſiſſe ad regem Sclavorum legatum Richarium, vel Sicharium ad repetendas merces, quas negotiatoribus Francis Sclavi per vim abſtuliſſent. Ibi cùm Sclavorum rex ſignificâſſet, jucun-

*Dagoberti Francorũ R. legatio ad Samonem Sclavorum regem.*

dam ſibi fore cum Francis amicitiam, legatúſq; reſpondiſſet, *fieri non poſſe, ut ſervi Dei cum canibus fœdera jungant*, ſubjecit rex: *ſiquidem vos ſervos Dei profitemini, nóſq; appellatis canes, mirum non eſt, nobis frequenter concedi, ut ulciſcamur illa, quæ vos improbi famuli contra Dei committitis voluntatem.* His dictis exploſum è conſpectu ſuo faceſſere juſſit legatum. Samo hic rex vocabatur. Contumeliarum aculeis concitatæ gentes ad bellum ſe comparaverunt. Franci initâ cum Arivaldo Longobardorum rege amicitiâ tripartitò Sclavos aggreſſi ſunt. Longobardis, & Alemanis omnia ex ſententia evenerunt. Auſtraſii & Boji ad caſtellum Vogaſtrenſe cladem acceperunt. Hinc gradus quidam atq; aditus ad diminuendum Francorum regnum jactus, Sclavis ultra Anaſſum flumen progreſſis. Per idem tempus Gervanus quidã Urbiorum Sclavorum, qui Francis ſe ſubmiſerat, ad Samonem tranſiit. Recenſet hæc Fredegarius (*in Chron. Scrip. Hiſtor. Franc. Tom. I.*) & in

*Sclavorum Regis effatum ſalsũ.*

*Francorũ bellum cum Sclavis.*

*Hunni & Sclavi diſſident in Pannonia.*

& inſuper illud, principes Avarorum ſive Chunorum, & Bulgarorum anno IↃCXLII. incidiſſe in honoris contentionem. Ubi verò res ad manus venit, diſceſſiſſe Bulgaros inferiores: noviésq; mille diſpalatos ac ſparſos è Pannonia profugos cum liberis atq; uxoribus ad Dagobertum regẽ Franciæ confugiſſe. Et aſſignatas quidem fuiſſe exulibus in Bavaria ſedes, at non multò pòſt vel ipſo Rege jubente, vel non inſciente, de conſilio certè Francorum omnes ad unum una nocte per dolum interfectos eſſe. Scilicet etiam Boji noverant apponere cœnam Siculam. Ex iis, quæ dicta ſunt, perſpicuum eſt, eoſdem populos modò Sclavos, modò Bulgaros ab hiſtoricis vocatos fuiſſe. De reliquo Avares, & Bulgari frequentiſſimè amicitiam colebant, ſæpe in eodem exercitu militabant, promiſcuè habitabant; imò verò, altera gens alteri (quod ex Nicephori *Breviario* erui poteſt) Principes dabat. Jam Hunnoavares Dacici à ſe ipſis deſciverant, nullúmq; nume-

*Sclavorum X mill. occiſa.*

numerum apud vicinas nationes obtinebant, Pannonii aliquē. Pertharitus quidam hos ex Pannonia excivit. Gerebat is, ùt ſcribit Paulus Diaconus, ſimultates cum Gromoldo, vel Grimoaldo Longobardorum rege. Cùm verò tam potenti támq; formidoloſo hoſti neq; armis, neq; alia vi reſiſtere poſſet, adiit Chaganum de auxilio. Hic nihil moratus anno IↃCLIIII. exercitum in expeditionem eduxit, atque in agrum Fori Julii populabundus excurrit. Quem exitum motus habuerit, Diaconus non exponit. Adeò mancæ, & inchoatæ ſunt pleræq; de Hunnis narrationes. Pertharitus aſciverit ſibi nomen Ducis Fori Julii, quod periniquo animo patiebatur Grimoaldus, utpote in finitima Venetia, ſive Lombardia regnans. Quamobrem anno IↃCLXIIII. Avares, antea hoſtes ſuos, excivit adverſus Lupum, qui dominatum Fori Julii occupaverat. Non defuêre auxiliariæ cohortes occaſioni & officio; ſed interfecto poſteà in acie

*Gromoldi Longobardorum R. cum Perthari to inimicitiæ.*

*Hunni populantur agrum Forojulienſem.*

*Avares à Grimoaldo R. evocantur contra Lupum Forojulienſē.*

*Perit ab iis Lupus, & à Forojulienſibus Warnefridus.*

Lupo, Grimoaldus in educendis è provincia Avaribus negotium ſibi contraxit. Caſus Lupi bello finē non attulit. nam Warnefridus quidam rerum in provincia auxilio Sclavorum potiri cupiebat. At fuſis ſtratisq; ſubſidiariis ipſe quoq; interiit. Pauci admodum Forojulienſes, ùt ferunt, quinq; millia Sclavorum vicêre. In Annalibus præterea Græcorum ſcriptum eſt, anno Conſtantini Pogonati Imp. nono Christi nati IↃCLXXVIII. Saracenos, qui cum maximo rei Chriſtianæ damno in Syria ſuum jam fundârant imperium, metuentes ne poſſeſſione illius terræ, dominationéq; à Maronitis deturbarentur, pacem cum Conſtantinopolitanis confeciſſe, promiſiſséq; eis in annos ſingulos tria millia pondo auri, certum captivorum ac nobilium equorum numerum. Cujus rei fama cùm ad Avares manâſſet, illos priſtinæ fortitudinis ac virtutis oblitos, Conſtantinum donis coluiſſe, pacémq; ab eo deprecatos eſſe. Nulli profuit deſidia. Nihil ergo

*Hunni munera præbent Conſtantino Imper.*

ergo poſtea Hunnico nomine dignum, de quo meminiſſent ſcriptores, Hunnoavares egerunt: ſed contenti partis, in terram Jazygum Metanaſtarum latiùs pedem inferebant, in Pannonia verò à Norico magis magisq; ſtabiliebant. Egiſſe tamen eos interim ex vicinis regionibus prædas, ex narratione Eginhardi de bello Hunnico apparebit. Sclavonici ſcriptores tres numerant Reges, qui in Pannonia, & finitimis provinciis Samoni ordine ſucceſſerunt. E quibus primum nomine Marothum, ſive Maravodum ferunt regnâſſe circa annum IↃCXC. alterum, quem alii Svatem, alii Svatoſſum appellant, circiter annum IↃCCXX. & ambos hos, aut alterutrum domicilium ac regiam habuiſſe Veſprimii in Pannonia. Tertium Boruthũ nomine in Carnis, vel ùt illis temporibus dicebant, Carantanis reſediſſe. Moravici deinde hiſtorici, in quibus eſt recentiſſimus Joañes Georg. Stredovius, produnt Svatoſſum, quem ipſi Svatocopium nuncupant, ab

*Marothus R. Sclavorum.*

*Svates R. Sclavorũ.*

*Boruthus R. Sclavorum.*

*Svates ab Hunnis pulſus.*

Hungaris circa añum IↃCCXLIIII. è Scythia egreſſis fraude oppreſſum deſertâ Pannoniâ, & regia Veſprimienſi in Moraviam conceſſiſſe, ac Velehradii, ubi veteres Marcomanorum RR. domicilium habebant, ſedem locâſſe. Pluribus idem videtur ſecus. Putant enim vulgántq; Hunnos regnante Borutho iterum in Pannoniam ſe intuliſſe. Argumentum inde ducunt, quòd anno IↃCCXXXVI. ùt ſcribit, neſcio quis S. Eberhardi diſcipulus, inceperint eundem Boruthum bello petere, ſed Hugibertum, Bojorum Principem, præſtò Carantanis fuiſſe, Hunnóſq; quoad vixit, metu continuiſſe. Mortuo poſtea Hugiberto Hunnos metu liberos in Noricum irrupiſſe, Laureacúmq; Vivilone Antiſtite evertiſſe, nonnulli conjiciunt. Verùm antè jam, quod ex ſuperioribus narrationibus intelligere licet, Hunni, qui iidem Avares dicebantur, Pannoniam, imò & Noricum inſederunt. Poſteriores enim hiſtorici provincias illas alteram ab

*Hunni infeſti Borutho.*

altera

altera non diſtingvebant. Accedit, quòd Bonifacius IIII. Pontifex Max. Philoni, quem nonnulli Laureacenſem Antiſtitē fuiſſe cenſent, Avarum inſtitutionem commiſerit. Nationis igitur illius ſedes anno IↃCXV. vicinæ fuerint Laureaco, jam antè ruinam paſſo. Quòd verò recentiores ſcriptores alterū Hunnorum adventum ad eos annos retulerunt, in crimine fuerint Hungarici hiſtorici, de quo capite ſequenti videbimus. Revertor ad narrationem. Bulgari, ùt auctor eſt Theophanes, Imperii ejuſdem Conſtantini anno undecimo in Conſtantinopolitani Imperii regiones incurſiones fecerunt. Moleſtè id quidem tulit Imperator ille, ut tamen ſinè tumultu, aut periculo ſacrum Concilium adverſus Monothelitas haberetur, ad conditionem iniquam dependendi illis annui tributi acceſſit. Vocat autē Theophanes Onogundurenſes, & Contragenſes eos populos, quos antiquiores ſcriptores Unogunduros & Cotriguros nuncupabant;

*Philo jubetur docere Avares.*

*Conſtantinus Imp. Bulgarorum ſtipendiarius.*

Cedrenus verò eoſdem Bulgaros fuiſſe obſervavit.

# CAPUT XII.

## *De regionibus Hunnorum, & commentitio Ungarorum adventu.*

AVentinus ( *Annal. Bojor. Lib. IV. & aliàs* ) tradit Bojos, cùm adhuc multos Deos colerent, Hunnis ſe ſocietate implicuiſſe, & pulſis Romanis Gothisq; duas nationes Noricum inter ſe diviſiſſe. At propius verò eſt, oppreſſis Romanorum reliquiis Hunnos Ripenſe Noricum, Bojos vel Nariſcos Vindeliciam occupâſſe. Daciam deinde Hunnos tenuiſſe, ſatis ſupérq; patuit. Unius præterea Chagani ſedem, fuiſſe juxta Tibiſcum in terra Jazygum Metanaſtarum, auctor eſt idem Aventinus. Ubi verò in Norico contermini fuerint Hunni Bojis, monſtrant Aimoini Monachi ( *de Geſt. Franc. L. IV, Cap. LXXXII.* ) verba iſta: *Caſtra ſuper Aniſum poſita ſunt. Nam is fluvius inter Bojoariorum atq; Hun-*

*Hunorũ limes in Norico Anaſſus amnis.*

*Hunnorum terminos medius currens, certus duorum regnorum limes habeba-tur.* Aventinus autem quanquam Aimoino non ætatibus ſolùm, ſed ſeculis quoque poſterior, ex vete-rum tamen monumentis ad eandem veritatem patefaciendã, plura in lucem profert, in quibus (*Lib. IIII. Annal. Bojor.*) peculiare illud: *Certus notúsq; limes duarum gentium flumen Anaſſus fuit. Supra ad Favonium vergens Bojoaria erat, infra Hunnia, ſicut docet Eugenius II. Pontif. Max. ſcribens ad Pontifices Bojariorum.* A Boriſthene itaq;, quem Sclavonicæ gentes Prutum appellant, in ora Danubii ultra Tibiſcũ: inde in Pannonia, & Norico à Sirmio uſq; ad flumen Onaſum Hunni continens imperium habebant. *Hunorum terræ amplitudo.* Deniq; Aventinus ex diplomatibus Caroli M. & filii ejus Ludovici Pii, quæ dederant templis Bavariæ, conjicit, regionem ſupra montem Cetium, quà ad occaſum porrigitur, propriè dictam fuiſſe Hunniam, infrà montem verò Avariam. Subjungit tamen in narratione, nec

ipſos illos Principes ſemper ita ſenſiſſe: ſiquidem Carolus pater in diplomate, quod dedit Præſuli Altaichii inferioris, Bylachum fluvium, qui infra Melicium Danubio illabitur, Avariæ: filius autem Ludovicus in tabulis, quas Reginerio Batavienſi Pontifici tradidit, fluvium Erlaphum, qui ſupra Melicium in Danubium influit, Hunniæ attribuit. In cognoſcenda penitus Hunniæ, & Avariæ hac diviſione non laboro. Sicut enim iidem populi nunc Avares, nunc Hunni appellabantur, ità & eorum terra in Norico, & Pannonia jam Avaria, jam Hunnia vocabatur: alioquin Abaros inter ac Hunnos diſcrimen aliquod fuiſſet. Inter illos certè qui Pontum, atq; Iſtrum accolebant, nullum fuiſſe jam patuit, ipſis Græcis ſcriptoribus eos modò Abaros & Avares, modò Hunnos nominantibus. Bavariam ex Abaris enatam eſſe, haud vana ratione aliqui exiſtimaverunt. Hæc occurrerunt, quæ de Hunnorum terris ſcriberem. Sagaci-

gaciter verò pro eo, ac debuit, obſervavit Franciſcus Otrocotſius (*in Originibus Hung. Cap. VI.*) errorē domeſticorum ſcriptorum, qui literis mandaverunt, Hungaros adveniſſe in terram, quæ Hungaria dicitur, anno Chriſti nati IↃCCXLIIII. Hujus enim rei nullus vetuſtiorum hiſtoricorum mentionem facit; ſed neq; diligentiſſimi antiquitatis indagatores, Cardinalis Cæſar Baronius, & Henricus Spondanus quidquam de ejus gentis adventu eo anno, vel proximo ex veterū monumentis depromſerunt. *Ungari non prod'erunt è Scythia anno 744.*

Avaribus in deſcriptis paulò antè regionibus longo tempore ſeſe ſtabilientibus, & finitimorum opes carpentibus, Bulgarorum R. Trebellius Juſtinianum minorem Auguſtum à Leontio, præſecto orientis partium, Imperio exutum, in antiqvum gloriæ, & honoris locum reſtituit anno IↃCCIII. At enim Juſtinianus immemor beneficii, cùm biennio pòſt, neſcio, unde arripiens occaſionem lædendi, arma movit Bulgaris ſicut temerè, *Bulgarorū R. Trebellius reddit Imperium Juſtiniano Imp. ingrato.*

ità infeliciter. Inito enim certamine tantum exercitûs damnum fecit, vix ut cum paucis è manibus Bulgarorum elapſus fuerit. Hujuſmodi ſolet eſſe ingratorum fortuna.

# CAPUT XIII.

## *De bello Caroli M. Francorum R. Hunnoavaribus exitiali.*

*Cauſa belli à Carolo M. contra Hũnos ſuſcepti.*

SEmen hujus belli cenſet Aventinus ( *Annal. Bojor. Lib. IV.* ) fuiſſe feritatem atq; immanitatem Avarorum, qui pro conſvetudine ac libidine ſua in Bojos crudeliter ſæviebant. Otrocotſius in *Originibus ( Cap. IIII. pag. ccxxxi.)* arbitratur, Carolum bellandi cauſam habuiſſe nullam, ſed Chriſtianæ religionis latiùs proferendæ ſtudio incenſum armis rem tentâſſe: at Spondanus ( cui recentiores aſtipulantur ) Carolo ipſos Hunnos ad illud gerendum anſam dediſſe, reperit. Cùm enim Taſſilo Bavariæ Dux impulſu uxoris ſuæ, filiæ Deſiderii Longobardorum R. bellum

lum Carolo moliretur, diffidens ſibi Hunnos in auxiliũ accivit. Verùm antequam illi ſuppetias veniſſent, oppreſſus, captúſq; eſt; inde perduellionis reus judicio convictus damnatúſq;. Minores merito ſuo pœnas dederit, attamen graves. Quippe gratiam vitæ conſecutus eſt ea lege, ut in ædes Deo dicatorum ſimul cum filio Theodone ſe in perpetuum abderet. Hũni verò ab eo exciti duobus collectis exercitibus, altero Marchiam Forojulienſem, altero Bojariam invaſerunt: verùm utrobiq; anno IↃCCLXXXVIII. repreſſi ſunt. Cùm verò tumultuari adhuc pugnáſq; ciere pergerent, Carolus bello perdomandos cenſuit, quod ipſos octo annos tenuit. Quo verò anno inchoatum, & quo perfectum fuerit, non ſatis conſtat. Si Aventino credimus, exortum fuit IↃCCXC. quo ipſe Carolus duxit, depulitq; de Norico Hunnos, & Sclavos. Diſtribuerat bipartitò, vel potiùs tripartitò exercitum. Ipſe per Auſtralem Danubii ripam cum Franconi-

*Hunnorũ duo exercitus pulſi.*

*Carolus M. inchoat bellum adverſus Hũnos.*

conibus & Svevis; Theodoricus, Pallacâ genitus, cum Saxonibus, & Friſiis per adverſam ejus fluminis ripam ſecundo amne, Pipinus cum Bojis ac epibatis, qui annonam devehebant, inſtructa infeſtáq; acie, proturbatis ubiq; hoſtium excubiis ac minoribus præſidiis, uſq; ad gemina Avarorum valla pleno gradu incedebant. Eorum vallorum unum ſupra Cambum fluvium, non longè diſtans Crembſio, Septentrionem ſpectabat, alterum juxta Comagenos, ſive Chaumburgum ad Auſtrum pertinebat. Fuſis occurrentibus Avaribus, munimenta facilè ſuperata: in iis exciſa, ferro atq; igni conſumpta omnia. Ceteri conſpectis in utraq; ripa, medióq; Danubio copiis panico caſu, metúq; exanimati fugam arripuerunt, ac ultra Arabonem in ſilvas ac latebras ſeſe conjecerunt. Carolus integro intactóq; exercitu nemine obſiſtente primùm ad Arabonem, deinde ad confluentem ejus, & Danubii movit: ubi ſtativa aliquot dies habuit. Ibidem

*Hunnorum munimenta bina in Norico expugnat.*

*Hunnorum fuga.*

locum

locum quendam (Brægetium proculdubio fuerit) vallo & foſsâ circumdedit, caſtriſq; maximis ſepſit. procedente tempore Geroldum, Bojariæ præſidem, in terram ſubactæ gentis colonias deducere juſſit, templa, ædes publicas juxta atq; privatas reconcinnavit: multa arva, prata, vineta, præfectis, equitibus, devotorum rectoribus, ac collegiis, Pontificibúſq; Bojariæ maximè in Norico, ſicut vetera narrant diplomata, donavit. Quæ quidē, ſimúlq; ea, quæ ſequenti Capite tractabuntur, ut teſtatiora fiant, libet Ludovici Pii Imp. diploma quod dedit Sacerdotio Patavienſi, ſubjungere. Publicavit illud jam pridem Lazius (*Comment. Reip. Lib. XIII.*) éſtq; iſtiusmodi: *In nomine Dei Salvatoris noſtri JESU Chriſti Ludovicus divina ordinante providentia Imperator Auguſtus. Nullum fidelium noſtrorum ambigere credimus, qualiter dominus, & genitor noſter beatæ memoriæ piiſſimus Imperator Carolus regnum Hunnorum ſuæ ditioni non ſinè magno præliorum labore ſubjugaverit, & ho-*

*Carolus M. Jaurinum uſq; caſtra promovit.*

*Diploma datum Epiſcopatui Paſſavienſi à Ludovico Pio.*

*& homines terræ illius cultui Chriſtianæ religionis mancipaverit, in tantum, ùt etiam in eadem provincia multas Eccleſias ob Dei reverentiam & renovari, & à fundamentis extrui faceret. Inde Dei juſſu ſuper devaſtationem, & inopiam Pataviensſis Epiſcopatûs miſericordiâ motus plus cœleſte, quàm terrenum lucrum deſiderans, quædam loca in ejus Eccleſiæ templis ornavit, in qua S. Valentinus corporaliter requieſcit, & ubi nunc Waldaricus venerabilis epiſcopus præerat, tradens illi, hoc eſt, in provincia Avarorum quendam locum, qui vocatur Lytaba, & in terra Hunnorum Geiſen murum, Treysmam, Wachouvam, Pielagum, Hardinum, Rhœde, Aſpach, Wolveſuvanne, Erlapham, & in Artagmna duas baſilicas, & in Saxina duas &c.* Nomina locorum alia ſunt Sclavonica, alia Germanica, unum alterúmve Hungaricum quid ſonat. Munitiones illæ, quas expugnavit Carolus, conſtabant ex novē rotundis militaribus ſepimētis; quæ inter ſe non magno intervallo diſtabant. Interiores circuli proportione exterioris contractiores

*Hunnorum munitiones in Auſtria.*

res

res erant. Unumquodq; ſepimentum vicenos pedes latum erat, totidem altum. Materia aggerum terra, & ſtipites in terram depacti. Circumſitæ erant illis utrinq; arbores, de genere earum, quæ putatæ magis frondeſcunt, atq; luxuriant. Intus ità vici compoſiti conjunctiq;, ùt de aliis in alios clamor facilè exaudiri; de circulo autem ad circulum clangor tubæ diffundi poſſet. Portæ parum laxæ erant: idoneæ tamen & ad erumpendum, & ad importanda ſpolia. Sangallenſis Monachus docet, alterum ſepimentorum illorum dictum fuiſſe *Hagani*, alterum *Hegin*; hoc ex Hungarica, illud ex Germanica lingva etymon habere videtur. Simile his munimentum habebant in regione Jazygum Metanaſtarum prope Tibiſcum. Hujus etiamnũ duo aggeres extant. Exterior, Curſi R. opus perenne ac decantatum, in provincia Heveſchienſi patens, complectitur totum territorium Philiſtæorum, ſive Jazygum Hungarorum. Interior ab exteriore remo-

*Hunnorũ munimentum prope Tibiſcum,* Vár *dictũ.*

motior eſt apud Tibiſcum, anguſtior eique vicinior juxta pagum Fulgidum Cornu (*Fénszaru*) quo, & flumine Sadavia terminatur. Atq; hoc fuerit receptaculum antiqvum, quod lingvâ ſuâ Hunni *Vár*, vocabant. Sed ut ad bellum funeſtiſſimum Avaribus revertar, fervente eo primis annis ceciderunt Iringus, & Jugurro Chagani. Rhingus vel Rhinchus eorum regia munitiſſima, ubi aſſervabatur gaza, direpta, ſolo æquata. Cùm ità arctæ eſſent res gentis Thudunus Chaganus induxit animum Chriſtum colere. Nam, ùt auctor eſt Ado Viennenſis, anno ɪɔcccxcv. ad Carolum R. profectus, magno cum popularium numero ſacroſancto Chriſtianorum ritu ablutus eſt; tum muneribus cumulatus, in eam regionem, quæ infra Arabonem extenditur, remiſſus eſt. Ejus ſubinde hortatu atque impulſu plures Hunni ſub ſignis Chriſti militare inceperunt. Siquidem, ùt prodit vetus auctor *Hiſtoriæ Converſionis Bojoariorum, & Carantanorum)*

*Iringus & Jugurro Hunnorum R. in prælus oc cubuerunt.*

*Thudunus Chaganus fit Chriſtianus,*

*rum* (inter ſcriptores *Hiſtoriæ Franc. Tomo* 2. *Edition Pariſien.* 1636.) poſtquam anno IↃCCXCVI. ſe, ſuáq; Carolo R. dedituros ſpopondiſſent, miſit is filium Pipinum cum juſto exercitu in Hunniam; qui ubi ad locum gentis celeberrimum Rinchum (exiſtimo fuiſſe Pannoniam urbem) pervenit, recepit eam in fidem ſuam. Arnoni autem Juvavienſium, vel Salisburgenſium Antiſtiti Hunnos pariter ac Sclavos, qui Pannoniam à Norico uſq; ad Dravi oſtium colebant, Chriſtianis inſtitutis erudiendos credidit. Verùm, quæ humanæ mentis in malum propenſio eſt, Thudunus fidem, ùt refert Rhegino, vel Carolo, vel Chriſto datam anno IↃCCXCIX. fefellit. Bellum itaq; recruduit, ac redingratū eſt, quòd Thuduno interitum attulit. Apud Tibiſcum eum domicilium habuiſſe, ſepultúmq; eſſe, memorat Aventinus, haud dubiè in vallo illo inſigni, in cujus umbilico hodie eſt Berennium. Sublato Thudune, vel Theodone Avares, adhuc Martem

*Arno Salisburgenſis, Antiſtes, Magiſter in rebus divinis Hunorum conſtitutus.*

*Thudunus Chaganus deſipit vel rebellat, bellum renovatur.*

*Chaja Chaganus in tumultu rex creatur, & inter pugnam cadit.*

ſpirantes, in locum ejus ſuffecêre Chajam; qui undiq; ſe hoſtium copiis cinctum videns aleam univerſi certaminis ſubiit. Procurſationes primùm, leviáq; certamina inita, deſcenſum deinde in aciem, manúsq; cominus conſertæ, cruenta deniq; pugna decertatum ac debellatum eſt. Cæſo enim rege Hunni terga dederunt: pars ultra Danubium ac Tibiſcum ſe recepêre, pars victi atq; ſubacti: inde Bojariæ fines ad Dravi oſtium prolati, quàm proſperè & auſpicatò, eventus poſtea oſtendit. Liquet, hoc bellum per intervalla geſtum fuiſſe. Summam ejus Eginhardus *in Vita Caroli M.* exponit hujuſmodi oratione: *Maximum omnium, quæ ab illo geſta ſunt, bellorum præter Saxonicum, huic bello ſuccedit, illud videlicet, quod contra Avares ſive Hunnos ſuſceptum eſt: quod ille & animoſiùs, quàm cetera, & longè majori apparatu adminiſtravit. Unam tantùm per ſe in Pannoniam expeditionem fecit, ceteras filio ſuo Pipino ac præfectis provinciarum, Comitibus etiam atq; legatis per-*

*Sum̃a belli à Carolo M. cum Hunnis geſti.*

*perficiendas commiſit. Quod cum ab his ſtrenuiſſimè fuiſſet adminiſtratum, octavo tandem anno completũ eſt. Quot prælia in eo geſta, quantum ſangvinis effuſum ſit, teſtatur vacua omni habitatore Pannonia, & locus, in quo regia Cagani erat, ità deſertus, ùt ne veſtigium quidem in eo humanæ habitationis appareat. Tota in hoc bello Hunnorum nobilitas periit, tota gloria decidit: omnis pecunia, & congeſti ex longo tempore theſauri direpti ſunt. Neq; ullum bellum contra Francos exortum, humana poteſt memoria recordari, quo illi magis ditati, & opibus aucti ſint. Quippe cùm uſq; in id temporis penè pauperes viderentur, tantum auri & argenti in regia repertum, tot ſpolia in præliis ſublata, ut meritò credi poſſet, hoc Francos Hunnis juſtè eripuiſſe, quod Hunni priùs aliis gentibus injuſtè eripuerunt.* Hactenus Eginhardus, qui aliquamdiu à ſecretis fuit Carolo illi Imper. plura hyperbolicè efferens. Sangallenſis deniq; Monachus in deſcriptione munitiorum ſubjungit, Carolum à Vulgaribus, vel Bulgaris vim abſtinuiſſe, quia

*Bulgari intacti à Carolo M.*

Hunnis extinctis regno Francorũ nil offecturi videbantur.

# CAPUT XIIII.

## *Huñoavares perdomiti adjunguntur Chriſtianis, Sclavi item Marcomanorum, & Quadorum progenies. Epiſcopi utrique genti dati.*

COmpoſitis in Pañonia rebus Carolus M. jam Auguſtus, ùt prodit auctor *Hiſtoriæ Converſionis Bojoariorum* loco allato, anno IↃCCCIII. venit in Bavariam, ubi ratam habuit conceſſionem filii ſui Pipini de inſtituendis ab Arnone Juvavienſi Antiſtite Huñis, & Sclavis in Pañonia conſiſtentibus: imò verò ipſe monuit Arnonem, ùt primo quoq; tempore ad illas gentes ſe conferret, & ſacra in Pannonia dudum extincta reſuſcitaret. Antequam tamen is provinciam illam cepiſſet, cauſam ad Leonem Pont. Max detulerit. Contradicturos enim Laureacenſes prævidebat. Arno igitur, qui princeps in Cathedram

*Arno Epiſcopus Salisburgenſis apud Hũnos, & Sclavos in Pannonia ſacra reſtituit.*

dram Juvavenſem pallium pontificale attulit, princeps quoq; apud Hunnos, & Sclavos in Pannonia poſt tempora Romanorum, & Gothorum templa Deo dicavit, ſacerdotes conſecravit, ritúq; Chriſtiano publicè ac ſolenniter fecit. Cùm verò tanto oneri impar eſſet, Theodoricum quendam, qui apud eoſdem populos ſacra ritè curaret, Epiſcopum inſtituit. Lazius alicunde didicit, priores quoq; Juvavienſes Antiſtites ad Sclavos, & Hunnos, dum hi adhuc rebus omnibus florerent, doctores ſacros miſſitâſſe. S. Virgilium, qui Arnonem anteceſſit, id officii populis illis præſtitiſſe, probabile eſto. Bulgaros quoſdam Conſtantinopoli propinquos, jam ætate Heraclii Cæſ. Chriſtianis additos fuiſſe, auctor eſt Nicephorus. Anno ſequenti, ùt ſcribit Ado Viennenſis (*Chron. ætat.* 6.) venit ad Carolum Aquisgrani morantem, Theodorus Capuanus, vel Thudunus, Princeps Hunnorum, ubi majorem in modum ab eo petivit, uti ſibi ſuisq; peſſi-

*Idem ſufficit in eodẽ munere Theodoricum.*

*Thudunus Princeps Huñorum petit à Carolo M. ſedem.*

peſſimè à Sclavis multatis, liceret domicilium inter Sabariam, & Carnutũ collocare. Carolus non modò ſupplicis preces audiit, ſed donatum cum bona gratia dimiſit. Similia his profert Sigebertus, ſed per contemptum addit, Avares in illo tractu ſedes fixiſſe, ac ſinè honore regni in ditione Francorum manſiſſe. At enim non omni ornamento regio exutos fuiſſe, tradidit auctor Annalium Francorũ, qui quidẽ unus fuerit ex coævis ſcriptoribꝰ. Locus proinde Adonis proximus mendoſus eſt in nomine *Capuani*. Scribendus enim erat vice illius Chaganus. Hunnis illis, qui Iſtrum, & Pontum accolebant, videtur aliquid humanitus accidiſſe: non enim gentilibus ſuis in Pannonia laborantibus ſuccurrerunt. Carnutum, de quo paulò antè, Otrocotſius in extremis *Capitis V. Originum*, putavit eſſe Carinthiam; quam Venedi Sclavi, ùt refert Aventinus, colebant, & Carolo in bello Hunnico operam navabant. Fuit verò Carnutum

*Avares an ſinè rege in Pannonia?*

*Retinuerũt honorẽ regium.*

illud

illud notum oppidum Pannoniæ. Rurſus Hunni illi, à Sclavis Behemannis injurioſiùs tractati, Carolo Cæſari queſti ſunt anno ɪↄcccv. Suſcepit is continuò propugnationem afflictorum, miſſo adverſus tumultuantes exercitu, cui præpoſuit filium ſuum Carolum. Res malè ceſſit Sclavis. Occiſo enim in prælio duce Lichone ſpiritus nationis compreſſi ſunt. Scripta ſunt hæc in Annalibus Francorum. Behemanni videntur fuiſſe Bæmorũ ſive Quadorum poſteri. Affuiſſe tamen pugnæ finitimorum quoq; Sclavorum copias, liquet. Dux quippe Licho, qui dimicans occubuit, Polonus fuit. Hiſtorici gentis illius Leſcum nuncupant, nec diffitentur cæſum eſſe. Non multò poſt defunctus eſt Thudunus Chaganus, qui in ſacro lavacro Theodorus dictus fuit. Succeſſorem ejus in regiæ dignitatis gradu Cæſar auctoritate ſua roboravit. Iſta quoq; Annales Francorum notaverunt, & ex iis Spondanus illis verbis: *ſucceſſor ejus confirmationem*

*Hūni queruntur Carolo M. de ſclavis.*

*Licho, vel Leſcus Polonorum dux in prælio cadit.*

*Thuduni Chagani ſucceſſor.*

*regni ab Imperatore petiit, obtinuitq;.* Reges tamen Hunnorum hi, utpote beneficiarii, non omnem dignitatis ſuæ ſplendorem obtinebant, neq; à ſummis Principibus in numero Regum ponebantur. Thudunus nomen gentilitium fuerit. An autem Thudunus tertius continuò Principatum tenuerit, dubium faciunt ea, quæ ſubtexo. Anno IↃCCCXI. Carolus Auguſtus ſive ut ſolatium aliquod ex præſentia Hunnorum jam Chriſtianorum haberet, ſive ut eos in bene cæptis confirmaret ( cauſam enim reticet Rhegino ) Canizantium, & Thudunum pluréſq; alios ſumates gentis ad ſe in Franciam accivit. Complectebatur ergo hic Imperator curis ſuis ſalutem Hunnorum ſempiternam. Ædem verò ab eo propter Budam conſtructam eſſe, cui nomen Alba MARIA fuit, eámq; primam ( quod noſtrates Annales notificant ) in Pannonia extitiſſe, fabuloſum eſſe, nemo nõ videt. Chaganum, qui poſt exceſſum Theodori Hunnos regebat, ſeu is Canizantius,

*Carolus M. accerſit ad ſe Hunnorum optimates.*

tius, ſeu Thudunus fuerit, aquis ſalutaribus aſperſum eſſe ad amnem Fiſcham, vocatúmq; Abrahamum, reperit Aventinus. Dum Hunni in numerũ Chriſtianorũ aggregantur, Nicephorus conſceleratus, ùt perhibent, Princeps, in ſubigendis Bulgaris omnes nervos contendit. Pacẽ expoſcentes aſpernatus, quia leviores quasdam pugnas felici exitu pugnaverat. Bulgari non explicata acie, ſed tumultuario certamine fortunam tentare conſtituerunt. In ſeſſis enim locorum anguſtiis, quà infeſtus tendebat Nicephorus, tranſitum illi rapuerunt, & facto impetu Conſtantinopolitanos obruerunt, fuſósq; ac diſpalatos ex parte occiderunt, ex parte comprehenderunt. Cranio cæſi Imperatoris vice poculi in conviviis Bulgarorum reges aliquamdiu uſi. Captivos, qui Chriſti religionem deſerere nolebant, Crunnus R. ad unum omnes interfici juſſit. Meminerunt eorũ ſacri faſti, Græci Latiniq;. Inſignis hac Conſtantinopolitanorum clade fuit idem

*Nicephorus Imp bello perſequitur Bulgaros temere, & inauſpicatò.*

*Bulgari vincunt Michaële Imp.*

annus ıɔcccxı. Biennio pòſt rurſus Michaëlis Imp. copias apud Hadrianopolim profligârunt, mox crudeles in Chriſtianos. Acerba hæc, jucundiora dabo. Moymarus Moravorum regulus año ıɔcccxxıı. Francofurti ſe in clientelam Ludovici Imp. contulit, cujus conſilii illum poſtea pœnituit. Imperator verò in primis religionem Chriſtianam, cujus propagandæ ſummo deſiderio tenebatur, illi commendavit. Facta igitur à Moymaro poteſtate divulgandi ſermonibus Chriſtiana ſacra adfuêre præcones & doctores, ſacerdotiáq; inſignia vel reſtituta, vel conſtituta. In his laboribus atq; curis primæ concedendæ ſunt Urolpho, Laureacenſi Antiſtiti; qui bene jacto tam optatæ rei fundamento Romã profectus, ab Eugenio II. Pontif. Max. pallium Pontificale accepit, ab eodémq; epiſtolam ad Epiſcopos quoſdam, & Principes Hunnorum ac Moravorum ſcriptam attulit. Quo anno eam exaraverit Eugenius, certò ſciri non poteſt. Joan-

*Moymarꝰ Moravorũ Princeps aperit occaſionem diſſeminandæ religionis Chriſtianæ*

*Urolphus Laureacenſis Præſul, Apoſtolus in Moravia &c.*

Joannes Lucius, Dalmaticus ſcriptor, opinatus eſt, ſcriptam fuiſſe anno ıↄcccxxiii. quo Eugenius nondum erat ſum̃us ſacerdos. Baronius in ſequentem retulit. Otrocotſius propendebat in ıↄcccxxv. cui ratio rerum, & temporum magis congruit. Emiſerunt eam epiſtolam plures, in quibuſdam diſcrepantes. Initium ejuſdem apud Lazium (*Lib. XII. Cap. V.* eſt tale) *Eugenius Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, Rathfredo ſanctæ Favianenſis Eccleſiæ, & Methodio Eccleſiæ Specuiulienſis, Meconi Origiturienſis, atq; Alchunino ſanctæ Netravenis Eccleſiæ, pariq; modo Annoni Vetvarienſis Eccleſiæ Epiſcopis: ſimul & Tutundo, nec non Moymaro, Ducibus Hunniæ, quæ & Avaria dicitur, atq; Moraviæ. Deſiderio ſalutis animarum veſtrarum filii in Chriſto chariſſimi, cùm audiſſemus Chriſtianiſſimam converſionem veſtram, & ſanctæ fidei, bonorúmq; operum veſtrorum proceſſum, ſummo gaudio atq; lætitia fuimus exhilarati. &c.* Apud Bruſchium Origiturienſis Epiſcopus non reperitur. Specuiulien-

*Eugenii II. Papæ ad Epiſcopos Huñorum, & Moravorũ &c. epiſtolæ datæ initiũ.*

lienſis eidem ſcriptori eſt Speculunenſis; in editione verò recenti Conciliorum ſacrorum exprimitur Speculi Julienſis, vel Sorigiturienſis. Nomina quoq; Præſulum, & Principum variè ſignificantur. Alchuninus aliis eſt Albinus, aliis Alevinus: Moymarus Moëmarus, Tutundus Tuttundus. Præterea in libro Conciliorū inſcriptioni hæc interjiciuntur: *& optimatibus exercitibúsq; plebis Hunniæ, quæ &c.* Unde efficitur, Hunnos eo tempore non omnem laudis bellicæ opinionem amiſiſſe. Quomodocunq; autem efferantur loca ſacerdotiorum illorum, perquam difficile eſt ea indagare, atq; indicare. Lazius, cui aſſentiri videtur Melchior Inchoffer, Favianenſem Præſulem arbitratur, fuiſſe Viennenſem in Auſtria, Speculunenſem, Olomucenſem in Moravia, Netravenſem, Nitrienſem in Hungaria, Origiturienſem Tiranavienſem, vel Tirnavienſem in eadem regione, Vetvarienſem, Vetavienſem in confinio Moraviæ & Bohemiæ. Otrocotſius

*Inquiruntur loca Epiſcopatuū, quæ apud Hunnos & Moravos fuerunt circa an. 825.*

ſius quoque in *Hiſtoria Eccleſiaſtica Hungarorum*, quæ nondum exiit, aſtipulatur Lazio aſſerenti, Origiturienſem fuiſſe Tirnavienſem. *Locus enim*, inquit, *Tirnavia talis eſt, qui bene epiſcopatu quondam inſignis eſſe potuit.* Verùm Tirnavia muro cincta, non ita antiqua eſt, ùt vir ille exiſtimavit; neq; unquam id oppidum Hungaris Tirnavia, Torna vel Turna, ſed ſemper Sombathum (*Szombath*) appellatum eſt. Germani cives, & Sclavi multis poſt annis dixêre Tirnam vel Tirnavã. Quoniam Bruſchius non attigit Origiturienſem Epiſcopum: exemplum autem illius epiſtolæ in volumine ſacrorum Conciliorum declarat, eundem fuiſſe Sorigiturenſem Antiſtitem, qui erat Speculi Julienſis, cenſeo non eſſe inquirendum ultra de ſede Origiturienſis. Non refragor autem Lazio, & ceteris exiſtimantibus, Præſulem Favianenſem fuiſſe Viennenſem, Netravienſem Nitrienſem, & Speculunenſem Olomucenſem. Quippe memoriâ traditum eſt, Olomucii locum

*Tirnavia an olim Epiſcopalis?*

*Favianenſis, Netravenſis, Speculunenſis Epiſcopatus indicantur.*

cum

cum quendam eſſe, inſignis olim latronis receptaculum, qui Specus Julii nominatur. Viennam, & Nitriam ipſa vocabula antiquiora indicant. An autem anno poſt Chriſti ortum CCCXCVI. Frigedilda Roſemundi Moravorum regis conjux, cui D. Ambroſius ad ſuſcipiendam Chriſtianam religionem dux, & magiſter fuit, ſacerdotia, Olomucenſe & Nitrienſe inſtituerit, ambiguum habeo: nam ea de re antiqui ſcriptores tacent. Neq; audiendi ſunt, qui Fretellam & Sunniã, ad quos D. Hieronymus epiſtolam dedit, incogitantes dicunt, fuiſſe Antiſtites, alterum quidem Olomucenſem, alterum Nitrienſem. Neq; enim viri illi Pontifices, neq; Marcomani natione fuerunt. D. Hieronymus enim Getis eos annumerat; qui tamen Getas vel Gothos à Marcomanis, & Quadis optimè diſtingvere noverat. Accedit, quòd Bohemi, & Moravi longo pòſt tempore in numerum Chriſtianorum aſcribi inceperint. Sed redeo illuc, unde diverti. Otrocotſius

*Fretella non fuit Epiſcopus Olomucenſis, nec Suñias Nitrienſis.*

Vet-

Vetvarum, ubi Epiſcopus Annon erat, nomen traxiſſe ratus eſt ex Hungaricis vocabulis, quæ ſignificant emptam, aut expugnatam arcem. Ponamus, id verum eſſe: ubi tamen oppidum illud ſitum fuerit, ex eo haudquaquam elucet. Joannes Georg. Stredovius ſibi quidem firmiter perſvaſit, Annonem fuiſſe Præſulem Velehradienſem in Moravia; ſed neſcio, an unquam docti adduci poterunt, ut credant. Hæc enim vocabula, Velehradienſis, & Vetvarienſis inter ſe diſtant, ratio non ſuffragatur. Si conjectare licet, autumo, Vetvarum ex Latino uno, & altero Hungarico verbo conflatum fuiſſe, Veterémq; arcem ſignificâſſe; congruere verò Ovarino Hungarico, aut Auſtriaco Altenburgo. De reliquo Eugenius in epiſtola ſua declarat, Hunnos & Moravos hortatu atq; inſtitutione Urolphi Chriſtianos factos eſſe. At Hunni non pauci ſuperiore ætate Chriſtum colebant. Quare de incremento religionis loqui cenſendus eſt ſumus

*Vetvarienſis Epiſcopatus.*

ille

ille Pontifex. Quod autem ſubjungit, in partibus illis etiam temporibus Romanorum, & Gepidarum ſeptena illuſtria ſacerdotia fuiſſe, de Moravia accipi non poteſt; ſiquidem regionem hanc nationes illæ non tenuerunt, imò Marcomani, & Quadi internecinum bellum cum Romanis Chriſtianis ad ultimum habuerunt. Super hæc Eugenius ſui vice in Hunnia, Moravia, Pannonia, & Mœſia Urolphum ſubſtituit; poſtremò hortatur Principes, ut antiqua Pontificalia templa reconcinnent, eisq; veteres poſſeſſiones, quarum notitiam habuerint, reſtituant. Miratur, non ſatis ſibi conſentiens Melchior Inchoffer (*in Annal. Eccl. regni Hung. pag. 38.*) adeò latè patuiſſe jurisdictionem Laureacenſis Archiepiſcopi, ut omnem Pannoniam Mœſiámq; complecteretur: non animadvertẽs, Romanos Pontifices ſummum jus ſacrum in illis provinciis ſemper tenuiſſe; ad quod conſervandum Eugenius Urolphum in iisdem provinciis vicari-

*Urolphus Epiſc. Vicarius Summi Pontificis in Moravia, Pannonia, Mœſia.*

*Jus Romanorũ Pontificum in Mœſiam.*

carium ſuum dixit, quamvis munere Pontificali in Mœſia prorſus fungi non potuerit, quia Sclavi incolæ ejus plurimi nondum Chriſti cultum receperant. Ne res tanti momenti in oblivionem veniret, Nicolaus quoq; PP. ad Michaëlem orientis Imp. anno IↃCCCLXI. literas dedit, de jure Romanæ Eccleſiæ revocando, quod habebat in partibus orientis, ac in primis in Dacia Ripenſi, & Mediterranea, id eſt, in Mœſia & finitimis provinciis. Ne longum ſit, jam anno CCCCXXI. Theodoſius II. ad arbitrium libidinémq; Attici Epiſcopi Illyricum ſub jurisdictionem Sacerdotii Conſtantinopolitani redigere voluit. At reclamavit Roma. Potentia, arrogantia, aſſentatio nihil moderatum ſvadent. Retinet ergo Romanus Pontifex peculiare jus in Mœſiam, ſed Conſtantinopolitanus adverſarius, de quo nihil Eccleſia oriens, nihil creſcens ſcivit, jam dudum rem habet.

S CA-

# CAPUT XV.

## *De rebus Sclavorum, & Hunnorum, ac aliis ſe offerentibus ab anno Chriſti nati* IϽCCCXXVIII. *ad* IϽCCCLXVI.

*Sclavorum varia appellationes, & diviſiones.*

SClavi per varias regiones diſperſi variis quoq;, & abſtruſis nominibus nuncupabantur. Siquidem in Annalibus Laurishaimenſibus ſcriptum eſt, ad conventum quendam, quem agebat Ludovicus Pius Imp. ex partibus orientis veniſſe legatos Sclavorum, Abotritorum, Soraborum, Wilſorum, Behemannorũ, Marvanorum, Predenecentorum, & in Pannonia reſidentium Arearum. Qui fuerint Behemani, & Marvani facilè quisque perſpicere poteſt. Si nomine Behemannorum Poloni quoq; ſignificantur, verum eſt, quod traditur, ſcilicet Leſcum III. Polonorũ Principem muneribus confeciſſe. Calamitate ergo patris doctus, maluit largiri, & ſupplicare, quàm cum Pio decertare. Abotritos judico fuiſ-

*Legati eorum apud Ludovicum Imp. Aquisgrani anno 823.*

fuiſſe populos, qui poſterioribus tẽporibus appellati ſuntSerbuliani, Serbli, & Servii. Iidem enim Añales declarant, altera legatione anno IↃCCCXXVIII. ad eundem Ludovicum miſſa, veniſſe legatos Abotritorum, qui vulgò Predenecenti vocabantur, & contermini erant Bulgaris, Daciam Aureliani Danubio, & Iſtro adjacentem, incolentibus. Hoc loco ſcriptor illorum annalium Abotritos, & Predenecentos eoſdem eſſe dicit, priore diverſos. Sorabi & Wilſi fuerint Sclavi, Moravis finitimi. Areæ Pannonii Dravi, & Savi accolæ. Magnum tum nomen erat Francorum, cùm tot Sclavorum populi venerabundi ad eos adibant. Audiebat conceſſu patris legationes eorum Ludovicus R. in Pannonia. Occaſio hæc erat. Anno priore Bulgari infeſta populatione venerant in eam provinciam, Huñi verò cum Sclavis, ut inter indigenas, & vicinos aſſolet, jurgabant. Ad ſedandas itaq; has controverſias, & Bulgaros denunciatione belli perterrefacien-

*Sclavorum eorundem legati apud Ludovicũ Regem.*

*Pradenecenti malè Aventino Gepidæ.*

*Ludovicus R. in Pannonia propter motũ Bulgarorum, & jurgia Hũnorum de Sclavorũ.*

endos, nî imperium acciperent, ſéq; finibus rerum ſuarum continerent, Ludovicus à patre ſuo miſſus in Pannonia verſabatur. Fuit in comitatu ejus Adalramus Juvavienſis Pontifex; qui magis ſacra, quàm profana curans, ùt narrat *Hiſtoria Converſionis Carantanorũ*, tranſito Danubio Nitravæ, in ditione Privinæ Sclavorum Principis ædẽ Deo dicavit; qui quidẽ Princeps brevi gradu dejectus, patriáq; multatus apud Ludovicũ R. exulavit. Atq; hoc tẽpore Moravi ſub duce Moymiro, vel, ùt ſcriptoribus gentis placet, Mogemiro Sclavis finitimis ſervitutem impoſuerint. Sed & ipſi Bojis vectigales facti, fruſtra ferro libertatem recuperare conabantur. Non tacendum hoc loco illud, templum Nitrienſe, D. Emerammo Martyri ſacrum, Privinæ opus eſſe; qui jam antè cum quibuſdam popularibus ſuis Chriſtum venerari cœperat. Reconcinnavit idem templum anno ↀCCXVIII. Antiſtes integerrimus C. Adamus Erdődius, dum hæc ſcribo, ſuperſtes

*Adalramꝰ Epiſcopus Salisburgẽſis conſecrat templum Nitriæ.*

*Privina dux Sclavorum Nitrienſiũ exul. Aventino etiam Brino, & Brynno.*

*Nitriæ tẽplum ponit D. Emmeramo.*

*Adamꝰ Erdődius reſtituit templũ Nitrienſe.*

ſtes gloriæ ſuæ. Dicamus plura de Priwina. Hic vir recens è lavacro Chriſtianus, id ætatis jam erat, ùt omnia ferre noſſet, & agere. In clientela Ludovici R. principiò adverſâ utebatur fortunâ. Traditus enim in tutelam Ratbodo, limitis Danubiani præfecto, in odium ejus incurrit. Conſulturus itaq; rationibus ſuis, ùt tradit auctor hiſtoriæ *Converſionis Bojoariorum & Carantanorum*, cum filio Hezilone primùm in Bulgariam transvectus eſt, deinde ad Ratimarum Transſavanorum quorundam Sclavorum Principem ſe recepit. Ratbodus in Ratimarum propterea infeſtus ferebatur. Priwina, ne ea res hoſpiti fraudi eſſet, in Pannoniam rediit, atq; ad Salachonem confugit. Fuit verò Salacho unus è quatuorviris finium Bavaricorum; quem citiùs Hunnum, quàm Germanũ dixero. Mortuo Thuduno III. res quoq; Hunnicas moderatus fuerit. Priwinæ ſubinde Ludovicus R. ad flumen Sanam magnum agri modum dedit. Is verò oppidum

*Priwinæ varia fortuna.*

*Ratbodum offendit, ad Ratimarũ ſe confert.*

*Redux apud Salachonẽ perfugio utitur.*

*Mosburgũ ædificat.* Mosburgum inter Celejam & Petovium, ùt auctori *Germaniæ Sacræ* (*Tom. II.*) placet, condidit. De religione fidéq; ejuſdem viri aliàs. Revertor ad ſacra, & Pontifices. Procedente tempore in Pannonia, & Moravia vicarius Põtificis Max. *Hardevic9 Laureacenſis Præſul.* fuit Hardevicus, vel Hervicus *Archiepiſcopus* Laureacenſis, & Antiſtes Pataviensis, vir apud tres Cæſ res, Ludovicum Pium, Lotharium, & Ludovicum II. gratioſus; qui Juvavienſium *Archiepiſcorum*, ùt de eo glorioſiùs prædicat Bruſchius, fortunam depreſſerat. Promotus fuit ad Pontificatum anno IↃCCCXL. tenuitq; illum ad annum IↃCCCLXVI. quo è vita diſceſſit. *Luipramus Juvaven. Arch. in Pãnonia templa dicat.* Quamvis porrò pro Pannonienſi Antiſtite ſe geſſerit, tamen Juvavienſes quoque Archiepiſcopi conventis anno IↃCCCXXIX. Reginoburgi arbitratu Ludovici R. factis, nixi, munia ſacra in Pañonia obibant invita Sede Petri. Circa añum namq; IↃCCCXL. Luipramus Mosburgi ædẽ, quã Priwina *Deiparæ* ſtatuerat, dedicavit. Inde exactis duobus

bus tribúsve annis Salaburgi alteram, deinceps in vicinis locis cõplures; quarum omnium, ùt perhibet ſcriptor *Converſionis*, auctor erat Priwina. Apud virũ hunc itaq; Ludovicus R. beneficium bene collocavit, ipſe verò apud Deum optimè. Novus erat Chriſtianus profeſſione vivendi, re & factis vetuſtus. Bello exinde Moravico anno IↃCCCLVIII. inſtaurato, quo juſſu patris Carolomannus copias ducebat, fidem, quam Ludovico R. dederat, uſq; ad extremum ſpiritum ſalvam præſtitit, in quodam congreſſu interfectus. Etiam bonis Mars infeſtus eſt. Fuerit parens ampliſſimæ gentis, quæ Comitum Ciliæ dicebatur. Refricat adhuc memoriam Hunnorum Melch. Inchoffer exiſtimans, eos interfuiſſe prælio, in quod anno IↃCCCXLI. ruerunt fratres, Ludovici Pii filii: ex una parte Lotharius Imp. ex altera Ludovicus & Carolus. Et rectè addit, plures Hunnos in acie deſideratos eſſe, ſi ſub Lotharii ſignis militabant. Is enim victus ceſſit

*Salaburgũ oppidũ ad amnem Salã in Pannonia.*

*Priwina præconiũ, & occaſus.*

*Colliduntur filii Ludovici Pii.*

*Bogaris Bulgarorũ Princeps diu obluctans veritati, fame compulſus Chriſtum Deum eſſe confitetur.*

fratribus. Anno IↃCCCXLV. Bulgarorum Princeps Bogaris, quamvis jam Chriſtianæ religionis præcipua myſteria à quodam Theodoro, cognomento Cuphara, nobili & erudito captivo didiciſſet, ac inſuper à ſorore ſua Chriſtiana, quam reddito ſibi Cuphara ex Conſtantinopolitana captivitate receperat, identidem ad meliora incitaretur, obſtinatiore tamen voluntate in ſententia ac ſuperſtitione patria perſiſtebat. Accidit verò, ùt natio Bulgarorum fame conficeretur, quam Bogaris nulla alia ratione, niſi invocando Chriſtianorum Deum, depellere potuit. Túmq; demum ſe reſpexit, & cum magna gentis parte Chriſtiana ſacra ſuſcepit. In divino lavacro dictus Michaël, Imperatore Conſtantinopolitano Michaële III. ad nupernum fœdus poſtulante id gratiæ apponi ſibi. Pluribus hæc perſequitur Curopalates. De plena verò acceſſione, quæ facta eſt Eccleſiæ ex Bulgaris, ſuo loco uberiùs. Traditum eſt (*Annal. Fulden.*) eodem anno, elaboran=

*Ex Bohemorum proceribus qua-*

borante Ludovico German. Rege quatuordecim optimates Bohemos rejecto ſimulacrorum cultu ad ſanam religionem traductos eſſe. At ii quota pars gentis & numeroſæ, & ſuopte ingenio adhuc ferocis fuêre? quæ ob hanc ipſam cauſam, vel aliam quampiam anno IↃCCCL. inſigni clade affecit ejus Ludovici Regis exercitum. De ea, ùt apud Sigebertum ſcriptum eſt, cacodæmonem ore cujuſdam fanatici effutiviſſe, & gloriatum fuiſſe, quaſi ipſe aciem ſtruxiſſet atq; curâſſet, ut Franci fugam capeſſerent. Rurſus Inchoffer infert mentionē Hunnorum, ſed illa Hermanni contracti verba: *Hunni Chriſtianitatis nomen aggreſſi ſunt anno* IↃCCCLXIIII. in malam partem accipit, ac ſi populi illi apud animum ſuum ſtatuiſſent, omne Chriſtianorum genus noménq; delere. Franciſcus Otrocotſius illum corrigendum putavit. Neq; enim tam cæci, támq; furore amentes eſſe poterant Huñi, ut id in animū inducerent, ac molirentur eo tempore, quo maximus erat,

*tuordecim facti Chriſtiani.*

*Bohemi atterunt Ludovici R. copias.*

*Hunni an infeſti Chriſtianis anno 864.*

creſcebátq; Chriſtianorum numerus. Igitur eo anno *nomen Chriſtianitatis aggreſſi ſunt*, id eſt, ùt explicat Otrocotſius, inceperunt plures Chriſtianis adjungi. At enim violens videtur eſſe hæc interpretatio. Verbum enim hoc aggredior nunquã valet idem, quod incrementum capio. Et quamvis ad Tibiſcum agentibus ſplendor aliquis doctrinæ Chriſtianæ tum primum luxerit, ùt notavit Aventinus eo anno, aut proximo res geſtas pertingens, tamen incertum eſt; an notio verbi illius, dum idẽ ſignificat, quod inchoo, explorata fuerit Hermanno. Dum enim ſemidocti temporum illorum hiſtorici idem vocabulum uſurpant, ſemper hoſtilem impetum ſignificant. Altiùs igitur quædam repetenda ſunt, videndúmq; an non Hunni in Pannonia colentes aliquam crudelitatem in finitimos Chriſtianos exercuerint? Moravis dominatus, quo à Bojis premebantur, utpote genti liberæ, & Romanis quondam verendæ, gravis videba-

*Moymirus Moravorũ Princeps cum diſpendio repugnat Bojis.*

deba-

debatur. Anno igitur ɪↄccccxʟv. Moymirus, vel, ùt gentis ſcriptores exprimunt, Mogemirus tumultuario delectu coacto exercitu caſtella, & oppida Brunonis quondã Nitrienſis reguli, quæ Bojorũ præſidiis tenebantur, Danubióq; & Vago appoſita erant, expugnavit. Verùm poſtero año Ludovicus R. Germaniæ audaciam ejus, & ſeditionem compreſſit, præfecitq; regioni Raſticem; quem Moravi Radislaum vocant, dicúntq; ob egregias ingenii dotes, formæq; dignitatem ſuffragiis populi creatum eſſe regem. An autem hi Moravorum Principes reapſe partes Regum ſibi ſumpſerint, quod hiſtoricis arridet, dubium eſt. At neq; Radislao ſub alieno diu libuit eſſe imperio. Palàm itaq; deſcivit ab Ludovico. Bello propterea anno ɪↄcccʟv. provocatus, injuriarum inſolens, Bojis vicem reddidit. Plura deinde prælia proſperè fecit pervaſtato quoq; Norico; nec ſuperari bello potuit, uſq; adeò donec ſeceſſione, & proditione Svatoplugi nepotis à Germa-

*Bruno Nitrienſis regulus, ſive Privina.*

*Radislaus Moravorum Princeps bellicoſus ad ultimum captus, & luminibus privatus.*

manis in prælio caperetur. Inde deportatus in Germaniam Ratisbonæ effoſis oculis in domicilio devotorum ad D. Emerammi incluſus eſt anno IↃCCCLXX. Talis ſæpe fortuna manet magnanimos duces. Venio ad rem. Radislaũ non duntaxat cum Sclavis Savum accolentibus, ſed cum Hunnis etiam fœdus conflaviſſe; hóſq; in vicinos Germanos irruiſſe, Viennam occupâſſe, ac diripuiſſe, ſacráq; profanâſſe, memoriæ traditum eſt. Atq; hoc fuerit *nomen Chriſtianitatis aggredi*, nempe divina pariter ac humana jura polluere. Hæc tamen animadverſio ſi cui non probaretur, ſequatur Otrocotſium, licebit. Favet ei chronicus quidam Salzburgenſis in rebus anni IↃCCCLXI. illis verbis: *Huni Chriſtiani fiunt.* Utrumque confieri potuit. Mutabiles enim ſunt voluntates hominũ. Et hæc hactenus. Anno IↃCCCLXVI. Michaël Bulgarorum R. divino deniq; afflatu impulſus, quamvis in regno ejus omnia tumultu, & terrore ſtreperent, honorificentiſſimam

*Michaël Bulgarorũ R. Univerſam gentẽ ſuam Chriſtianã reddit.*

mam tamen legationem miſit ad Nicolaum ſum̃um ſacrorum præſidem de præconibus Apoſtolicis. Accedebat & alia cauſa, ut fontem capútq; Eccleſiæ requireret, quia Græci, Armeniive novis ac falſis opinionibus imbuerant Bulgaros, quas ut deponerent, ad primæ Eccleſiæ inſtituta, erudiri percupiebant. Attulerunt itaq; eorum legati Romam centum & ſex quæſtiones; quas Nicolaus PP. totidẽ reſponſionibus diſſolvit. Idémq; ad munus Apoſtolicum apud illam nationem obeundum, delegit Paulum Populonienſem, & Formoſum Portuenſem Epiſcopos, viros magna pietate & virtute; qui vertente anno multis ſacerdotibus comitati, in longam ſe, & multorum dierum viam dederunt, delatiq; in Bulgariam à Michaële R. lætiſſima fronte, hoſpitalitérq; excepti ſunt. Ac primùm quidem de Dei immortalis vi ac poteſtate, déq; reliquis Chriſtianis arcanis diſſeruerunt, ac plebi tradiderunt; deinde, ùt captus ejus erat, ſacrâ doctrinâ excultam

*Sacerdotes à Nicolao PP. miſſi plurimos Bulgarorum initiant.*

tam luſtrali aqua aſperſerunt. Tanta verò copia ſacerdotum ad Bulgaros confluxerat, *ut totam terram impleverint*, ſicut narrant Annales Fuldenſes. Cùm enim Ludovicus quoq; Rex German. Ermenericum Patavienſem Antiſtitē perpluréſq; ſacerdotes ad eandem operam genti illi locandam legâſſet, ii in Bulgariam profecti, ubiq; Pontifices ac myſtas à Nicolao PP. miſſos offenderunt. En quàm prompta, quàm expedita eſt Romana Eccleſia ad dimittendos quaquaverſus operarios *Apoſtolicos*. At quanta voluptate perfuſa eſt acceſſione Bulgariæ, tantum dolorem ſuſcepit ex ejuſdem defectione. Quippe confirmata factione Græca Bulgaria quoque ſe contaminavit contagione, quæ à Conſtantinopoli latiſſimè ſerpſit. Superioribus ſeculis Savus continuit peſtem, Turcicus dominatus infudit eam in Ungariam. Nunc à Buda uſq; ad oſtia Iſtri, Epiſcopi, Græcorū ſeditioſorū coryphæi, excurſores, paſſim exultant. Ermenericus Patavienſis Præſul, quòd Lau-

*Ermenericus Paſſavienſis Epiſcopus tardiùs advenit in Bulgariam.*

*Bulgari Schiſmatici.*

*Hermenericus an negligens rerum ſuarū ut vulgò audit.*

Laureacenſem, & Pannonienſem metropolim inſuper habuiſſet, paſſim inertiæ condemnatur. At vix per eum ſteterit, quominus id honoris prætertim in Pannonia conſequeretur. Impedimento quippe fuêre Reges, qui duobus ſacerdotiis Pannoniam diſpertiti ſunt, & auctoritate ſua dederunt, ſuique juris eſſe voluerunt. Eodem facto & benefici, & noxii. Sclavi illi, qui Dalmatiã, & regionẽ ei vicinã, quæ poſtea nomenclatione peculiari Croatia vocata eſt, pacis amantiores ſponte videntur ad Chriſtianam religionem aſpirâſſe. Timpimirus enim eorum Dux, jam non novus Chriſtianus, Rege Francorum Lothario, Indictione XIIII. quæ indicat annnum Chr. ɪↄcccʟxvɪ. Salonis in Dalmatia inſtituit Collegium virorum religioſorum. Qua de re Joann. Lucius in *Reb. Dalmaticis* copioſè.

*Timpimirus Croatorum Dux monaſterium conſtituit.*

CA-

# CAPUT XVI.

## *De SS. Cyrillo, & Methodio Sclavorum Apoſtolis.*

*Cyrillus & Methodius in Moraviam veniunt.*

MIſſa facio multa, quæ de eorum natalibus, genere, ſtudiis multi narrãt. Fuerunt natione Græci, diſciplinæ Baſilianæ alumni. Miſſi ſunt, ùt fertur, à Michaële Conſtantinopolitano Imp. ad Radislaum Moravorum Principem, qui tales viros deſiderabat. Primùm in Moravia, deinde in Pannonia Sclavos Chriſtianis præceptis erudire cœperunt. Ac in Pannonia quidem inſtitutiones ſacras inchoâſſe videntur exeunte anno ɪↄcccLXVI. Adhuc namque eo anno Adalbinus Juvavenſium actis apud Hezilonem Moſeburgi Natalis Chriſti feſtis in vicinia templa cœlitibus dedicavit. Subinde plebs, quam in divinis rebus magis delectabat vernacula, quàm Latina, aut Germanica lingva, Sclavis præceptoribus ſe addixit. Id verò im̃oderatiùs tulêre

*Placent populis Sclavonicis.*

ſacer-

ſacerdotes Juvavenſes. Inde anno inſequente computatione Cæſaris Baronii Cyrillus & Methodius deferentes corpus S. Clementis Papæ Romam iter contulerunt *Romā proficiſcuntur.* Propoſitum illis erat, ut ſcribit idē hiſtoricus, expetere facultatem apud Sclavonicas gentes de rebus cœleſtibus concionandi. Præerat tum univerſæ Eccleſiæ Nicolaus II. PP. vir omnibus virtutibus ornatus; qui quidem advenis libenter aures præbuit, ſed antè fato functus eſt, quàm eorum poſtulationi concederet. Hadrianus itaq;, qui in locum Nicolai ſuppoſitus eſt, optatam eis provinciam dedit. In Judicium accerſitos fuiſſe, non prodit *Purgant ſe in conſilio Romano.* Baronius. Exploratum tamen eſt, illos criminationes non ab aliis, niſi à Juvavienſibus oblatas, depuliſſe. Nam, ut cetera argumenta prætercam, apud *Hagiographos* Belgas (*ad IX. diem menſis Mart. Tom. II. pag. XXII.*) Cyrillus in conſilio Romano cauſam defendens ita introducitur, quaſi nulla eum tetigiſſet cura Methodii, & rei communis:

quod idcirco acciderit, quia vel Cyrillus prior à partibus Pannonicis in urbem accurrit, vel Methodium jam culpâ abſolutum ſubſecutus eſt. An autem Cyrillus ad labores *Apoſtolicos* ſe retulerit, in dubio ſitum eſt. Antiſtitem quidem creatum eſſe, ſed in *monaſterio* quodam Romæ vitam tranſegiſſe, nonnulli ſcripsêre. Et certè nullum indicium eſt, unde colligi poſſit, eum Methodii rebus adfuiſſe, aut per ſe aliquid poſtea apud Sclavos egiſſe. Atq; hi viri doctores fuerunt non modò Moravorum & Bohemorum, ùt nonnulli exiſtimant, ſed Pannoniorū atq; Illyricorum. Cyrillus vel Conſtantinus, ùt eum nominat Joannes VIII. Papa, invenit literas, quas Glogoliticas vocant, utuntúrq; illis in ſacris faciundis Sclavonicæ gentes, Moſci, Valachi, Ruſſi, Raſcii, aliiq; populi, qui ex ritu Græco Deum colunt. Lingva verò illa, in quam Cyrillus è Græcis, convertit ſacras literas, adeò abſtruſa obſoletáq; eſt, nullus ut hodie Sclavus eam penitus compre-

*An Cyrillus redierit ad Sclavos.*

*Docent plures Sclavorum populos.*

*Cyrillus inventor literarum Glogoliticarũ.*

prehendere poſſit, interdúmque Græcum quid ſonat. Diſcunt itaq; illam, qui plebi vim verborum interpretari volunt, perinde, ac nos Latinam, aut Græcam. Sunt qui literas Sclavonicas alias D. Hieronymo, alias auctori Cyrillo attribuunt. Sed ſi antea extiterunt Hieronymianæ, quid opùs erat Cyrillicis? quî Cyrillus inventor? Poſtquam Methodius cauſam Romæ obtinuit, in Illyrico & Pannonia operam ſuam profiteri, fidenter agere; contrà Richvaldus myſtagogus(*Archipresbyterum* vocant) cum ſacerdotibus Juvavenſibus tempori cedere, ſtationem deſerere. Ornaverit quidem Hadrianus Methodium honore quodam pontificali, ſedem tamen aut regionem, cui præeſſet, non deſignavit. Succeſſor Hadriani Joannes VIII. antequam eum Antiſtitem Pannoniorum diceret, ſcripſit epiſtolam ad Ludovicum Germaniæ Regem circa añum IↃCCCLXXIIII. Prima pars ejus extat (*Lib. IV. Cap. XLVI. fol. LXXXVI.*) in codice, qui in Vaticana bi-

bliotheca aſſervatur, & inſcribitur *Collectiones Decretales.* Eam, uti & alteram partem propter venerandam antiquitatem ſubnectere non erit alienum his inſtitutis. Inſcriptio epiſtolæ: *Quòd Pannonica diœceſis deputata eſt privilegiis Apoſtolicæ ſedis.* Tum ſequitur initium: *Joannes Epiſcopus dilecto filio Ludovico glorioſo Regi. Inter cetera* (hæc duo verba ſunt Collectoris) *Multis ac variis manifeſtisq; prudentia tua poterit indiciis deprehendere, Pannoniam diœceſim ab olim Apoſtolicæ Sedis fuiſſe privilegiis deputatam: ſi apud excellentiam tuam juſtitia Dei locum, ſicut decet, invenerit. Hoc enim ſynodalia geſta indicant, hiſtoriæ conſcriptæ demonſtrant. Verùm quia quibuſdam hoſtilium turbationum ſimultatibus impedientibus, illuc ab Apoſtolica Sede non eſt diu directus Antiſtes, hoc apud ignaros venit in dubium.* Hactenus prima pars: altera verò invenitur apud Gratianum quoq; (*Cauſ. XVI. Qu. III. C. XVII.*) & eſt talis: *Nemo autem de annorum numero reſultandi ſumat fomentum: quia ſanctæ Romanæ, cui Deo auctore ſervimus,*

*Joannes VIII. Papa per literas declarat Pannoniam eſſe jurisdictionis Romanæ.*

*vimus, Eccleſiæ privilegia, quæ in firmæ petræ ſtabilitatis petra ſuſcepit, nullis temporibus anguſtiantur, nullis regnorũ partitionibus præjudicantur. Sed & venerãdæ Romanæ leges, divinitus per ora piorũ Principũ promulgatæ, veram ejus præſcriptionem non niſi poſt centũ años admittant.* Cetera ſeries epiſtolæ evanuerit. Atq; hoc eſt, quod de Pãnonia, in qua ſibi Reges Germaniæ Pontificium vendicabant, aliquoties dixi. Subverebatur enim Joannes, ne Epiſcopum ab ſe Pañoniis datum Ludovicus R. exturbaret. Perſpecta verò ejus voluntate non multò pòſt in munere Pontificali apud eos populos Methodium conſtituit. Cùm verò à juriſdictione Methodii Montemerus, Sclavorũ quorundam Princeps ſe ſubtraheret, ad Juvavenſem Antiſtitem forſitan ſe ſe inclinans; ne id facere porrò pergeret, monuit eum per literas idem ſummus ſacrorum cuſtos. Literarum earum partem aliquam continet ille codex Vaticanus (*Num. 4886. fol. 102. B.*) eáq; ejuſmodi eſt: *Joannes Epiſcopus Monteme-*

*Methodius Pannoniorum Epiſcopus, inter quos Hunni erant.*

*Joãnes VIII. monet per literas Sclavorum Du-*

*cem, ne ſe à Pannonienſi diœceſi ſubſtrahat. Apud Aventinum Moëmarus eſt filius Zwendibaldi natu major; apud Moravos ſcriptores Mogemirus. Ejuſdẽ Joannis PP. epiſtola ad Carolomãnum de reſtituto ſacerdotio Pannonienſi, & Methodio Epiſcopo.*

*temero Duci Sclavoniæ* (inter cetera) *Admonemus te, ut progenitorum tuorum ſecutus morem, quantum potes ad Pannonienſium reverti ſtudeas diœceſim. Et quia illic jam Deogratias, à Sede B. Petri Apoſtoli Epiſcopus ordinatus eſt, ad ipſius Paſtoralem recurras ſollicitudinem.* Hæc ibi. Ad Carolomannũ quoq; regulum per id tempus Joannes PP. literas dederit; quarũ pars oſtenditur in prædicto Vaticano tabulario oratione iſtiusmodi: *Joannes Epiſcopus glorioſo viro Carolomano, dilecti filii noſtri Ludovici Regis filio. Reddito ac reſtituto nobis Pannonienſium Epiſcopatu, liceat Fratri noſtro Methodio, qui illic à Sede Apoſtolica ordinatus eſt, ſecundùm priſcam conſvetudinem liberè, quæ ſunt Epiſcopi, gerere.* Hactenus pars epiſtolæ, quæ ad rem facit. Carolomannus ea tempeſtate conceſſione patris Carinthiæ, & Pannoniæ præſidebat. Fuit igitur Methodius primò Pannoniæ *Archiepiſcopus* declaratus, ità tamen, ut etiam apud Moravos, eisq; vicinos Sclavos ſacra curaret. Obſervavit id quidem Aventinus, ſed

ſed ineptè refert, illum factione myſtarum Juvavienſium regno Bojariæ pulſum, in Moraviam aufugiſſe. Excitatâ enim procellâ abiit ad Moravos, tanquam ſi paſtor ad oves alias, ſuas tamen tranſiſſet. Quamvis autem Methodius integre ſanctéq; ſacra obierit, quia tamen Græcorum inſtituta tenebat, lingvâ Sclavonicâ divinis operabatur, ſacerdotúmq; Juvavenſium comodis obſtabat, offenſionẽ effugere non potuit; quo quidẽ tempore non fuit ab Adelvino, ùt putavit Aventinus, impietatis delatus (is enim jam diem ſuum obierat) ſed à Dietmaro ſucceſſore. Scripta igitur eſt illi ab Joanne PP. dica, & epiſtola miſſa anno circiter IↃCCCLXXIX. Plures quidem antiquarii eam emiſerunt, nulli tamen offecerit, ſi hoc loco proferatur. Eſt ergo iſta: *Reverendiſſimo Methodio Archiepiſcopo Pannonienſis Eccleſiæ. Prædicationis tuæ doctrinis populum Domini tibi quaſi ſpirituali paſtori commiſſum, ſalvare inſtruereq; cùm debeas, audivimus, quòd non ea, quæ ſancta*

*Methodius ſecundò accuſatur à Dietmaro Archiepiſcopo Salisburgenſi.*

*Joãnes VIII. citat per epiſtolam Methodiũ ad reddendã doctrinæ rationem.*

*Rom. Eccl. ab ipſo Apoſtolorũ Principe didicit, & quotidie prædicat, tu docendo doceas, & ipſum populũ in errorẽ mittas. Unde his Apoſtolatûs noſtri literis tibi jubemus, ut omni occaſione poſtpoſita ad nos de præſenti venire procures, ut ex ore tuo audiamus, & cognoſcamus, utrũ ſic teneas, & ſic prædices, ſicut verbis, & literis te ſanctæ Romanæ Eccl. credere promiſiſti, aut non: ut veraciter cognoſcamus doctrinam tuam. Audimus etiam, quòd Miſſam cantes in barbara, hoc eſt, in Sclavonica lingva: unde jam literis noſtris per Paulum Epiſcopum Anconitanum tibi directis, prohibuimus, ne in ea lingva ſacra Miſſarum ſolennia celebrares, ſed vel in Latina, vel in Græca lingva, ſicut Eccleſia toto terrarum orbe diffuſa, & in omnibus gentibus dilatata cantat. Prædicare verò, aut ſermonem in populo facere tibi licet: quoniam Pſalmiſta, omnes, admonet, Dominum gentes laudare; & Apoſtolus, omnis, inquit, lingva confiteatur, quòd Dominus JESUS in gloria eſt Dei Patris.* Hucuſq; epiſtola. Exhauſit mandata Joannis PP. Methodius, Romámq; ſe contulit, ubi poſtquã

*Methodius Romæ cauſam dicit, & vincit.*

ſæpe

ſæpe in diſquiſitionem ſacri ſenatûs vocatus, multa de eo argumento diſputaviſſet, nedum objecta diluit, dignitatémq; ſuam pro virili parte defendit, ſed etiam impetravit, ut inter ſacrificandum ſermone Sclavonico deinceps quoq; uteretur. Docent hæc literæ ejuſdem Pontificis Max. menſe Junio, Indictione XIII. quæ indicat annum ab ortu Chriſti IↃCCCLXXX. conſcriptæ, & ad Sventopulchrum Sclavorum Principem, miſſæ. Titulus illarum eſt: *Dilecto filio Sventopulchro glorioſo Comiti.* Hoc loco ſummus ille ſacerdos vocat Methodium *Archiepiſcopum* Moravenſem, aliàs appellârat Pannonienſem; qua re declaravit, cùm in Pannonia vir ille verſaretur, dictum fuiſſe Pannoniorum, cùm verò in Moravia, Moravorum Antiſtitem. Significavit præterea Joannes PP. per eas literas, Wichingum ſacerdotem, ad ſe à Sventopulchro miſſum, factum eſſe Epiſcopum, & ad ſanctam Nitrenſem Eccleſiam adminiſtrandam regendámq; deſignatū. Quāvis

*Wichingus Nitrienſis Epiſcopus.*

*Qua lege permiſſus fuerit uſus lingvæ Sclavonicæ in Miſſa.*

vis autem poteſtatem fecerit Methodio, lingvâ Sclavonicâ faciendi, præcepit tamen illi, ut priùs Latinè, quàm Sclavonicè *Evangelium* caneret, aut recitaret. Hodie Sclavi, qui ſermone illo ſacra obeunt, etſi cum *Eccleſia Catholica* ſentiunt, ritum eum non ſervant; quos verò ſcelus ſuum à Catholicorum conſortione ſegregavit, pleriq; omnes Græcorum lingvâ *Evangelium*, & alia quædam canunt. Rurſus dignitatem Methodii læſam fuiſſe, apparet ex epiſtola conſolatoria, quæ eſt CLXIII. in epiſtolis Joannis illius Papæ. Recreavit idem afflictum, ne in propaganda Dei gloria induſtria ejus langveret. Animus quippe conturbatus, non eſt probè affectus ad ſuum munus fungendum. Verùm, ùt fortuna eſt viris non modò fortibus, ſed religioſis invida, majus odium ſubiit Methodius; quâ causâ Melchior Inchoffer putavit, eum à Moravorum oculis aliò conceſſiſſe, conventóq; Romæ fratre ſuo Cyrillo, cum eo curriculum vitæ piè ſanctéq; confeciſſe, &

*De deceſſu Methodii opiniones.*

con-

conditum eſſe in templo Deo dicato in honorem D. Clementis Papæ, anchorâ, cum qua in mare demerſus erat, celeberrimi. Idem tamen hiſtoricus oſcitans longo pòſt tempore, anno, inquam, IↃCCCXCV. res geſtas enarrans, in Moraviam Methodium quaſi reducit, & ad vitam revòcat, cùm dicit, Svatocopium, vel Svatobogium, filium Sventopulchri, hominem quidem Chriſtianum, ſed parum metuentem Dei, ac ſacerdotum minimè reverentem, ſacrificanti ferè vim obtuliſſe, proptereáq; à comunione piorum ſecluſum in contumacia obiiſſe. Aventinus verò prodit, Methodium ob crebra bella iterum Moraviâ exceſſiſſe, & abiiſſe in Dalmatiam, rurſus tamen ad Moravos rediiſſe, defunctúmq; Olomucii, ibidem honorem ſepulturæ adeptũ eſſe, ac Divis adſcriptum. Conſtat inter omnes, hodie reliquas ejus non eſſe Olomucii: neque ſingularem quampiam venerationem in ea urbe Cyrillo, & Methodio exhiberi, ſed Welehradii, ubi ajunt, ſedem

*Welehradii in Moravia cultus SS. Methodii, & Cyrilli viget.*

ſedem fuiſſe Moraviæ Principum, hodie verò eſt inſigne *cœnobium* Ordinis Ciſtercienſis; ad quod magnus quotannis fit concurſus, die illis *Apoſtolicis* viris ſacra. Quid autem de his Moravici hiſtorici? Joannes Georg. Stredovius in eo libro, quem anno CIƆIƆCCX. emiſit, honoriq; *Apoſtolicorum* illorum operariorum conſecravit, ſententiam ſuam aperit, & pro certo habet, ambos propter uſum Sclavonicæ lingvæ in divina re año IƆCCCLXVI. à Nicolao primo Romam ad dicendam cauſam evocatos eſſe. Ibi cùm res ſuas agerent, ſacérq; ſenatus de facto cognoſceret ac deliberaret, vocem ex occulto extitiſſe, *Omnis ſpiritus laudet Dominum, & omnis lingva confideatur ei.* Ambos deinde Antiſtites conſecratos eſſe, ac Cyrillum quidem Velehradio *Archiepiſcopum*, Methodium verò Olomucio Epiſcopum præeſſe juſſum. Quatuor interjectis annis, quos laboribus *Apoſtolicis* in Bohemia, & Moravia impenderunt, rurſus Romam profectos eſſe, ibidémq; Cyril-

rillum anno ıↄccclxxıı. piè de vita deceſſiſſe, Methodium verò ſummo Pontifice adhuc Hadriano ſecundo Archimyſtam Velehradienſem renunciatum eſſe. Hunc ſubinde officio ſuo naviter fungentem, utentémq; ad aras Sclavonico ſermone in falſam probrorum inſimulationem vocatum, anno poſtero purgationis causâ in urbem contento itinere iviſſe, innocentémq; factorum omnibus ſententiis abſolutum in Moraviam reveniſſe, deniq; plurimis, & maximis pro Chriſto exantlatis laboribus anno ıↄcccx. Romæ nonagenarium obiiſſe. Reliquias ejus in ea urbe oſtendi nullas, in Bohemia & Moravia quaſdam. Tria ſunt iis in rebus difficilia exiſtimatu. Primum, an illa arcana vox approbans Sclavonicæ lingvæ uſum inter faciendum audita fuerit, dum Cyrillus cauſam ſuam Romæ informaret? Alterum, an revera Cyrillus, & Methodius fuerint *Archimyſtæ* Velehradienſes? Tertium, an reapſe in urbe de vita migrârint? Primum enim ex eo con-

*An miraculum acciderit Romæ ob lingvam Sclavonicā*

*An Cyrillus, & Methodius fuerint Archiepiſcopi Velehradienſes?*

*An Romæ mortui.*

controverſum eſt, quòd incredibile videatur, tam inſigne portentum tam citò apud Romanos in oblivionem veniſſe, & Methodium ob eandem cauſam iterum notam turpitudinis ſubîſſe. Alterum idcirco ambiguum eſt, quia de *Archiepiſcopatu* Cyrilli nulla meminerunt antiqua monumenta: imò verò niſi Romani Faſti ambos hos viros *Apoſtolicos* Pontificali honore honeſtarent, in controverſiam adduci poſſet *Epiſcopatus* Cyrilli: ſiquidẽ Joannes VIII. iis literis, quas Sventopulchro ſcripſit, poſt obitũ quoque tantummodo philoſophum eum vocat. Verba Pontificis illius ſunt, *Literas deniq; Sclavonicas, à Conſtantino quondam philoſopho repertas, quibus Deo laudes debitas reſonent, jure laudamus.* Methodium idem ſummus ſacerdos Archiepiſcopum quidem fuiſſe declarat, ſed provincialem, nulliq; certo affixum loco, quamvis dubitari non poſſit, quin frequens Velehradii apud Svatoplugum diverſatus fuerit. Tertium in dubitationem adducunt Faſti

ſti Romani, qui indicant, illos in Moravia naturæ conceſſiſſe. Namque ad VII. Idus Martii ità loqvuntur: *In Moravia ſanctorum Epiſcoporum Cyrilli, & Methodii, qui multas illarum regionum gentes cum earum regibus ad fidem Chriſti perduxerunt.* In his igitur firmanda eſt fides præcipuè veterum monumentis. Nam aſſerere non ſufficit. Wenceslaus Hagecius Bohemus anno IↃCCCXCIIII. inducit Ducem Bohemorum, coram Svatopluco de religione cum Cyrillo agentem. Quanta ignoratio veri! Ceterũ Vichingus Nitrienſis Præſul, cujus meminit Joannes VIII. annuente Arnulpho R. ùt notant Annales Fuldenſes, anno IↃCCCXCVIII. Patavienſem Infulam conſecutus eſt. Extincto verò Arnulpho Deotmarus Juvavienſis Antiſtes, ceteriq; Bavariæ Pontifices mitram ei detraxerunt, quia Alemanus erat.

*Vichingus Epiſc pellitur Sacerdotio Paſſavienſi.*

CA-

# CAPUT XVII.

## *De geſtis Sventopulchri, qui aliis Zventibaldus, aliis Svatoplugus, aliis aliter dicitur.*

*Svatoplugi Regis (hoc enim honore dignantur eum nonnulli) varia nomina.*

CElebratiſſimus hic Sclavorũ Princeps, filius Boleslai, nepos Radislai eorundem populorum Ducis, habuit imperium in Moravos, & finitimos; imò verò illos quoq; Sclavos, qui Savum & Dravum accolebant, in ditione ejus fuiſſe, nonnulli putaverunt. Conſiliorum ſocietate cum iis conjunctus certè fuit. Vir erat potens, excelſus, felix; attamen felicitas ejus aliqua ex parte claudicabat. Pendebat enim vectigal Germaniæ Regibus. Qui occaſionem dederit Hunnis tertiò erumpendi, altè repetendum eſt. Auctor poſtremæ partis *Annalium Fuldenſium*, æqualis illorum temporum, rem ab origine deſcribit ad hunc modum: Ludovicus Pius terram Araboni fluvio circumjectam, quæ erat terminus regni Bojarici, dederat duobus fratribus, Vilhelmo & Engiſchal-

ſchalcho. Hi eam uſq; ad extremum ſpiritum pro virili ſua tuiti ſunt. Ubi verò è vivis exceſſerunt, edicto Ludovici R. in poſſeſſionem illius tractûs venit quidam Arbo. Id verò cùm ægerrimè ferrent filii, & cognati Vilhelmi atq; Engiſchalchi, monuerunt illum, ut ex agris ipſorum, & poſſeſſionibus decederet, alioqui pro certo haberet, ipſos ad vim deſcenſuros. Arbo minis perterrefactus ad amicitiam Sventopulchri ſe adjunxit, fœdúsq; cum eo percuſſit dato obſide filio. Hæredes Vilhelmi & Engiſchalchi ad Bavarorum optimates confugerunt, impetrârúntq; ab illis auxilia tanta, ut Arbone valentiores ac potentiores armis evaſerint, illúmq; de poſſeſſione dejectũ à fortunis ſuis arcuerint, donec vitam propagabant Carolomannus, & Ludovicus Germanorum Reges. Obiit autem Ludovicus anno IↃCCCLXXVI. Carolomañus IↃCCCLXXX. At Carolus frater eorum minimus natu rerum potitus, Arbonem in veterem poſſeſſionẽ reſtituit. Sventopul-

*Bavarorũ nobilium contentio de poſſeſſione partis Pannoniæ.*

topulcher ſecum reputans, quantis antea Sclavi à Bavaris onerati fuerint malis, plus nimióq; dolens, quia non duntaxat ſervitutem, ſed diminutionem etiam finium pateretur, tempus ulciſcendi obſervabat. Bavari quippe non contenti Pannoniæ ſolo, ultra Danubium limites regni proferebant, & ( ùt mea quidem fert opinio ) Poſonium, Baſinium, Freyſtadium ſive Galgocium condebant. Ob recuperatam itaq; ab Arbone dignitatem Bavaros diſtractos intelligens, primùm filiis Wilhelmi & Engiſchalchi, deinde toti genti bellum intulit. Anno ſiquidem IↃCCCLXXXIIII. in ſeptentrionali Danubii latere Bavaros invaſit, captóq; Verinchario, uno ex tribus Engiſchalchi filiis, & Vezillone Comite, carnificinam fecit. Quippe utrique dexteram manum lingvámq;, & alia quædam, quæ pudor eſt dicere, membra præcidit, oppidáq; eorum, & villas afflixit ac funeſtavit. Miſit inſuper trans Danubium excurſores, ad diripienda inflammandáque

*Swatoplug9 in duas familias Bavaricas inſultat & furit.*

que reliqua gentis illius tecta. Ærumnis affecti homines non auſi ad Carolum perfugere, quia Arboni ejus clienti repugnarânt, tradiderunt ſe in fidem, & clientelam Arnulpho, Carolomanni R. filio, qui tum Pannoniam obtinebat. Hoc comperto Sventopulcher inimicitias Arnulpho denunciavit, quòd hoſtes ipſius foveret; ac niſi continuò illos à ſe removerit, certò ſciret, ſe bello petendum. Cupiebat præterea, ut ingenuè ac interpoſito jurejurando confiteretur, quòd Bavari Bulgaros ad arma non exciverunt. Anno namq; ſuperiore regiones Sventopulchri ea gens populabatur. Ut renunciatum eſt, Arnulphum neutri poſtulationi aſſenſurum, Sventopulcher de bello conſilia init, contractisq; Sclavorum ſuorum, & ſociorum viribus exercitum Danubiũ transportat. Nullus id temporis fuit in Pannonia miles, nullus reſiſtens. Wratislaus quoq;, quem Fuldenſis ſcriptor Braxlavonem vocat, Hezilonis filius, Privinæ nepos,

*Svatoplugꝰ duas res poſtulabat ab Arnulpho R. neutram obtinet: tum atrox animi peſtem ac perniciem importat Pannoniæ.*

*Pellicit in ſocietatem nepotem Privinæ Wratiſlaum.*

Moravorum partibus infectus eſt; ſed paulò poſt ad clientelam Bavarorum ſe retulit. Cùm ergo nemo conatibus Sventopulchri obviam iret, omnia hoſtilia fecit, ac dum ipſi deinde libitum fuit, ab omni incommodo integrũ reduxit exercitum anno IↃCCCLXXXV. ſequenti verò longè majus bellum Bojariis transmiſit. In quodam loco obſervatum eſt, ab ortu ſolis uſq; ad ſerum diei milites ejus alios aliis ſucceſſiſſe. Et iſta quidem expeditione quacunq; promovebat caſtra, nihil reliqui fecit. Non aliàs Sclavi, antea Marcomani & Quadi, adeò truculenti. Duodecim dies incurſio tenuit. Nec ſatis habuit Sventopulcher cum toto exercitu regiones Arnulphi incursâſſe, ſed miſit inſuper quaſdam cohortes, quæ circumjacentem Araboni oram exinaniverunt. Ibi cùm Wilhelmi, & Engiſchalchi majores natu filii, Meginger, & Papo cum Pannoniis, qui Huñi fuerint, Sclavorum impetum cohibere vellent, primùm repulſi, deinde in fugam con-

conjecti, ad extremum voraginibus illius amnis ſubmerſi ſunt. Ducto in tertium annum bello, vel potiùs continuatis incurſionibus tota ferè ſuperior Pannonia in ſolitudinem abiit, Arnulpho, quem maximè calamitas urebat, varia conſilia interim coquente. Mitiora primò placuêre. Quanquam enim maxima Bojis Svatebogus invexerat incommoda, tamen, ſi Aventino fidem tribuimus, Arnulphus eum recepit in gratiam. Quin ut Principem tam excellentem, támq; potentem beneficiis omnino devinctum teneret, non ſolùm officio ſuſcipiendi è ſacro fonte filii eum dignatus eſt, ſed etiam Bohemiâ donavit. At ipſe regione auctus ampliſſima, rex illius voluit dici, aſpernánsq; dominum peregrinum Bojorum jugo ſe exuit. Arnulphus ad contundendos hominis ſpiritus contraxit quidem copias, ſed fortunam, & vires ejus veritus, nil ſuis ſolius armis tentavit. Inde celebrem in finibus Auſtriæ conventum egit, contumacem in jus voca-

*Reconciliatur Arnulpho.*

*Iterum contumax.*

vocavit, nolentémq; imperata facere hoſtem reipublicæ pronunciavit. Interfuêre conventui Cuſſalis regis Ungarorum nuncii, adverſus pertinacem in ſententia Svatebogum omnes fortiſſimæ gentis opes pollicentes. Habuerit is juſtã belligerandi cauſam, at modum tranſiit. Peregrina ſunt, quæ ſubnecto. Per eos annos Baſilius Imp. Conſtantinopolitanus inito cum Ruſſis fœdere, miſit ad eos *Archiepiſcopum* quempiam; qui librum *Evangeliorum* in ardentem fornacem conjecit, & poſt aliquot horas illæſum excepit; eóq; portento partem gentis ad ſuſcipiendum *baptiſmum* induxit. Idem Imperator, ut eſt apud Curopalatem, in deditionem accepit Croatas, & Servios, útq; regiones illas, quæ ab ipſis nomina habent, colerent, conceſſit. Quoniã crebris transmiſſionibus, & migrationibus Sclavi Illyricum coloniis impleverunt, paucis declarandum eſt, quæ vernacula fuerit antiquitus in ea regione. Antequam ſub ditionem Romanorum

*Cuſſalis R. Ungar. nuncii.*

*Baſilius Imp. mittit Ruſſis concionatorem.*

*Idem Imperator benevolus erga Croatas, & Servios donat iis terras.*

*In Illyrico, quæ lingua vernacula.*

rum cecidiſſet, ajo, vulgarem in Illyrico lingvam fuiſſe Græcã, eámq; etiam mare Adriaticum transîſſe, & fuſam fuiſſe per Magnam Græciam. Athenæus certè (*Lib. X. de Gallorum incurſ. pag. 443.*) planiſſimè ſignificat, Ardiæos populos, quos Strabo Varalios, Ptolemæus & Plinius Vardæos nominant, fuiſſe Græcos. Habebant autem ſedes Ardiæi in media ferè Dalmatia. Ità quidem Athenæus; hoc amplius Plinius; qui (*Lib. III. Cap. XXII.*) poſtquam oppida Liburniæ enumeravit, ſubtexit ſententiam iſtã: *Præterea multorum oppidorum Græciæ deficiens memoria, nec non & civitatum validarum.* Nonnulli tamen exiſtimant, hodiernam lingvam Illyricam eſſe matrem cunctarum Sclavonicarum, nec ſcribere dubitant, ſub añum Chr. nati ıↄcc. Tsechum, Lechum, & Ruſſum Dalmatiæ R. Salaminis filios colonias duxiſſe in Bohemiam, Poloniam, & Ruſſiam. Hoc autem erat, quod proverbii loco dici ſolet, noctuas ferre Athenas. Cur non etiam in Moſcoviam

*Illyrica lingva an mater Sclavonici ſermonis?*

am dimiſit Salamis, quisquis ille fuit, nepotes quoſquam, inſpectũ grandia Sclavorum incunabula? Lechum apud Polonos circa annum IↃL. imperium tenuiſſe memorant, ſed an peregre advenerit, & unde, occultum atq; ignarum eſt Polonis ſcriptoribus. At enim quid opus erat admigrare genti illi, quæ cum Quadis & Marcomanis ſociis jam pridem terribilis erat Romanis, terrámq; ſuam armis tutabatur. Geſta tamen Sarmatarum, quæ apud Am̃ianum pluréſq; ſcripta ſunt, non continuò ſolis Polonis attribues. Quippe dum Romana res ſtetit, omnes populi ejuſdem generis ab Iſtro Pontóq; Euxino per ſeptentrionem latè diffuſi Sarmatæ nuncupabantur. Ubi ſolùm mutare inceperunt, Sclavi vocati. Tſchechus Lecho ætate poſterior fuerit. Etenim Wenceslaus Hagecius, qui patrio ſermone Bohemicam ſcripſit hiſtoriam, neſcio, unde conjecerit, anno IↃCXLIIII. deducta à Tſchecho coloniâ frequentatam eſſe Bohemiam. Et intro-

*Lechus quando vixit?*

*Sarmatarum nomen latè patens.*

*Tſchechi adventus in Bohemiam.*

introducens peregrinæ gentis ducem ſalutantem terram, declarat, eam à cultura hominum antecedentibus temporibus deſertam fuiſſe, generiq; ſuo reſtitutam. Si res ità contigit, prioribus quoq; ætatibus Bohemi regionem illam tenuerunt. Rectiùs verò inde intuleris, nationem hanc ad Dravi Saviq; oras forſitan transmigrâſſe, & ſub adventum Avarum in Bohemiam revertiſſe. Eóq; pacto Bohemi Sclavis Savienſibus beneficium quidem hoſpitii, & natalis ſoli deberent, ſed non originis. Obſervata fortaſſe de ætatibus Lechi, & Tſchechi fratrum inconſequentia, aliqui Bohemi ſcriptores dominatum Tſchechi ſtatuerunt ad annum IↃL. At craſſis iſta ſunt involuta tenebris. Confirmat hoc Aventinus, qui tradit, ante annum quingenteſimum Alaricum Svevorum Regem cum popularibus ſuis ex Bohemia, Luſatia, & Sileſia ad Rhenum demigrâſſe. Ac iſtud quidem non improbabile eſt. Ineptit autem, cùm Cracum longè poſteriorem ætate

 Tſche-

*Ruſſus an in Ruſſiam quampiam profectus?*

Tſchecho æqualem facit. Venedorum, inquit, *Reges Zecho, & Crocus loca à Svevis & Bojis deſerta invaſerunt, & adhuc poſſident.* De Ruſſo ne fabuloſa quidem ſuppeditant. Quid enim? In Ruſſiámne Albam, an Nigram, Rubrámve conceſſit? Magnum ubiq; hac de re ſilentium.

*Ruſſia unde dicta?*

Nec ſatis convenit inter ſcriptores Sarmaticos, unde Ruſſia nomen acceperit? aliis à ſeminatione id vocabulum ducentibus, aliis à rufo colore aut capillo; hi neſcio, quid afferant, cur ità ſentiant; illi verò arbitrantur, omnes familias Sclavonicas ortas eſſe, & quaſi proſeminatas à Ruſſis, ea re, quòd hi populi totam Europæam Sarmatiam, & partem Aſiaticæ occupârunt, atq; à mari glaciali ad mediterraneum uſq; & Adriaticum; præterea à Ponto Euxino ad Balticum colonias ſuas propagârunt.

*An Ruſſi patres omnium Sclavorum?*

Verùm, an revera Ruſſi majores omnium Sclavonicarum gentium fuerint, controverſum eſt. Aſia prima procreatrix atq; altrix fuerit maximæ nationis; idq; poſcere videtur

detur

detur ratio primæ diſperſionis hominum. Bulgaros à flumine Volga erupiſſe, communis eſt omnium ſenſus. Hæc vocabula Ruſſus, & Ruſſia ignota erant Ptolemæo; contrà hæc Beſſi, Peucini, Baſternæ, quæ reſpondent Ruſſis, nota. Sed neq; conſtat, quæ ſit differentia inter Ruſſos, & Ruthenos? Regio quippe, quæ Ruthenia dicatur, nulla eſt. Non deſunt, qui probabiliter cenſeant, Ruthenos appellari omnes Sclavonicos populos, qui in rebus divinis Græcorum partes ſeqvuntur. Quamobrem Ruſſorum nomen citiùs percrebuit, quàm Ruthenorum.

*Inter Ruſſos & Ruthenos diſcrimen.*

LIB.

# LIBER III.

## DE TERTIO MOTU HUNNORUM,

*SIVE*

## DE UNGARIS.

## CAPUT I.

### *De Ungarorum adventu auctorũ narrationes expenduntur.*

*Rheginonis narratio de adventu Ungarorũ.*

RHegino Abbas Prumienſis ( *Chron. Lib. II.* )in ſcriptis reliquit, Ungarorum gentẽ ferociſſimam, ſuperioribus ſeculis prorſus incognitam, è Scythicis regionibus, Mæotide ac Tanai erupiſſe anno IↃCCCLXXXIX. Ac primùm quidem Pannoniorum, & Avarorum ſolitudi-

tudines pererrâſſe, venatu ac piſcatu vitam toleràſſe; deinde Carinthiorum, Moravorum, Bulgarorum, & Italorum fines crebris incurſibus vexâſſe. Hic auctor permiſcet omnia, falsàq; veris confundit. Quî enim poterant illico Pannoniorum deſerta pererrare populi, qui è Scythia prodibant? Paulò curatiùs, & planiùs Luitprandus Cremonenſis Antiſtes (*Hiſtor. de rebus Europ. L. I. Cap. V.*) rem, utpote ſuo ævo geſtam exponit, ſimúlq; cauſam affert adventûs Ungarorum. Cùm, inquit, Arnulphus apud ſeptentrionales gentes potens imperii Zwentebaldum, Moravorum Principem, aſſiduò in armorum tractatione verſantem pertimeſceret, ſibiq; diffideret, apertis quibuſdam clauſtris (auctor *cluſas* vocat) Ungarorum gentem præferocem, avidiſſimam prædationis, diviniq; cultûs expertem, auxilio vocavit. *Si tamen* (Luitprandi verba ſunt) *auxilium dici poteſt, quod paulò poſt eo moriente tum genti ſuæ, tum ceteris in meridie, occasúq; degentibus*

*Luitprandi narratio de eodem adventu.*

*Arnulphus R. evocat è Patria Ungaros.*

*bus nationibus grave periculum, imò excidium fuit. Quid igitur? Zwentibaldus vincitur, ſubjugatur, fit tributarius, ſed Domino ſolus. O cæcam Arnulphi R. regnandi cupiditatem! O infelicem amarúmq; diem! Unius hominis dejectio, fit totius Europæ contritio.* Addere verò illum oportebat, Deo ita viſum fuiſſe, ad caſtigandos mortales, ùt ſcribit Aventinus, parum & ipſe pius, ea tempeſtate ſceleribus coopertos. Addit Luitprandus, ſubacto Zwentebaldo rerum potitum eſſe Arnulphũ; Ungaros verò obſervâſſe, quem exitum illius res eſſent habituræ, cunctáq; oculis perluſtrâſſe. Intelligi nequit, quid per clauſtra ſignificare voluerit auctor, niſi ſi id eſt, quod ſuſpicor, nempe varios montes, ſilvas, lacus, & flumina, quæ moram adventantibus Ungaris, & impedimentum inferebant, illum denotâſſe. Sigebertus quoq; putavit, Ungaros clauſtris quibuſdam ità conſtrictos fuiſſe, ut neq; ad partes meridianas, neq; ad occidentales ſe effundere potuerint: per

*An clauſtra quadã aut viam Ungaris aperuerit Arnulphus?*

per Arnulphũ autẽ ea demum rupta fuiſſe, & agmina Ungarorũ emiſſa. At enim nugæ ſunt hæ. quãdo nullam militarẽ manũ in Scythiã Aſiaticã miſit Arnulphus, neq; machinamenta quædã eò promovit, quibus impedimenta illa ſuſtuliſſet. Joañes Aventinus (*Annalium Bojor. Lib. IV.*) anno Chr. IↃCCCLXXXIX. refert, Ugros ſuâ lingvâ Magaros (*Magyarok*) Rege Cuſſale ex maxima Roxolanorum provincia Scythiæ Sarmatiæq; Aſiaticæ tranſito Tanai in Europæam Sarmatiam veniſſe: inde tres annos magnæ Germaniæ, quæ in orientem patet, Sarmatiæq; utriuſq; fines peragrâſſe, rapto, venatu, piſcatu, victum in locis ſolis quæritâſſe: quarto demum anno ſtatas ab Arnulpho ſedes impetrâſſe: tum Daciam ultra Tibiſcum amnem, quæ cum Danubio ad Eurum vergit, invaſiſſe, Avaros atq; Hunnos exſcidiſſe, deleviſſe. Avarorúmq; atq; Hunnorum nomen in Europa tunc interiiſſe. Verùm plura peccavit. Nam primùm quidem præpoſterè Roxola-

*Aventini narratio de Ungarorũ adventu.*

*Aventini Errores.*

xolanos exiſtimavit eſſe Moſchos; alioquin ex partibus ultra Tanaim porrectis Ungari non erupiſſent. Roxolanorum enim perpetuæ ſedes fuerunt cis Tanaim & Mæotin. Magna deinde Germania, per cujus agros triennium vagi palabantur Ungari, ſeptentrioni ſubjacet, non orienti. Perſpicuum præterea eſt, Arnulphum non potuiſſe concedere ſedes Ungaris in ea terra, quæ in ditione ejus non erat. Quid igitur? Ipſi Ungari ſibi eam contribuerunt. De excidio denique Hunnorum, & Avarorum tacent Græci, homines & viciniores Daciæ, & ſuopte ingenio loquaciores. Imò verò tantum abeſt, ut ab Ungaris Avari occidione occiſi fuerint, ut ab iis appellationem Avarorum acceperint. Apertè enim id tradunt Añales Fuldenſes; quorum ſcriptor ſub adventum Ungarorum vixerit. Verba autem ejus ſunt: anno IƆCCCXCV. *Græci cum Avaris, qui dicuntur Ungarii, pacem fecerunt.* Et ſic conſequentibus annis iidem Annales ſemel iterúmq;

*Hunnoavares non ſunt ab Hungaris deleti.*

lo-

loqvuntur. Ipſe Aventinus Ungaris Ugrorum vocabulum tribuit: quare ſuccurrere ei poterat, à vetuſtioribus quibuſdam hiſtoricis eoſdem populos vocari Unoguros, quos alii, Hunnos nuncupant. At de hac controverſia ſatis. Franciſcus Otrocotſius ſolerter ſanè in *Originibus* animadvertit, ab Arnulpho R. in Zwentibaldum citatos eſſe Hunnoavares; qui à cognatis ſuis Juhriam incolentibus, auxilia eflagitârint. Ipſi enim jam dudum poſitis armis agriculturæ vacabant, nec viribus ſuis valde confidebant. Conſentaneum proinde eſt, Hunnoavares, qui inter Carnuntum & Sabariam, alibiq; ſedes à Carolo M. in Pannonia impetrarânt, à Sventopulchro attritos facilè ab Arnulpho induci potuiſſe, ut gentiles ſuos undelibet accerſerent. Ipſa deniq; res poſtulabat, ut nuncii, quos ad Ungaros Arnulphus miſerat, Ungaricam lingvam callerent. De ſeptem ducibus gentis peregre advenientis neq; hoc tempore, neq; poſtea, cùm Pannoniam

*Arnulphus in advocandis Ungaris Hunnoavarum operâ uſus.*

*Septem duces Ungarorum.*

niam habitatoribus ferè vacuã implevit, quidquam apud antiquos inveneris. Non eſt tamen Annalibus patriis omnis fides abroganda, quia ea res per manus tradi poterat, & multorum ſermonibus jactari ævo auctoris, qui Annales illos vivente D. Stephano R. inchoaverat. Et ſanè neceſſe erat, ut tam copioſæ nationi plures præeſſent, & pro illius more jus dicerent. Veruntamen quid de his ducibus deniq; ſtatuam, aliàs expromo. Omitto Æneam Sylvium, Sigismundum Herberſteinium, Alexandrum Gvagninum, Paulum Oderbonium, nonnullóſq; alios; qui de Ungarorum ortu, egreſſúq; aliqua literis mandaverunt, ſed pauca certo judicio ponderaverunt.

*Scriptores minùs idonei de Ungarorum ortu &c.*

# CAPUT II.

## *De geſtis Ungarorum uſq; ad finem Arnulphi R.*

HUnnoavarum ſocii ergo longo itinere feſſi tres propè annos corpora curabant, & vi-

& vires ſuas potentiámq; eminus oſtendebant. Inde año ıɔccccxcıı. Arnulpho auxilio fuêre. Annales Fuldenſes (*Tom. II. ſcrip. Hiſt. Franc.*) narrant, Regem illum victorem in Alemania Natali Chriſti Ulmæ acto ad partes orientis contendiſſe, exiſtimâſséq; , Zventibaldum ſuis conatibus occurſurum. At is ignarus, quæ faba in ſe cuderetur, & ſecurus ſui, nullos milites ſcripſiſſe, vel ſub ſignis habuiſſe videtur. Cùm enim Arnulphus ſignificâſſet Ungaris, ſe in procinctu ſtare: illi à partibus Tibiſci ; ipſe verò à partibus Germaniæ , collecto ex Francis, Bojis, Alemanis exercitu menſe Julio in provincias Zventibaldi irrupit, quatuor hebdomades cuncta dirripuit, tecta uſſit, aliáq; hoſtilia fecit. Sic ferè Annales illi. Sed ne fortè ſuſpecta ſubleſtáq; videatur cuiquam rei geſtæ expoſitio, en ſcriptoris verba: *Rex* ( Arnulphus ) *de Francia cum victoria in Alemannia, Curte Regia Ulma honorificè Natalem Domini celebravit. Inde orientem proficiſcitur, ſperans ibi Zventibal-*

*Arnulph9 R. cum Ungaris opprimit Svatoplugum.*

*tibaldum Ducem obvium habere. Rex aſſumptis ſecum Francis, Bojoariis, Alemannis menſe Julio Maravam venit. Ibi per quatuor hebdomadas cum tanta multitudine, Ungaris etiam ibidem ad ſe cum expeditione venientibus omnem illam regionem, incendio devaſtandam, verſabatur. Sic auctor ille.* Ignibus igitur oppugnabatur caput Moravorũ Principis. De prælio verò, quod vel ad Budam, vel ad amnem Granum cum Hungaris commiſiſſet, victúſq; ex eo diſceſſiſſet Svatoplugus, meritò ambigi poteſt. Attamen albus eqvus, & reliqua in ſignum occupandæ terræ dona, ſvaſoribus quoq; Sclavis, Quadorum poſteris, dominatum Moravorum ægrè ſuſtinentibus, mitti ei antea potuêre. Atq; hac incurſione ac populatione bellum Moravicum confectum eſt. Svatoplugus in tanta fortunæ procella tenuerit ſe Velehradii, aut in munito quodam caſtello, dum ad pactionem neceſſariam accederet. Nemo ſatis in mundo potens, omnibus fortunæ rota pertimeſcenda. Eo anno

no Ungari non conſtiterunt in regione Sclavorum ſive Jazygum Metanaſtarum, ſed confectis Arnulphi mandatis in Daciam reverterunt. Calamitate ergo tanta detumuit arrogantia Sventopulchri, & confidentia compreſſa. Arnulphus namq; non modò maleficium illius graviter vindicavit, ſed rurſus vectigalem ſibi fecit, atq; in ordinem hominem coëgit. Ne verò deſidiæ ſe dederent Ungari, quin magis magisq; arma exercerent, atq; acuerent, Chriſtiani Principes illis in perniciem ſuam, ſuorúmq; occaſionem belligerandi dederunt. Anno quippe poſtero funeſtiſſimo arcerrimoq; juxta Græcorum, & Bulgarorum bello, quod plures annos trahebatur, impliciti ſunt. Henricus Spondanus ratus eſt, Turcas & Hunnos geminas gentes ad bellum illud gerendum à Græcis accitas eſſe, ſed Cedrenus more ſuo modò Turcos, modò Ungros eoſdem populos nuncupat. Sic autem rem percenſet: Cùm Leo Imp. filius Baſilii, accepta à Bulgaris clade, &

*Ungari redeunt in Daciam.*

*Svatoplugus ſubactus.*

*Chriſtiani dant occaſionem bellandi Ungaris.*

*Ungari evocati à Leone Imper. Bulgariam vaſtant, & vincunt Bulgaros.*

contumelia quadam cuperet dolorem juſtâ ultione explere, miſit trans Iſtrum Nicetam Patricium ad Turcos, ut trajecto amne ipſi ſuppetias adverſus Simeonẽ Bulgarorum Regem ferrent; quod datis obſidibus continuò Ungri ſe facturos ſpoponderunt. Latuerit Græcum artificium Simeonem, qui tum exercitum ducebat in Phocã, Græcarum copiarum præfectum. Ungari interim transmiſſo celeriter Iſtro regionem ejus populari atq; evertere. Comperto maleficio atque hoſtilitate Simeon Phocam perſequi deſtitit, & in Ungaros movit; cum quibus acie congreſſus terga vertit. Hucuſq; Cedrenus.

*Svatoplugus obit.* Sub idem tempus naturæ conceſſit Sventopulcher; de quo Rhegino in rebus anni IↃCCCXCIIII. *Circa hæc tempora Zundibolch Rex Marahenſium Sclavorum, vir inter ſuos prudentiſſimus, & ingenio callidiſſimus diem clauſit extremum. Cujus regnum filii ejus pauco tempore infeliciter tenuerunt, Ungaris omnia uſq; ad ſolũ depopulantibus.* Iſto modo ſcriptor ille, hyper-

hyperbolicè in extremis. Quod Sventopulcher à fortuna meliore deſertus, in ſolitudinem ſeceſſerit, prodiderunt aliqui, ſed ſinè veterum teſtimonio. Extat epiſtola, quâ unus filiorũ ejus orabat quendam Pontificem Max. adhuc ut liceret in ſacris ſacerdotibus Sclavis uti ſermone Sclavonico, ſed nihil eſt preci loci relictum. Hinc forſitan irâ incenſus, Methodio ſacrificanti, & omnia Latinè efferenti, alapam incutere voluit. Ruſſis tamen Polonis obnoxiis, multis poſt ſeculis ſeſe Romanæ Eccleſiæ adjungẽtibus facta eſt poteſtas in operationibus ſacris ſermonis illius retinendi. Nequaquam verò, ùt ipſi rebantur, ſermonem eundem à D. Hieronymo acceperunt. In Polonia deniq; uſus illius per neglectionem ceſſâſſe videtur. Adhuc enim circa annum CIƆIƆ. in ſuburbio Cracovienſi Sacerdos quidam eo divinis operabatur. Sed ad Ungaros revertendum. Unum añum quietem cepiſſe videntur, anno verò IƆCCCXCV. fœdus, ut notant An-

*Lingvæ Sclavonicæ uſus in ſacris ſublatus apud Bohemos, Moravos, & vicinos his Sclavos.*

*Ejuſdem lingvæ uſus Ruſſis in rebus divinis permiſſus.*

*Ungari fœdus faciunt cum Græcis, Bulgaros diſſipant.*

nales Fuldenſes, ſanxerunt cum Græcis; quo cognito Bulgari uſq; ad portam Conſtantinopolitanam omnia vertendo excurrerunt. Græci aſtutiâ ſuâ uſi, Avaris (verbum ſcriptoris eſt) naves ſuppeditârunt; quibus transvecti Bulgaros ſinè ordinibus ſparſos aggreſſi, nullo negotio fuderunt. Victoribus Græci, ut refert Sigebertus, anno poſtero non tam præmia largiri, quàm ſtipendia numerare coacti ſunt. Eodem anno Arnulphus R. Germaniæ Romam obſedit, eámq; connivente, imò volente Formoſo Papa ſeu ductu, ſeu fuga leporis cepit. Ubi poſtquam de ſeditioſis quibuſdam civibus extremum ſupplicium ſumpſit, Formoſus illi Imperatorium diadema impoſuit. Apud Eccleſiaſticos ſcriptores nullo numero eſt, quia Wido legitimè ante illum creatus Imperator cum filio Lamberto, ſucceſſore deſignato, vivebat. Stant tamen Germani conſtanter ab Arnulpho. Ungari de eo præclarè meriti præmia laboris poſtulabant & expectabant; ipſe

*Ungaris Græci vectigales.*

*Arnulphus Romam capit.*

*Ungaros non remunerat.*

ipſe verò verba illis dabat. Compreſſerunt tamen ſe tantiſper, dum ſpiravit ingratus, ut quidam exiſtimat, Princeps. Obſidens arcem Camerinenſem ex infuſo, artificio, & ſutela matris Lamberti, veneno, gravi lethargo oppreſſus per duos annos variis morbis langvebat, conſumtus deniq; à pedibus ıↄcccxcix. III. Calend. Decembris. Nunquam non timendus eſt hoſtis, & rivalis etiam armis circumcluſus; ſed multò magis mulieres conſiliorum adjutrices.

# CAPUT III.

## *De geſtis Ungarorum ab anno* ıↄcccc. *ad* ıↄcccciiii.

ANno ıↄcccc. ut auctor eſt Luitprandus (*Lib. II. Cap. I.*) Germani prodidêre Regem Ludovicum, Arnulphi filiũ; ab Ungaris verò tubæ cecinêre. Non enim latere eos potuit ubiq; ſparſus de morte Arnulphi rumor. Igitur primo regni Ludovici illius anno, contractis maximis copiis

*Ungari auditâ morte Arnulphi effundunt furorem in Bavaros.*

primùm in finitimos Sclavos ſeu invadunt, ſeu ab iis ipſis, quod ad veritatem propius accedit, evocantur; deinde totis Moraviæ percurſant finibus; poſtremò in Bavaricæ ditionis terras illapſi, caſtella, templa exurunt, diruúntq;; oppida exſcindunt atq; evertunt; ad incutiendum maximum Chriſtianis terrorem, quod dictu quoque horribile eſt, interfectorum ſangvinem potant. Quales potiones in deliciis habebant Scythæ? Tam celeriter porrò volitabant, ut famam adventûs ſui præverterent, multóſq; altè dormientes æternùm ſopirent. Ludovicus R. tantis malis experrectus tumultuarium conflavit exercitum, & aliquamdiu proſperè manū cum hoſtibus conſeruit. At illi, cùm aperto Marte ſe parum efficere cernerent, locatis in abditis locis agminibus inſidias ſtruxêre. Tum alæ illæ equitum, quæ prælium miſcebant, gradum referentes, fugámq; ſimulantes, Germanos inſtantes ad robur corpúſq; ſociorum pertraxerunt. Cincti,

*Circumveniunt per inſidias Ludovici R. exercitum.*

cti, illico plurimi ceciderunt; ceteri, in quibus Rex Ludovicus erat, fugã fecerunt. Victores non menſis, ſed cadaveribus accubuerunt. Inde in Francos, & Svevos irruperunt. Hæc aliáq; plura multò fuſiùs dolentiúſq; ipſe Luitprandus perſequitur. Interjectis quibuſdam annis, pergit idem ſcriptor, Ungari nequid in Auſtralibus, & occiduis partibus intactum relinquerent, in Italos incurrerunt, conciſo maximo Berengarii R. exercitu: nec priùs pedem referre cogitabant, quàm ei Regi, & civitatibus multam pecuniã imperâſſent. Rhegino (*Chron. Lib. II.*) caſum hunc Galliæ Ciſſalpinæ incidiſſe anno, qui vaſtationem Bavariæ conſecutus eſt. *Anno*, inquit, *Dominicæ Incarnationis* 901. *gens Ungarorum Longobardorum fines ingreſſa cædibus, incendiis ac rapinis crudeliter cuncta devaſtat.* Narrat deinde interitum Præſulum, illuſtrium virorum, & multitudinis ſagittis confixæ. Non tamen eo, ſed altero anno è finibus illius regionis Ungaros exceſſiſſe ex

*Sæviunt in Francos & Svevos.*

*Italiæ R. exercitum conterunt; numis ex Italia amoventur.*

*Appen-*

*Appendice* Sigonii colligitur. Quãobrem plures hujus incurſûs rationem cum rebus anno ıↄccccıı. geſtis pertractant. Antequam depopulationem vaſtitatémq; regnis illis intuliſſent, cum Sclavis Moravam, Vagum, Nitram ceteroſq; amnes uſq; ad Tibiſcum accolentibus ſocietatem coiverunt, acceptis ad habitandum, ut mox docebo, pl nioribus Ungariæ tractibus, qui ad Danubium pertinent. Extat epiſtola pervulgata Theothmari, vel Deotmari Archiepiſcopi Juvavienſis, Richarii Patavienſis, triúmq; minoris faſtigii Antiſtitum, & multorum ſacerdotum, populiq; Bavarici, data ad Joannem IX. Pontificem Max. poſt vaſtatam ab Ungaris Italiam, unde plura cognoſci poſſunt, quæ ad libri hujus inſtitutum faciant. Significârunt per eam Bavari ſummo illi ſacrorum curatori, tres Præſules ab ipſo miſſos veniſſe in terram Sclavorum, qui Moravi dicuntur; in qua quidem terra ſumma imperii ad Bavaros reſpiceret, quia Reges ipſorum eam ſibi

*Recipiuntur à Sclavis Quadorum progenie.*

*Epiſtola ad Joannem IX. PP. data quadam capita.*

*Germania RR. ſubegerant Moraviam, & vicinam Sclavorum regionem.*

ſibi ſubjecerant, Antiſtites verò Patavienſes gentem Chriſtianæ religionis præceptis inſtituerant. Quã-obrem Patavienſi Antiſtiti ex eo tempore, quo Moravi Chriſto ſe dediderunt, liberum erat in regionem eorum ſe trajicere, & conventus ſacros agere, donec Sclavi Chriſtianos odiſſe ac bello perſequi inſtituiſſent. Nunc deniq;, quod incredibile memoratu videatur, Moravos jactare, nummis ſe effeciſſe, ut Antiſtites illi in teram ipſorum venirent, & unum Sacerdotium Patavienſe in quinq; contra ſcita *Eccleſiaſtica* dividerent. Siquidem Antiſtites illi Romani apud eos jam conſecraverunt unum *Archimyſtam*, trésq; Præſules inſcientibus Pontificibus Juvavienſi & Patavienſi. Non diffitentur, ſe Wichingũ pontificatu Patavienſi ob eam cauſam moviſſe, quia ad novitiam Chriſtianam gentem, quam Zventibaldus ſubegerat, miſſus erat. Oblatam à Sclavis criminationem, quòd cum Francis, & Alemanis diſſenſerunt, negando depellunt. Cur Arnulphus

*Revocantur incurſiones Sventopulchri.*

*Epiſcopi quatuor apud Sclavos Moravicos & contermimos.*

*Arnulphus pugnavit contra eos Sclavos, quia nolebant ipſi tributum pendere.*

phus eos domuerit, cauſam fuiſſe ajunt, exactionem capitum, imperii detrectationem. In eo valde gloriantur, quòd Regis Ludovici majores Imperatores, Regésq; Chriſtianiſſima Francorum gente editi fuerint, Sclavi verò Moravi ex hominibus, qui verum Deum vel oderant, vel ignoraverant, orti.

*Bavari purgant ſe de objectis.*

Pòſt obterunt alteram eorum calumniam, inficiántúrq;, ad conficiendam cum Ungaris pacem aliquam ſe per canem, vel lupum aliásve res nefandas, & obſcœnas juráſſe; ſimul & illud negant, quòd pecuniâ Ungaros corruperint, atq; auctores illis fuerint, ut in Italiam excurrerent: confitentur autem ad avertendam à cervicibus ſuis peſtem, ſe vilia quædã veſtimenta ſemel atq; iterum eis dediſſe. Poſtremò plura in Sclavos illos regerunt convitia, narratione quidem incompta atq; horrida, quia tamen ea magni momenti argumentum continet, & ad veritatem patefaciendam, jurgiáq;, quæ inter Ungaros, Sclavóſq; conterraneos amicè jactan-

ctantur, dirimenda plurimum valet, ipſorum verbis, & ſententiis profertur, quæ ejuſmodi ſunt: *Ipſi Sclavi crimen, quod nobis falsò ſemel impoſuerunt, multis annis peregerunt. Ipſi Ungarorum non modicam multitudinem ad ſe ſumpſerunt, & more eorum, capita ſuorum pſeudochriſtianorum penitus detonderunt, & ſuper noſtros Chriſtianos immiſerunt: atq; ipſi ſupervenerunt, & alios captivos duxerunt, alios occiderunt, alios peſſima carcerum fame, & ſiti perdiderunt, innumeros verò exilio deputaverunt, & nobiles viros ac honeſtas mulieres in ſervitium redegerunt, Eccleſias Dei incenderunt; ità ut in tota Pannonia noſtra maxima provincia, tantùm una non appareat Eccleſia, prout Epiſcopi à vobis deſtinati, ſi fateri volunt, enarrare poſſunt, quantos dies tranſierint, & totam terram deſolatam viderint. Quando verò Ungaros Italiam intrâſſe comperimus, pacificari cum eiſdem Sclavis, teſte communi Deo, multum deſideravimus, promittentes eis propter Dominum omnipotentem ad profectum indulgere omnia mala, contra nos noſtréſq; facta, & omnia redde-*

*Sclavi, qui in terram ſuam Ungaros admiſerunt, capita more eorum raſerunt.*

*Iidem ſaviſſimi in Pannoniæ incolas cum Moravis.*

*Ungarorũ irruptio prima in Italiam.*

*reddere, quæ de ſuis noſtros conſtaret habere: quatenus ex illis ſecuros nos facerent, & tamdiu ſpatium darent, quamdiu Longobardiam nobis intrare, & res S. Petri defendere, populúmq; Chriſtianum divino adjutorio redimere liceret; & nec ipſum ab eis obtinere potuimus. Et poſt tanta maleficia habent beneficia, & ſunt falſi accuſatores, qui ſemper fuêre Chriſtianorum perſecutores.* Hactenus Bavarorum lamentatio, & narratio; ex qua non modò colligitur, ſed conficitur primùm, Sclavos illos non fuiſſe malè ab Ungaris tractatos, imò verò felici fortuna uſos: deinde, cùm ea epiſtola conſcripta fuit, Ungaros nondum ſedes collocâſſe in Pannonia: poſtremò, quod caput eſt, objecta illa non omnia convenire Moravis: hi enim nullas Ungaris conceſsêre ſedes; neq; capita perinde atq; Ungari radere conſveverunt. Receperunt itaq; Ungaros hoſpitio Sclavi illi, quos ſupra deſcripſi. Octingentis jam annis in utraq; fortuna ſocii utriq; populi. Stant unà labántq;. Non pauci poſtea ex poſteris

ſteris gentis nobilitate ornati, opibúſq; aucti parentes extiterunt familiarum & copioſarum, & hodie perantiquarum; quæ quidem non minùs patriæ præſtant, quàm debent. Valent enim conſilio, juris interpretandi dicundiq; facultate. Sinè illis frigent fora, algent curiæ. Infimi nationis coloni, & aratores laborioſiſſimi, herorum obſervantiſſimi. Cum ceteris quoq; Borealibus Sclavis pacem dehinc coluerunt Ungari. Nuſquam enim memoriâ proditum eſt, inter eos Polonos, Ruſſos, & Bulgaros hoſtilitatem quampiam poſterioribus annis interceſſiſſe. Bohemis, ùt poſteriùs videbimus, duos trésve annos Moravis juncti inſidias moliebantur. Quòd verò Moravis, ùt ipſorum hiſtorici tradunt, quandoq; arma intulerint, id propter limites faciebant, inſtigantibus conterminis Sclavis, gente à Moravorum ritibus, moribus, ratione loquendi multum diſcrepante. Hæc enim antiquos Moravorum fines probè noverat. Denique obtinuêre eos

*Ungarorũ bella ſub adventum cum Moravis.*

plenè Ungari anno ıɔccccxlvii. cæſo exercitu Moravorum ſub duce Olgo Ruſſo, & rurſus poſt biennium. Olgus deſperatis rebus ſolum vertit, Moravia undiq; acciſa. Fuerunt inſuper Hungari genti illi interdum pernicioſi, cùm in Miſniam ac Saxoniam infeſti procurrerent. Utebantur enim licentiore illa diſciplina Scythica, & ſinè maleficentia per provincias iter facere ignorabant. At enim comune eſt hoc vitium militū, niſi Præfecti advigilent. Sed, ut ad epiſtolam redeam, eam inſcriptam fuiſſe Joanni IX. & poſt vaſtatam primò ab Ungaris Italiam conſcriptam, nemo prudens inficias ierit. Igitur ſumus ille Eccleſiæ rector non conceſſit fato anno ıɔcccc. quomodo jam nonnulli, ſicut obfirmatè, ità perperam ſentiunt. Joannes Georg. Stredovius quædam ex eadem epiſtola decerpens, ſuiſq; rebus accomodans, retur, ſcriptam fuiſſe adverſus Methodium, eiq; adjunctos Antiſtites, quos *Suffraganeos* vocant. Perſpicuum eſt, ſcriptam

*Epiſtola à Bavaris ad Joannem IX quando data?*

ptam fuiſſe, maximè propter plura pontificalia ſacerdotia in partibus illis Sclavonicis conſtituta. At hæc conſtitutio non erat nova, utpote auctoritate ſummorum Eccleſiæ præſidum jam dudum firmata. Divum Methodium eo tempore aut exceſſiſſe, aut officio renunciâſſe velinde cogitur, quòd nuncii illi Pontificii, ut cum Bavaris, & Eccleſia loquar, Archiepiſcopum in partibus illis Sclavonicis ordinaverunt; quod minimè feciſſent, ſi Methodius vel præſens fuiſſet, vel munus ſuum retinuiſſet. Neque quicquam ſvadet, ut verbum ordino hic idem valeat, quod ſtabilio, ùt contendit Stredovius. Nitrienſes, quibus Eugenius II. PP. Præſulem dederat, non omnino novelli Chriſtiani fuerunt. Neq; ſimile vero eſt, à Zventibaldo primùm gentem, quæ Nitram amnem accolebat, ſubactam eſſe: utpote, qui Eugenii illius ævo puer eſſe poterat, non autem dux. Expulſis Bavaris dominatum inſtauraverit. Illud pro vero conſtat, Moravos

*Ob quam præcipuè cauſam.*

*Sclavi Nitra fluvii accolæ quãdo à Moravis domitii*

*Sclavi Moravi vectigales Germanis.*

grande vectigal pependiſſe Ludovico, Carolomanno, & aliquamdiu Arnulpho, maximè verò, ut notârunt *Annales Fuldenſes*, anno ɪↄcccLXXXIIII. quo Zwentibaldus jugũ exuit. Richarius deniq; Pontifex Patavienſis primas dedit Theothmaro Saliſburgenſi neſciens in futurum providere. At reſtituit rem Piligrinus. Hæc dictavit epiſtola. Lazius ( *in Vienn. Auſtr. Lib. II.* ) ex vetuſto codice anno ᴄɪↄ. ſcripto depromit, Radfridum fuiſſe Fabianenſem, & Vigennenſem Præſulem ſummo Pontifice Leone V. eóq; tempore Hunnoavares tertiò à Christiana religione deſciviſſe, séq; Ungarorum ſuæ originis populorum ſuperſtitione infeciſſe. Præfuit autem Leo V. Eccleſiæ, anno ɪↄccccvɪɪ. quadraginta non ampliùs dies. Multa de motibus primis Ungarorum recenſet Aventinus: memorabile illud, cùm per Aquilonare Danubii latus, uſq; ad oſtium fluvii Anaſſi prædabundi excurriſſent, à Luitpoldo præfecto militari in fugam conjectos, & uſq; ad

*Hunnoavares repudiârunt Christiana ſacra.*

ad Poſonium repulſos fuiſſe; Cuſſalem verò Regem ad amnem Auſtriæ Fiſcham dimicantem cecidiſſe; reſumptis tamen viribus duo Reges, Durſacium, & Bugothum dixiſſe, ac Pannoniam, variis colonis habitatam, Bavaris eripuiſſe anno CIↃCCCCVII. Vera quidem narrat, at præpoſterè. Qui enim continuavit Chronica Rheginonis, ſcriptum reliquit, eo anno *Bavaros cum Ungaris congreſſos multa cæde proſtratos fuiſſe*: anno ſequenti ſucceſſu elatos Ungaros Saxoniam, & Thuringiam vaſtâſſe, tertio in Alemaniam irrupiſſe: anno verò CIↃCCCCXII. (quo deceſſit Ludovicus ultimus ex Caroli M. ſtirpe Rex Germaniæ) Franciam, & Thuringiam populatos fuiſſe: deniq; anno poſtero à Bavaris & Alemanis cæſos eſſe. Verba ejus ſunt: *Anno Domini 913. Ungari partes Alemaniæ vaſtaverunt, & juxta In fluvium à Bavaris, & Alemanis occiſi ſunt.* Ex narratione Aventini, poſſet quis arguere, In fluvium eſſe Onaſum, ſive Anaſſum, ſed Oenum eſſe evidens eſt &

*Cuſſal Rex Ung. in prælio oppetit.*

*Durſacius & Bogotus creantur Reges Ungarorum.*

*Ungari cæſi.*

perſpicuum. Eo itaq; anno Cuſſal Rex interfectus fuerit, & duo alii in locum occiſi ſublecti. In prælio año ıↄccccvii. pugnato, quod tres dies menſe Auguſto tenuit, multi excellentes viri mortem occubuerunt; in quibus præcipui fuerunt, Luipoldus Dux, præfectus finium, & Theodmarus, Archiepiſcopus Salisburgenſis. Anno verò ıↄcccc-vii. receptâ Pannoniâ juſſu Regis Arpadus dux in tractu Albæ Regalis, Verbecius (*Verböcz*) in agro circumjacente lacui Balatoni, Eurſus (*ůrs*) in ora Savienſi ſtationes egerint: nam Cundus (*Kund*) & Sabolchus (*Szabolts*) ad Tibiſcum, Lehel ad Galgocium, Jula (*Gyula*) ad Iſtrum jam dudum conſidere poterant. Nomina hæc ex animis Hungarorum evelli nequeunt. De his narrant ſenes juvenésque. Olim haud dubiè facta eorum ad tibias canebantur. Affirmántq; opinionem per nationem fuſam hiſtorici de duobus commemorantes. Per eos annos Ungari, ùt dixi, cum Moravis modò omnia communia, modò

*Ungari occupant Pannoniam.*

dò hoſtilia habebāt, occiſo in quodam congreſſu Mogemiro tractûs Nitrienſis cuſtode & domino. Frater hujus Svatobogius, Moravorum Princeps ad omnem quidem pietatem à puero formatus, ſed animo ſuo nimis obſequens (ùt fertur) licenter ac perditè adoleſcentiā traducebat; adeò pertinax conſilii, nullis ut cohortationibus adduci potuerit, uti ſe ad frugem reciperet. Subitò verò ſpiritu divino afflatus, aulam, opes, honores, delicias, ſimul & curas deſerens omnibus etiam intimis inſciis in ſolitudinem ſeceſſit. Mons vaſtus, & ſaltuoſus à meridie, & ortu ſolis imminet Nitriæ, arci & oppido. Ad hujus umbilicum ſeu ex deſtinato, ſeu caſu delatus, tres viros ſolitariam vitam agentes reperit; quibus ſe ſocium adjunxit. Brevi factus cupiditatum dominus, quarū ſervus fuerat. Vitam herbis, & pomis, quæ ſilva ferebat, ſuſtinens rebus divinis aſſiduus vacabat. Sic nulli, niſi convictoribus cognitus annos

*Mogemiro filius Svatoplugi caſus.*

*Svatobogius corruptè vivens primùm, deinde fit eremita.*

*Piè moritur.*

años quindecim in ſolitudine exegit, debitúmq; naturæ año ɪↄcccccxxv. perſolvit. Tum ſocii nomen, genus, amplitudinem ejus evulgaverunt. Confluxit multitudo ad exanimum. Non venerata Principem, ſed ſervum Dei. Conſecutus eſt ſepulchri honorem in æde D. Emerammi. Memoriam ejus ad V. Idus Martii Ordin. Benedictini *Menologium* his verbis recolit: *In finibus Ungariæ depoſitio ſancti Svatocopii Regis Moraviæ.* Locus, quem incoluerat, illico venerationi eſſe cœpit, & ab hominibus contemplationi deditis celebrari. Mons quondam Zobur, hodie Zobor dicitur. Hæc in tranſitu haud inutiliter perſtrinxerim. Magnorum enim exēpla ad magna provocant. Res ſuas gerentibus Ungaris, nec Bulgari otio langvebant. Anno ſiquidem ɪↄccccxɪɪɪɪ. Simeon eorum Rex Conſtantinopolim obſedit, ac ab ea quidem urbe receſſit, ſed cunctam Thraciã infeſtavit, & Hadrianapolitanos malè multavit.

*Habetur pro ſancto.*

*Zobur mons ad Nitriam.*

*Bulgari infeſtant Græcos.*

CA-

# CAPUT IV.

## *De cladibus per Ungaros exteris gentibus illatis, & viciſſim acceptis ab anno* IↃCCCCCXV. *ad* IↃCCCCLIIII.

BRevi hoc argumentum, ùt res ſe dabant, pertigêre chronici. Ungari enim prædæ potiùs, quàm bello ſe accingebant, modò hanc, modò illam nationem ex improviſo opprimentes, quandóq; & ipſi ferro obruti. Año itaq; IↃCCCCXV. ùt in *Continuatione* Rheginonis reperitur, Alamaniam igni ac ferro vaſtaverunt; ſequenti Thuringiam, & Saxoniam procurrentes ad Fuldenſe progreſſi ſunt: año tertio per Alemaniã, & Alſatiam ad fines Lotharingiæ prædabundi excurrerunt. Hactenus auctor *Continuationis*. Adam verò (*Chron. Lib. XLVI.*) memorat, cùm Saxoniam eo anno populando, templum Bremenſe incendiſſent excuſſis ardore laminis, aut ſcandulis multos circumcurſantes interiiſſe, non paucóſq; ex

*Ungari populantur Alemaniã, Saxoniam, Alſatiam.*

eo agmine à civibus comprehenſos fuiſſe. Anno deinde IↃCCCCXXII. ùt auctor eſt Sigebertus Gemblacenſis in Chronicis, poſtquã Franciam, Alſatiam, Alemaniam, & Saxoniam diripuerunt, ac fœdaverunt, ab Henrico R. Germaniæ juxta urbem Marburgum prælio victi ſunt, non multis acie confligentibus occidioni exemptis. Anno verò IↃCCCCXXIV. Berengarius Imp. viam illis aperuit in Italiam, inſtinctus odio, quod conceperat in Rodulphum Burgundum, Franciæ Regem, à quo anno ſuperiore bello ſuperatus erat. Verùm antequam Ungari vim inferrent Franciæ occaſionem amplexi, Papiam ſive Ticinum, civitatem Italiæ Transpadanæ copioſam, atq; opulentã circumſederunt, oppidúmq; ſuccenſis ignibus conſumpſerunt. Conflagrârunt flammis duo Præſules, Papienſis & Vercellenſis, civésq; omnes extra ducentos; qui ex ruinis urbis in cinerem datis, uti vitam, muróſq; ſervarent, erutos octo argenti modios everſoribus de-

*Profligantur ab Henrico R. Germaniæ.*

*Berengarius Imp. elicit Ungaros cum detrimento Italiæ.*

*Delent ferè Papiam.*

derunt. Deflet caſum patriæ ſuæ Luitprandus qui eum incidiſſe ait in IV. Idus Martii. At Berengarius temeritatis ac flagitii ſui pœnas morte luit. Ungaros inde in Francos impetum feciſſe, ſed à Rudolpho R. & Hugone Viennenſi de loco depulſos eſſe, tradit Flodoardus. Ducem eorum in priore excurſione fuiſſe Salardum, docet auctor *Continuationis* Rheginonis, in eo diſſidens à pluribus chronicis, quòd putet Papiam obſeſſam, & incenſam eſſe anno poſtero. Tum indicat, anno IϽCCCCXXVI. Ungaros totam Franciam, hoc eſt, Franconiam, Alſatiam, Galliam, & Alemaniam incendiis, cædibus, luctu, fletu compleviſſe, attriviſſe. At de vaſtatione Galliæ dubium eſt; ſilent enim de ea patrii ſcriptores. Sed neq; anno IϽCCCCXXXIII. ùt idem auctor notat, tranſito apud Wormatiam Rheno, uſq; ad Oceanum Ungaros provolâſſe, Galliámq; vexâſſe, ac ſpoliâſſe vero ſimile eſt. In Saxonia quippe fregit eorum impetum Henricus R. Germaniæ. Tributi à Saxo-

*Francos fruſtra tentant.*

*Salardus Dux Ungarorum.*

*Repetunt vaſtationes Ungari.*

*Cæduntur rurſus ab Henrico Rege.*

Saxonibus exigendi causâ in eam provinciam venerant año, ùt ſcribit Sigebertus IↃCCCCXXXIIII. Et addit idem ſcriptor, commiſsâ non mediocri certamine pugnâ ubi cæſi, fugatiq; fuerunt, confectam ex ſpoliis pecuniam in ſumptus templorum, ac levamentum egentium erogatam eſſe. Flodoardus verò, quem alii Frodoardũ nuncupant, literis conſignavit, ſena & tricena Ungarorum millia in eo prælio deſiderata eſſe: ſuper hæc plura capta, & flumine hauſta, atq; adeò totum exercitum impedimentis exutum periiſſe. Mutius tamen (*German. Chron. Lib. XII.*) quanquam innumeros interfectos fuiſſe tradit, tamen ad internecionem cæſos, haud ſanè affirmat. Hæc enim inter alia profert: *Exercitus eorum eſt diſſipatus, ut convenire non potuerint uſq; in Ungariam.* Deniq; Witichindus Saxo (*Lib. I. de reb. Saxon.*) percenſet orationem plenam pietatis, quam Henricus R. ante congreſſum dixit ad milites. De cane villatico, auribus caudáq; mutilo,

*Quantus numerus eorum interierit?*

tilo, quem Ungaris tributum exigentibus Rex Henricus dari juſſit, pernegans, ſe genti falſorum numinum cultrici ſoluturum, quis ante Aventinum literis mandaverit, ignoro. Accepta illa calamitate varia Ungaros, & ſaniora agitâſſe conſilia exiſtimat Inchoffer. Verùm nihilo meliores ac manſvetiores facti, audito fine Henrici R. anno IↃCCCCCXXXVII. bipartitò diſtributi, pars in Italos incurrerunt, Campanúmq; agrum diripuerunt; pars in Galliam involârunt. Et hi quidem ingentem cladem nobiliſſimo regno attulerunt; illi verò, ùt auctor eſt Leo Oſtienſis (*L. I. Cap. LVIII.*) à Marſis & Pelignis ex inſidiis circumventi multi interiêre. Inde aliquot annos domi ſe plurimi continuerunt. Magnum proinde eorum numerum anno IↃCCCCXXXIX. à Saxonibus in acie (quod iñuere videtur Sigebertus) interfectum eſſe, non par arbitror. Eo enim anno res erat Saxonibus cum Wigmanno perduelli. Hugo verò Rex Italiæ, ùt tradit Luitprandus (*Hiſt. Lib.*

*Vaſtant Galliam & Italiam; in hac malè accipiuntur.*

*Hugo R. Italia Ungaros à graſſatione pecuniâ avertit.*

*Lib. V. C. VIII.* ) oculata prorſus die emit pacem ab Ungaris, impletis decem præſenti pecunia modiis. Ut verò Saracenos terreret, acceptis obſidibus certum hominem eis adjunxit, qui viam in Hiſpaniam contendentibus com̃onſtraret. Nõ pervenêre tamen in illud regnum inopiâ aquarum; id verò ſecus interpretantes, irâ incitati monſtratorem viæ inflictis vulneribus debilitatum ac contrucidatum in ſolitudinibus deſeruerunt: ipſi verò per fines Italiæ revertebantur. Eam ob rem Hugo cum Saracenis, tum Hiſpaniam non modicam tenentibus, fœdus fecerit. Ceterùm Ungaris redeuntibus ad ultimum res malè ceſſit: ſiquidem vel à Carinthis, vel à Bavaris (diſcrepat enim inter auctores) magnam partem interfecti ſunt anno ꟾↃCCCCXLIIII. Inde aliquamdiu à maleficiis temperavêre. Dum verò ferocis nationis arma ſilent, gloria collidit Pontifices, Juvavienſem & Patavienſem. Ævo Leonis VII. Pontificis Max. jam inter ſe diſſidere cœ-

*Reduces vapulant.*

re cœperant, & Gerhardus Laureacenſis quaſi victor ab eodem Leone pallium Pontificale acceperat. Sedare volebat controverſiam Agapitus II. per literas ad Gerhardum datas circa annum IↃCCCCLVII. Plures eas publicaverunt, inter quos Lazius (*Comment. Reipub. Rom. Lib. XII. Sect. VI. Cap. IX.*) Melchior Inchoffer (*in Annal. anno* IↃCCCCXLVI.) & Editor Conciliorum (*Tom. IX. edit. recent. Paris. añi* CIↃIↃCXCI. Col. IↃCXVIII.) qui ſummam earundem hiſce exponit: *Diſſidium Laureacenſis & Salisburgenſis Agapitus componit, Salisburgenſi occidentalem Pannoniam attribuit; Laureacenſi, utpote antiquiori benedictionis, & Sedis honorem, orientalem Pannoniam, regiones Avarorum, Moravorum, Sclavorum, poteſtatem liberè prædicandi in illis partibus, & Epiſcopos conſtituendi, omniáq; diſponendi atq; ordinandi.* Hactenus Editor. Ea tamen lege ſummus ille Pontifex *Metropoli* dignitate, pallióq; ornaverat Gerhardum, ut cathedram ſuam, domiciliúmq; Laureaci collocaret, quatenus

*Diſſidium Pontificum Laureacenſis & Salisburgenſis.*

*Salisburgenſis & Laureacenſis Præſulum jurisdictionis limites in Pannonia.*

nus per incurſiones hoſtium ipſi licuerit. Plura de iis literis comentatur Inchoffer, quædam etiam infert: eaſdémq; non Gerhardo, ſed ſucceſſori ejus Adalberto redditas fuiſſe arbitratur. Apud Salisburgenſem *Archiepiſcopum* vix ullum pondus habuerint; verùm ad ſcopum maximè pertinuit, oſtendiſſe, quinam fuerint per id tempus vicarii ſummi Eccleſiæ Patris apud Pannonios & Sclavos. De diviſione diœceſium poſtea videro. Illud verò nequaquam reticendum, inde ab anno IↃCCCCVII. maximè quaſſatam fuiſſe ædem, & Sedem Pontificalē Laureacenſem, contrà quàm ſenſit Lazius (*Comment. Reip. Rom. Lib. XII. Sect. VI. Cap. IX.*) qui ruinam ejus *Metropolis* inchoatam fuiſſe opinatur circa añ. IↃCCCCXL. Calamitate verò illa, quam antea ab Hunnis acceperat, levavit eam Carolus Magnus. Sed ad Ungaros revertendum; hi rurſus avidi prædarum, & intolerantes quietis ſæpius victores, prædisq; onuſti, nonnunquam victi, vacuiq;, ac ſinè

*Laureaci ruina maxima quando?*

nè ſarcinis ad ſuos revertebantur. Ut cladem atq; injurias, quas à Bojariis ante biennium reduces acceperant, ultum irent, confecto exercitu vi in vicinum Noricum invaſerunt: at palmam Bavaris dederunt. Hi enim multis jam calamitatibus ad dimicationes docti, ſuperioréq; victoria animati, non modò impetum illorum ſuſtinuerunt, ſed etiam propulſaverunt. Neq; victoria tamen, neq; clades inſignis fuerit. Anno namq; poſtero, qui fuit à Chriſto nato IↃCCCCXLVIII. Ungari, ad gerenda promptiùs bella Toxin Regem creaverunt. Ad Attilam eum genus retuliſſe, aut certè in ejus ſtirpem infuſum fuiſſe, cum ceteris Ungaricis ſcriptoribus putat Inchoffer. Id verò an conſentaneum ſit temporibus, perſonis, & Hunnicæ nationis migrationibus, docti æſtiment. Si enim tres gentis egreſſus ab ultimo principio repetantur, ut Toxis genus ſuum ab Attila ducere potuiſſet, neceſſe erat, illum originem trahere à Chaganis Huñoavarum, & hos ab

*Toxis Rex Ungarorũ.*

*No potuit genus ducere ab Attila.*

ab Attila. Iſtud autem aliter conſieri non potuit, niſi aliquis Attilæ nepos ad Avares in Scythiam transmigrâſſet, & tyrannidem apud eos occupâſſet; cujus poſtea filius nepósve cum gente illa erupiſſet. Abierunt enim anni ab obitu Attilæ ad adventum Avarum amplius centum. Præterea Thuduni alicujus, aut Chajæ R. filius debuiſſet in Juhriam concedere, & imperium apud Ungaros obtinere, indéq; vel ipſe, vel filius ejus cum natione egredi. Aliter enim genealogia conſiſtere non poteſt. Pertexit tamen illam recentior quidam ſcriptor in libro, quem inſcripſit, *Noviſſimam Diætam Nobiliſſimã*, non ignorans reniti Antonium Bonfinium. Ab uſq; Judæo Nemrodo ad Attilam duo & triginta genitores ſinè dubitatione numerat, perinde quaſi de ſacris tripodibus omnes deprõpſiſſet. Nullum nominat, cujus priſci hiſtorici meminiſſent. Papæ, nec Hunnorum originem aſſequimur, & Attilam *cum ſtemmate toto* tam benè novimus, ut in atriis omnium ejus

*Attila majores, & minores commentitii.*

gen-

gentilium imagines ſtatuere poſſimus. Scilicet Boram, & Damam, filium, & nepotem Nemrodi ad memoriam notavit antiquiſſimus *Aboriginum* Rex, Faunus; Chéledum, Cenem, Chéarem, Belérem mater Evandri; ceteros ejuſdem poſteros neſcio quis? Nam nihil de iis Herodotus, nihil Thucydides. Apage has aniles fabellas. Ab Attila deinde uſq; ad Toxim Ducem affert, Chabam, Eduſchum, Vegecũ, Elendum, Almoſchum, Arpadum, (in ſecunda migratione gentis) & Zultanum. Majores hi illius Ducis pro tot ſeculis pauci, auctoritate deſtituti, proinde fabuloſi ſunt. Quid de Chaba cum Otrocotſio ſentiam, jam expoſui; de ceteris nihil habeo dicere. Miſſis igitur antiquioribus, de quibus nihil certi ſtatui poteſt, Toxim fuiſſe nepotem Cuſſalis R. filium verò Durſacii, aut Bugothi, aut deniq; Salardi veritati proximum eſt. At de regibus iſtis nihil Inchoffero, nihil Bonfinio conſtiterit. Toxis igitur rerum potitus, anno IↃCCCCXLIX.

in expeditionem exercitum eduxit, Italiámq; petivit. Berengarius tyrannus metu perterritus, Hugonẽ imitatus decem modiis ſignati æris vitam populorum redemit. Pecuniam autem, utpote nolens à ſe ſolvere, non ex ærario, ſed ex ſacrariis ac zonis tenuium hominum deprompſit. Superans æs majore ſcelere ad ſe vertit. Quas ob res non modò in Luitprandi hiſtorici, ſed in nationis univerſæ odia incurrit. Toxis verò bene numatus in Pannoniam rediit. Eo ipſo anno, ut ſcribit Adam (*Lib. II. Bapt. II. & III.*) Otto R. Germaniæ victoriam reportavit à Danis, & Sclavis quibuſdam, hóſq; de integro ad religionem Chriſtianam, à qua deſciverant, reduxit. Ditmarus verò (*Chron. Lib. II.*) addit, multos extitiſſe ab inferis, ad comprobandam animorum immortalitatem, quam populi hi negabant. Fuerint autem Luſatii cum finitimis. De reliquo Ungari quatuor annos à graſſationibus ſe abſtinuerunt, & fortaſſe diutius conſediſſent in otio, niſi

*Ne Italiæ noceat, pecuniâ malè corrogatâ efficit Berengarius.*

*Otto domat quoſdam Sclavos.*

niſi à Conrado Lotharingiæ Duce, genero Ottonis R. impulſi fuiſſent. Is enim ſocerum factione opprimere conſtituerat; quapropter cum Luitholpho quoq; ejus filio anno IↃCCCCLIII. conſpirârat. Anno ſequenti eadem de cauſa ad Ungaros ſe contulit, eóſq; in Galliam deduxit, ubi adverſus inſontes, ut in *Appendice* Rheginonis videre licet, ſævitia graſſati ſunt incredibili. Sigebertus verò, qui eam excurſionē in rebus anni IↃCCCCLV. notavit, refert, Ungaros à Conrado in Lotharingiam deductos, in Carbonaria ſilva oſtentis quibuſdam conterritos quidem fuiſſe, impunè tamen in ſedes ſuas remigrâſſe.

*Ungari populantur Galliā proditione Conradi Ducis Lotharingiæ.*

# CAPUT V.

## *De horribili clade Ungarorum patrata anno* IↃCCCCLV.

EJus anni dies, memoriæ D. Laurentii dicata, fuit pernicioſa, fuit funeſta Ungaris. Scripſerunt de numero, conatibus, déq; interitu eorum complures il-

*Ungarorū formidabilis exercitus ab Otone, divina ope freto profligatur.*

illius temporis Hiſtorici; è quibus auctor continuans Rheginonē aſſerit, tantam vim, tantámq; multitudinem fuiſſe, ut omnia verſura putaretur. Poſtquam plurima Germaniæ damna obtulerunt, obſederunt Auguſtam Vindelicorum. Ibi Otto R. cùm cerneret ſuis, imò humanis viribus vix eos vinci poſſe, conſulto ſuppliciter Deo à cibis ante prælium abſtinuit, magno Martyri Laurentio Epiſcopatum Merſeburgenſem vovit, ſicq; plenus ſpei acerrimè in aciem deſcendit, vicitq;. At facilè fuit vincere cælo vota probante, & victoriam prænunciante. Quandoquidem literis proditum eſt, calente prælio D. Udalrico, Antiſtiti Auguſtano, aut objectum, aut de cælo demiſſum fuiſſe ſignum ſacræ crucis, ſub quo ſemper feliciſſimè pugnatur. At Ditmarus coævus ſcripſit, Ottoni, poſtquã ſacroſancto corpore Chriſti refectus eſſet, ab Udalrico traditam fuiſſe haſtam, quâ is obarmatus fidenter ad pugnam proceſſit. Nec tamen illi prorſus incruenta

*Ottonis votta.*

*Crux victoriæ prænuncia, vel haſta ab Udalrico Epiſcopo tradita Ottoni R.*

ta

ta victoria fuit. Nam, ut ait Lambertus Schafnaburgenſis (*de reb. German. anno 955.*) *Otto R. Ungaros cum magno periculo ſui, ſuorúmq; magna cæde proſtravit.* Occubuit in prælio Conradus quoq; Lotharingus; qui pœnitentiâ tactus, ut prodit Sigebertus Gemblacenſis, cum Ottone Rege in gratiam rediit, oravitq; Deum, uti perfidiæ ſuæ pœnam dependeret Ungarorum ferro necatus. Plures Ungarorum in fuga ac regreſſu, quàm in loco certaminis occiſi ſunt. Inclinata ſiquidem acie innumerabilem multitudinem ſe fugæ dediſſe, docet quidam ſcriptor, qui ex mœnibus Auguſtanis fugientes proſpectabat. Plurimi igitur ceciderunt, ſed ſex ſeptémve duntaxat è periculo, quod aliqui in faſtos retulerunt, evaſiſſe, tum probabile erit, cùm teſtimonium reliqui ejus temporis Ungari dicent. Nullus enim ſcriptorum ea de cauſa obivit Ungariam. Tres duces in prælio captos, & arbori infelici ſuſpenſos eſſe, confeſſa res eſt. Ex iis Lehelem, antequam ad necem rapere-

*Conradus dux reſipiſcit, pugnansq; ab Ungaris occiditur.*

*Error Annalium Ung. de Conrado Imp. interfecto corrigitur.*

peretur, occidiſſe Conradum Imperatorem cum dicto, *tu prior morere, deſerviturus mihi apud inferos*, narrant Annales noſtrates (*Thuroc. in Chron. Cap. LXXVIII.*) at inſigniter errant. Siquidem Conradus Imp. Imperium gerere cœpit anno CIↄXXIIII. neq; interiit, dum Ungaris bellum movit. Cùm verò cladem hanc maximam acceperunt Ungari, Conradus Imperator nullus erat. Fuit itaq; Conradus Dux ille Lotharingiæ in congreſſu cæſus; quem reduces Ungari dixerint fuiſſe Imperatorem, & ad gloriam gentis jactaverint. Aſſervatur adhuc cornu quoddam apud Philiſtæos Berennii, quod illud ipſum eſſe traditur, quo interfectus eſt Conradus: at exteri hiſtorici ſagittâ ictũ voti, & piaculi compotem factum eſſe ſcripſerunt. Incertum quoq; eſt, an Lehel interfuerit huic pugnæ & ſtragi. Namq; Vichingus æqualis illorum temporum prodit, hoc eodem anno *Lebelem* Ungarorum ducem in Bohemia patibulo affixum eſſe. Id verò ad hunc modum

*Cornu quoddam apud Ungaros memorabile.*

*Lebelis Ungarorum ducis in Bohemia exitus.*

dum accidiſſe memorant. Devictis atq; ad ſocietatem aſcitis ſuperioribus annis Moravis Ungari in Bohemiam pedem intulerunt. Ut verò omnium Bohemorum potirentur, munitiones excitaverunt; alteram quidem ad Caurimam, alteram ad Slanam, háncq; Fejérvarum, id eſt, Albam arcem, illam Felvarum, id eſt, Superiorem arcem appellaverunt. At clade Auguſtana imminuti, armiſq; Bohemorum preſſi partim in congreſſibus vitam poſuerunt, partim ex periculo evolârunt. Quin ex Moravia quoq; à Boleslao Bohemorum Duce ſubinde exturbati ſunt, Quadorum finibus deinceps contenti. Gemina ergo Ungarorum clade is annus inſignis fuit. Si Lehel, quod confieri potuit, utriq; pugnæ adfuit, ex una decus aliquod, ex altera ignominiam maximam tulit. In faſtis deniq; Eccleſiæ Trevirenſis extat memoria Auguſtanæ victoriæ, illis expreſſa verbis. IIII. IDUS AUGUSTI MAGNUS OTTO IMPERATOR DEI GRATIA UNGARIOS

*Hungari Bohemiæ inſidiantur, & caſtella condunt, operâmq; perdunt.*

OS PROSTRAVIT. De cetero memoriâ traditum eſt, præliis iis, & caſibus, uſq; eò contuſam fuiſſe Ungarorum ferociam, ut metu exanimati omnia, & undiq; pertimeſcerent, non jam in id intenti, quomodo alienum raperent, ſed quomodo ſuum conſervarent. Captivos itaq; Chriſtianos molliter, ac benignè deinceps tractaverunt, fecerúntq; illis poteſtatem liberos ſacro latice tingendi, ædiculas condendi, Deóq; dedicandi. Salutares ergo fuêre Ungaris clades. Toxim Regem ſubinde ultionis causâ, quod narrat Bonfinius, ſuſcepiſſe in occidentales expeditionem, repugnat veterum teſtimonio, imò ſilentio. Attenuati quippe pugnis Ungari manſveſcebant, ut dixi, & Chriſtianis veræq; religioni conſveſcebant. Diſputabilis autem in utramq; partem res eſt, pluribúsne ſupradictis incurſionibus mortem attulerint, an ipſi interierint? Principe Conſtantino VIII. duo illuſtres ex natione viri ducésq; Chriſto auctorati ſunt. Mandarunt hoc

*Ungarorũ animi, & opes cladibus conſiderunt.*

*Benevoli erga Chriſtianos.*

Græ-

Græcis literis Curopalates, Cedrenus, & Zonaras; qui eos Turcos appellant. Quapropter Henr. Spondanus in narrationibus anni ɪↄcccc. ʟᴠɪɪɪ. germanos Turcos fuiſſe autumavit; Inchoffer autem ex nominibus Ungaros fuiſſe conjecit: Otrocotſius deniq; acutè animum advertit, eoſdem ante Auguſtanam cladem Chriſtianæ militiæ adſcriptos fuiſſe: ſiquidem hiſtorici illi unum ex iis à Francis cruci ſuffixū eſſe referunt, quod nullo inſequenti anno acciderit. Juverit rem cognoſcere ex narratione Cedreni (*Compendio Hiſt. Tom. II. edit. Paris. pag. 636.*) quam Franc. Otrocotſius Latinè ita vertit: *Ceterùm Turci non ante finem fecerunt in Romanas ditiones graſſandi, quàm Buloſudes eorum Princeps fidem ſe amplecti Chriſtianam ſimulans, Conſtantinopolim venit, baptizatúſq; ibi à Conſtantino eſt exceptus, ab eóq; patritii dignitate, & magnis donis ornatus, ditatúſq; domum rediit. Non multò poſt Gylas (Græcè* γυλᾶς *) ipſe quoq; Turcicus Princeps eodem ſe ejuſdem rei cauſâ confert, bapti-*

*Ungarorū duces Buloſudes, & Jula fiunt Chriſtiani. Unúſq; illorum redit ad ineptias, alter in ſuſcepto permanet.*

zatúſq;

*zatúſq;, & eodem, quo prior modo tractatus, monachum ſecum abduxit Hierotheum, quem Turciæ Epiſcopū Theophylactus Patriarcha deſignavit; iſq; ut in Turciam venit, multos à barbarico errore ad Chriſtianam religionem traduxit. At Gylas quidem in fide permanſit, & neq; ipſe in Romanos impreſſionem fecit, & captivos Chriſtianos emens curavit, libertatémq; iis reddidit. Buloſudes autem pactis, quæ cum Deo inierat reſciſſis, ſæpe cum omnibus ſuis in Romanos expeditionē ſuſcepit. Quod idem contra Francos tentans, captus, & ab eorum Rege Joanne in palum ſuffixus eſt.* Hactenus Cedrenus, magnopere errans in nomine Regis. Zonaras metuens lapſum de eo penitus reticet: ad Curopalates Ottonem nominat. Zonaras apertè ſe per Turcos Ungros ſignificare declarat, Buloſudem Bologudem appellat, eúmq; non in palum, ſed in crucem ſublatum eſſe prodit. Ea re Otrocotſius ſuſpicatur, Buloſudem fuiſſe Bultſchum, unum è tribus ducibus, Apud Auguſtam patibulo affixis; quos luget Thu-

*Buloſudes quis?*

roci-

rocius. Quoniam verò, ut Cedrenus, & Zonaras perhibent, Theophylactus Patriarcha dedit Ungaris Pontificem Hierotheū, conſequens eſt, ante annum IↃCCCCLVIII. viros illos Chriſtianis ſacris imbutos fuiſſe; ſiquidem computatione Baronii, & Spondani Theophylactus Antiſtes Conſtantinopolitanus, inſanus ille equorum amator III. Calendas Martii anno IↃCCCCLVI. vitâ ceſſit. Fuit autem Jula (*Gyula*) Daciæ, & ripæ Iſtri præfectus; qui non ſolùm cuidam vico in Moldavia, verùm etiam in penetiſſima Dacia, Transſilvania, in quam, urbi nomen ſuum impertivit. Credibile præterea eſt, fuiſſe eum patrem Saroltæ, conjugis Gejſæ Ducis, avúmq; maternū D. Stephani R. Nil verò obſtat, quòd filius ejus adverſatus fuerit D. Stephano: ſæpe enim liberi deſciſcunt à conſvetudine parentum. Boloſudes autem vel Bologudes Pannoniæ Sirmienſi præfuerit; qui abjectis repudiatisq; Chriſtianis ſacris propter vicinitatem pro libidine

*Hierotheus Ungarorum Epiſcopus in Dacia.*

*Jula Dux avus Maternus D. Stephani.*

ſua

ſua ſæpenumero moleſtus fuit Conſtantinopolitanis. Hunc ego Bugothum eſſe arbitror; quem, ſicuti dixi, poſt interitum Cuſſalis Ungari cum Durſacio Regem renunciarânt. Poterat enim vitam producere ad annum ɪↄcccclv. funeſtum nationi. De reliquo Græci Ungaros Turcos vocaverint, tum quia ad ſimilitudinem ac feritatem verorum Turcorum accedebant, tum quia germani Turcæ (quod indicant primorum Regum leges, de Ismaëlitis ſcriptæ) conſociati erant illis.

*Ungari cur Græcis Turca dicti.*

# CAPUT VI.

## *Summatim exponuntur, quæ apud Ungaros, & Sclavos conſequentibus annis acta ſunt.*

*Elga Ruſſorum Regina fit Chriſtiana.*

CElebrati Græci hiſtorici poſtquam expoſuerunt, quî Ungari illi Chriſtianam doctrinam ſuſceperint, Elgæ viduæ Ruſſorum quorundam Reginæ devotionem ſtrictiùs attingunt. Conſtantinopoli, ùt ex narrationibus illo-

illorum intelligi datur, ea Chriſtianis ſe adjunxit, ac in ſacro lavacro Helenæ nomen accepit. Simul ut in regnum ſuum revertit, nihil illi ſanctius, & antiquius fuit, quàm populis ſibi obnoxiis viam ad ſalutem ſempiternam, cælúmq; monſtrare. Continuò namq; legavit certos in Germaniam, qui ad erudiendos Ruſſos ab Ottone R. peterent Epiſcopum, & Chriſtianæ philoſophiæ præceptorem. Curam tantæ rei Otto demandavit Adaldago Hamburgenſi Præſuli; qui ſimiliter nihil cunctatus, miſit ad Helenam Sibutium *monachum*. At hic immatura morte conſumtus, non multum operæ Ruſſis tribuit. Suffectus in locum ejus Adelbertus, vir quidem inſigniter religioſus, & gnavus, nihil tamen promovit, quin periculum capitis adiit. Adeò impedita eſt ad virtutem progreſſio. Ruſſi tamen ſubinde vel inviti Chriſti nomen profeſſi ſunt. Rubri & Nigri (ùt fertur, anno ıↄcccclxxi. Principe Volodomiro ſuperſtitionem prorſus abjecerunt. Albi,

*Gentem ſuam à ſimulacrorum cultu abſtrahere conatur.*

*Ruſſorum & Moſcorum cum Chriſtianis expleta conjunctio.*

bi, quondam Roxolani dicti, forſitan cum Moſcis ad conſortiū Chriſtianorum ſe applicaverunt. Utrùm autem id factum ſit anno IↃCCCCXLII. an IↃCCCCLXXXVII. in diverſum auctores trahunt. Sigebertus meminit cujuſdam victoriæ, quam añ IↃCCCCLVIII. Otto Rex de Sclavis retulit; qui autem ii fuerint, non aperit. Conjectura eſt fuiſſe Vandalos. Tacent de rebus Sclavorum, & Hungarorum plures annos hiſtorici. Divinare licet, non paucos interea Ungarorum à Sclavis familiaribus, cognatisq; ſuis Hunnoavarum reliquiis ceteriſq; vicinis populis, cum quibus commercium lingvarum, rerúmq; habebant, ad capeſſendam religionem Chriſtianam permotos fuiſſe. Nec aliter univerſa gens ad colendum Chriſtum adduci potuit, niſi officio domeſticarum & finitimarum. Quâ causâ plura vocabula Ungari, quibus res quaſdam ſacras efferunt, à Sclavis mutuati ſunt. Plurimam tamen operam ad avertendam à ſuperſtitione eam gentem contulerunt

*Sclavi quidam victi ab Ottone R.*

runt

runt ſacerdotes atq; Pontifices. Annus IↃCCCCLXV. inſignis fuit incremento Eccleſiæ. Magnam enim Poloniam ſinu ſuo complexa eſt. Occaſionem tanti boni fuiſſe delictum, memoriæ proditum eſt. Cùm enim Princeps Miecislaus (alii aliter virum nominant) ex ſeptem pallacis nullos liberos ſuſcepiſſet, hortatu cujusquam ad certum matrimonium ineundum animum appulit. Popoſcit igitur ſibi per proxenetas Boleslai Bohemorum ducis filiam. Boleslaus haud cunctanter recepit, ſe cum eo affinitatem conjuncturum ea tamen lege, ut Chriſto ſe addiceret. Implevit fidem Miecislaus. Inſpectante enim ſponſa, proceribúsq; Bohemis ſalutari unda aſperſus eſt, tum Chriſtiano ritu connubium iniit. Edixit verò, cuncta ut Polonia Chriſto ſe totam dederet, diffractis atq; abolitis ad Nonas Martii Deorum fictorum ubiq; ſimulacris. Mirùm, quî tantus populus protinus ei morem geſſit? Inſtituerint autem divinis præceptis Polonos Bohemi,

*Poloni Chriſto ſupplices manus tendunt.*

*Princeps eorum ducit filiam Principis Bohemorum.*

 Mo-

*An antea aliquando Poloni Chriſtum coluerint dubia res eſt,*

Moravi, & proximi montium Sarmaticorum Carpatiq; accolæ Sclavi. Henricus Spondanus, & Melchior Inchoffer hæc pertractantes, auctoritate Tertulliani nixi, exiſtimaverunt, multis ante ſeculis apud eam nationem Chriſti legem promulgatam fuiſſe. Verùm primis illis naſcentis Eccleſiæ temporibus, Sarmatia latiſſimè patuit. Tertullianus verò non indicat, in quas ejus partes delati ſint optatiſſimi de Chriſto nuncii. Divinè verò ac veriſſimè de Polonis illud Spondanus: *Sicq; Polonorum nomen hactenus obſcurum, nec nominatum, divinæ lucis radiis illuſtratum, Chriſtiana religione ſuſcepta mox cœpit eſſe toti orbi Chriſtiano conſpicuum.* Joannes XIII. Pont. Max. ob tantam Eccleſiæ acceſſionem lætitiâ geſtiens Ægidium, Tuſculanum Antiſtitem, ad Principem Miecislaum legavit, ſimul ut ei de agnitione veritatis gratularetur, ſimul ut haberet hominem, de cujus conſilio in ampliſſima regione ſacra conſtitueret. Alteram verò legationem, vel potiùs

tiùs propagatores Chriſtianæ religionis orante ipſo Principe Miecislao miſit Joannes ad Vandalos, Sclavonici generis populos. Provinciam hanc, ut auctor eſt Stanislaus Orichovius Roxolanus (*apud Sander. de Viſib. Monarch. n. 695.*) ſuſtinuerunt perplures in philoſophia Chriſtiana præclari ac nobiles viri. Poſt quinquennium condito, aut communito Magdeburgo, ut tradit Bremenſis *Chronologus* Adam (*Lib. II. Cap. VII.*) Otto Imp. Antiſtitem ejus urbis Adelbertum, ab Ruſſis pulſum, inſigni ſanctitate virum *Metropolitam*, & apud Sclavos maris Baltici accolas interpretem religionum deſignavit. Exin enumerat Adam populos, quos ſtudio atq; opera ſua Otto Cæſar ad cultum Chriſti perduxit. Quare dubium eſt, majórne armis, an religione Princeps fuerit? Multas equidem gentes domuit, ſed eas non tam ſibi, quàm Deo ſubjecit. Quid vetat dicere, eum ad Ungaros quoque induſtriam ſuam protuliſſe? Ceterùm Adam Vandalos illos alio

*Vandali, qui & Vinuli, fiunt Chriſtiani.*

*S. Adelbertus fit Metropolitanus Magdeburg.*

loco appellat Vinulos, Ptolemæus Venedas, plures ſcriptores Venedos: quocirca populi, qui Noricorum & Carnorum terras colunt, ejuſdem generis videntur eſſe. Qui fuerit per eos annos Ungariæ ſtatus, nemini exploratum eſt. Opinatio eſt Melchioris Inchofferi, Toxim, poſtquam rempublicam variâ fortunâ annos ferè duos & viginti adminiſtrâſſet, relicto hærede filio Gejſa anno IƆCCCCLXX. è vita migrâſſe: Gejſam tamen quia per ætatem regnare non poterat, non illico, ſed quadriennio poſt patri ſucceſſiſſe, & univerſis ſuffragiis unáq; voce populi Principem declaratum eſſe. At enim propiùs fidem eſt, Gejſam & regno eo anno maturum, & nuptiis alligatum fuiſſe. Nihil dubitationis habet, quod recenſet Joañes Curopalates, nempe Bulgariam anno IƆCCCCLXXI. in maximo luctu fuiſſe, gloriámq; ac libertatem plurimo majorum ſudore, & ſangvine partam amiſiſſe. Quamvis enim indictis inimicitiis cum Ruſſis, & Ungaris (quos more ſuo

*Toxis dux moritur, relicto hærede & ſucceſſore Gejſa.*

*Græci evertunt Bulgarorum regnum.*

ſuo Turcos ſcriptor vocat) Bulgari ſocietatem coierint, & exercitum numero trecentorum, ac triginta millium comparaverint, tamen Joannes Zemiſces Imp. Conſtant. Dei Genitricis, Divorúmq; Georgii ac Theodori ope fretus, crebris prœliis non ſinè magno labore ac periculis ad extremum eos acie devicit impoſita Regi Boriſi ſervitute. Credidit de his experta Conſtantinopolis. Et quiſquam neget audire Divos? Poſt años decem exuerunt quidem ii populi jugum, ſed iterum in priorem fortunam reciderunt. Adeò omnia humana mutabilia ſunt.

# CAPUT VII.

## *De rebus Gejſæ ſive Gayſæ Ducis, & incremento Chriſtianæ religionis apud Ungaros.*

SCriptores Poloni, quibus ſanè fides habenda eſt, conſentiunt, Gejſam quinto año, quàm Poloni ad numerum Chriſtianorũ aſcripti ſunt, aqua luſtrali expiatum

*Gejſa Dux baptizatus anno 970. vel prior.*

tum eſſe. Haud dubiè obverſabatur illius animo, oculisq; præclara morum apud gentem vicinam mutatio, & exemplum recens atq; illuſtre. Salutari ergo lympha ablutus Gejſa, totus in eo erat, ut populos ab impia ſuperſtitione ad ſanam religionem traduceret. Pios ejus conatus conjectando perſcripsêre Inchoffer, Bonfinius, Ranzanus nonnihil titubantes. Et Bonfinius quidem bis offendit ( *Decad. I. Lib. X.* ) primùm, *quia imperante Carolo M. Pannoniam prima orthodoxæ fidei rudimenta habuiſſe* ſcribit; deinde, quia aſſeveranter enunciat, Ungaros patriarum ceremoniarum tenaces, inſectatos fuiſſe populares ſuos, quibus in animo erat, meliora ſequi conſilia. Hujus enim rei neq; index, neq; veſtigium eſt aliquod apud antiquos. Poterant tamen concertationes quædam verborum inter eos exiſtere, quæ etiam inter familiares ac domeſticos, dum de rebus animi agitur, gigni ſolent. Non erat certè Hunnis familiare, ob religionem ſævire in Chriſtianos,

*Bonfinii error de ortu Chriſtianæ religionis in Pannonia &c.*

*Hunni Chriſtianos non inſectabantur propter religionem.*

nos, quomodo Romani, & Perſæ factitabant; ſed tolerabant eos haud aliter ac hodie tolerant Turci. Accomodatè verò ad ſenſum communem ſubjicit Bonfinius, Carnos, & Noricos quoſdam ex Ungaris vicinis ſuis placatos effeciſſe, atq; ad tribuendum Chriſto honorem adduxiſſe. In idem ſtudium procul dubio incumbebant Chriſtiani, qui in ſinu gentis verſabantur. Ranzanus porrò dum in flectendis Ungarorum animis difficultatem exponere, rémq; altiùs tollere dicendo laborat, ipſe quoq; vehementer labitur. Sic enim ſcribit: Poſtquã Gejſa ſacro fonte tinctus eſt, votum fecit, ac jurejurando firmavit, Deóque pollicitus eſt, omni ope atq; opera ſe eniſurum, ut populi ſibi obnoxii exemplo ſuo Chriſti cultores efficerentur. Profuit quidem multis exemplo ſuo & monitis, ſed innumeris ſuperſtitio avita præplacebat. Videns itaq; placidioribus viis parum, aut nihil ſe profecturũ, cenſuit rem armis agendam. Sed cùm tantæ vires ei non ſuppeditarent,

*Ranzani error de accitis à Gejſa auxiliis exteris ad edomandos Ungaros.*

rent, clàm per literas auxilia à Chriſtianis Principibus flagitavit. Confluxerunt igitur undiq; in Ungariam copiæ à Principibus viris miſſæ: imò verò aliqui Principes ad Gejſam accurrerunt. Hactenus Ranzani narratio. At, ut dixi, longè is errat; de ejuſmodi ſiquidem expeditione nullam faciunt mentionem illorum temporum hiſtorici; quæ tamen commemoratione digniſſima fuiſſet. Venerunt quidem ad Ungaros Principe Gejſa Huntes & Paznanus, aliiq; plures viri nobiles, qua in re ſanè habenda eſt fides Bonfinio; ſed quod aliquod agmen militare in Pannoniam adduxerint, nulla ratione firmari poteſt. Aventinus quidem de divino Gejſæ ſtudio non malè commentatus eſt, ſed quia cuncta ferme partim ex libro auctoris cujuſdã pervetuſti, partim ex epiſtola Piligrini excerpſit, non eſt operæ pretium narrationem ejus afferre, ſed ex ipſo fonte, epiſtola, inquam, Piligrini veritatem haurire. Ea verò talis eſt: *Ordinis de nomi-*

*Huntes & Paznan viri nobiles, ad Gejſam venerunt.*

*Epiſtola Piligrini ad Benedictũ VII. Papã.*

*nominis charismate prærogato, Sanctæ Romanæ Sedis univerſalis Benedicto Pontifici Piligrinus, Sanctæ Laureacenſis Eccleſiæ humilis ſervitor, fidelitatem precum, devotúmq; ſervitium. Notum fieri dignetur vobis, ſumme ſacerdotum præſul, quòd ſupra omne animi mei deſiderium, nunc delectarer, Apoſtolorum viſitare limina, veſtráq; optabili perfrui præſentia, & ea facie ad faciem, quæ literis, & internunciorum committo indiciis, ſanctiſſimæ Paternitati veſtræ coram ratiocinari, niſi quod à neophyta Ungarorum gente illuc ire probibeor; apud quam fœdere pacto, ſub occaſione pacis, fiduciam ſumpſimus, operam exercere prædicationis. Hujus enim terror gentis ex longo tempore etiam aliarum provinciarum prædicatoribus meæ diœceſis hactenus aditum clauſit; ad quas nihilominus præſentis opportunitas temporis ire me vocavit. Quibus* ( in volumine Concil. *Quoniam* ) *Deus optimus, qui ſolita ſua pietate ſemper diſperſa congregat, aperire dignatus eſt januam cordis ſui, diu clauſam, ut diſciſſo velamine duritiæ ſuæ depoſitáq; ferina crudelitate, levi jugo*

*Pax inter Bavaros & Ungaros.*

*Ungari Piligrinum invitant in Ungariam.*

*Domini colla ſubmittant. Ab hac* ( in Concil. Volum. *A qua ergo* ) *præfata Ungarorum gente, multis precibus ipſe invitabar venire, aut Miſſos meos in opus Evangelii illuc dirigere. Ad quos dum transmitterem ſatis idoneos viros ex monachis Canonicisq; presbyteros, atq; de ſingulis Eccleſiaſticis gradibus Clericos, & vita, & omni converſatione illorum ſic ordinata, quemadmodum in geſtis Anglorum didici: tantum divina gratia ſuis inſtitutionibus fructum ſtatim miniſtravit, ut ex iiſdem nobilioribus Ungaris utriuſq; ſexûs Catholicâ fide imbutos, atq; ſacro lavacro ablutos, circiter quinq; millia* ( in Volum. Concil. *Chriſto* ) *lucrarentur. Chriſtiani autem, quorum major pars populi eſt, qui ex omni parte mundi illuc tracti ſunt captivi, quibus nunquam ſoboles ſuas licuit, niſi furtivè Domino conſecrare, modò certatim nullo obſtante timore, offerunt, eos baptizare, ac gratulantur omnes, tanquam de peregrinatione ſua in patriam reducti, quòd Chriſtiano more oratoria audent conſtruere; & licentiâ perceptâ lingvam ligatam in laudem Salvatoris præ-*

*Ungarorũ Nobilium circiter V. millia baptizati.*

*Intelligenda aſſertio de temporibus ante cladem Ungaris ad Auguſtam illatam.*

*præſumunt ſolvere. Ipſi enim barbari mira omnipotentis Dei operante clementia, quorum licet adhuc gentilitate ſint quidam detenti, nullum tamen ex ſuis* (apud Lazium & in Volum. Concil. *illorum*) *ſubditis vetant baptizari, nec ſacerdotibus invident, quocunq; libet proficiſci; ſed ita concordes ſunt pagani cum Chriſtianis, tantámq; ad invicem habent familiaritatem, ut illic Eſaiæ videatur impleri, prophetia:* Lupus & agnus paſcentur ſimul, leo & bos comedent paleas. *Factum eſt ergo, ut penè cuncta Ungarorum natio ſit prona ad percipiendam fidem ſanctam: ſed & aliæ Sclavorum provinciæ ad credendum promptæ: & eſt ibi meſſis quidem multa, operarii autem pauci. Unde quoq; viſum eſt, jam neceſſarium eſſe; quatenus Sanctitas veſtra illic aliquos jubeat ordinari Epiſcopos, quia & quondam Romanorum Gepidarúmq; tempore proprios ſeptem Antiſtites eadem orientalis Pannonia habuit & Mœſia, meæ ſanctæ Laureacenſi, cui ego indignus miniſtro, Eccleſiæ ſubjectos: quorum etiam quatuor, uſq; dum Hungari Regnum Bojariorum invaſerunt, ſicut præ-*

*Intelligendum de Ungaris, & Sclavis in Pannonia, & vicinia vitam colentibus.*

*In Moraviæ partibus quatuor Epiſcopatus.*

*præſenti cognitum eſt ætati, in Moravia manſerunt. Quod nimiùm* (Lazius & Inchoffer *nimirum*) *grave ac valde oneroſum eſt mihi, ut* (in Volum. Concil. *mei*) *tot Pontificii parochias, ſolus prædicando circumeam, quibus neceſſitate, & adjutorii inopiâ cogor nonnunquam meam ſubtrahere præſentiam. Ecce Dominorum amantiſſime, hujuſmodi Eccleſiaſticis mancipatus officiis detineor, & nî feciſſem moram ſæpe dictæ gentis converſioni, ire & proſterni ad veſtra ſanctiſſima veſtigia non diſtuliſſem. Legatos tamen meos, præſentium portitores, ad veſtram deſtinavi Sanctitatem, quos audire dignetur, quæſo, Clementia veſtra, & eorum meiſq;, mixtim precibus præbere aſſenſum, quatenus pallium inſulámq; Pontificalem, quod ſpeciale munus honoris ex hac Sede tantùm dirigitur Metropolitanis* (de eſt in Lazio, & Volum. Concil. *referant*) *Quod etiam mei prædeceſſores à glorioſis hujus principalis Cathedræ Primatibus accipere ſoliti erant. Mihi verò hoc ipſum benigno animo per illos dirigere dignetur; pariterq; etiam privilegia Apoſtolicæ authori-*

*Inſulã per errorem petivit Piligrinus.*

*thoritatis meæ Eccleſiæ per eoſdem Miſſos, veſtris præſentata ſacris obtutibus, more prædeceſſorum veſtrorum roborari ſupplico, & confirmari; ut hac Apoſtolica ſanctione, & benedictione munitus, mihi commiſſam populi gubernationem canonicè exequi valeam, & veſtris rationibus in die judicii imputetur, quòd in illis finibus ex paganis nova Eccleſia Domino lucrata ſit.* His literis ſubjunxit Piligrinus formulam de more veterũ, qua explicavit, quid de rebus divinis ſenſerit? Valde probabile eſt, eum reſediſſe Laureaci. Nam alioqui vir ſanctiſſimus atq; integerrimus haudquaquam uſurpâſſet nomen Præſulis Laureacenſis. Neq; ignorare poterat, ab Agapito II. Gerhardo honorem Metropolitani decretum fuiſſe, at ita, ut Laureaci domicilium haberet. An in Ungaria fuerit, dum quinq; illa millia luſtrali aqua reſpergerentur, ambiguũ eſt. Nam ipſe quidem ſucceſſum rei felicem Sacerdotibus, quos ad Ungaros miſerat, attribuit. Et quamvis reapſe princeps ſanctæ procurationis

*An Piligrinus domiciliũ habuerit Laureaci?*

nis fuiſſet, virtutis tamen amore decora ſua ſupprimere poterat. Aliquando tamen eum in Ungariam veniſſe, eámq; cœleſti doctrina excoluiſſe, conſtans eſt & communis antiquorum quoq; ſenſus. Socius ejus, ut fertur, inter ceteros fuit Wolffgangus Ratisponenſis Pontifex, vir tum doctrinâ perfectâ, tum magna, & antiqua religione, qui præceptis ſaluberrimis atq; optimis finxit etiam Henricum Bavariæ Ducem, poſtea Imperatorem ſanctimoniâ, quàm regno clariorem. Tales nimirum magiſtri decebant, gentem illam, quæ olim editura erat homines cælo charos dignósq;. Jam quid reſponſi dederit Piligrino Benedictus ſummus ſacrorum Antiſtes, docebit exemplum epiſtolæ, quod ſubjicitur. *Dilectiſſimis nobis in Chriſto filiis Hrodberto S. Moguntinæ Eccleſiæ, & Dioderico S. Treverenſis Eccleſiæ, atq; Adalberto S. Magdeburgenſis Eccleſiæ, pariq; modo Gereoni S. Colonienſis Eccleſiæ, atq; Friderico S. Juvavienſis Eccleſiæ, ſed & Adaldago S. Bremenſis Eccleſiæ Archiepiſcopis; pariterq;*

*Socius laborum in Ungaria S. Piligrini S. Wolffgang9 Epiſcopus Ratiſponenſis.*

*Epiſtola Benedicti VII. Papæ inſcripta etiam Otoni II. Imperat.*

*ritérq; Domino* ( in Volum. Concil. abeſt *noſtro* ) *Othoni glorioſiſſimo Imperatori Auguſto, atq; nepoti ſuo Henrico, præcellentiſſimo Duci Bojariorum, ceterisq; omnibus Epiſcopis, & Abbatibus, Ducibus, atq; Comitibus Galliæ & Germaniæ : Benedictus divinâ gratiâ præditus* ( in Volum. Concil. *prædictus* ) *Apoſtolicæ Sedis Pontifex, ſervus ſervorum Dei, in Domino ſalutem.* Oportet *juſtis ſupplicantium petitionibus nos ſemper faciles, & humiles exhibere, & præcipuè cùm fraternis religioſorum conſacerdotum precibus ſollicitamur ; qui paſſim ab omni mundi termino tenorem, & regulam, & proprii officii vigorem ab hac univerſali S. Romana Matre Eccleſia, ejúſq; ſortiuntur Miniſtro. Vicario ſcilicet beati Principis Apoſtolorum ; cujus quamvis indigni, ejus tamen gratia, & dono poteſtati ſucceſſimus & ordini, cui voce Dominica dicitur :* Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam. *Quapropter dignum æſtimavimus, aſſenſum præbere congruis poſtulationibus Reverendiſſimi Archiepiſcopi Piligrini, quas per probabiles perſo-*

*perſonas nobis intimavit, Reſponſalium ſuorum, duorum videlicet Presbyterorum, quatenus ſibi Pallium, & Metropolitanum honorem Cathedræ ſuæ, ſanctæ Laureacenſi Eccleſiæ reſtitueremus, confinio Ungarorum adjacenti: quod omnino nos eidem Eccleſiæ debere teſtantur antiquiſſima, ſecum deportata privilegiorum teſtimonia; in quibus continebatur, quòd ætate Pontificatûs beati Symmachi, hujus almæ Sedis Apoſtolici Præſulis, præfata S. Laureacenſis haberetur Eccleſia Metropolis; & in quantum tam exinde, quàm etiam de paſſionibus beatorum Martyrum, qui illic plures in tempore perſecutionis pro fide Chriſti variis ſunt tormentis mulctati, colligere poſſumus, ex omnibus Eccleſiarum Diœceſibus Pannoniæ hæc antiquitate, & Archiepiſcopii dignitate eſſe primitiva creditur. Quæ jam multis retroactis temporibus ex vicinorum frequenti populatione barbarorum deſerta, & in ſolitudinem redacta, nullum Chriſtianæ profeſſionis habitatorem meminit, uſq; dum invictiſſimus Auguſtus, & pater patriæ genitor quippe pii Imperatoris noſtri, quem adhuc ſupe-*

*Laureacẽſis Metropolis ætate Symmachi Papæ.*

*Ruina ſecunda Laureaci multis annis ante cladẽ Ungarorũ ad Auguſtã.*

*ſupereſſe, & diu dominari mundus exoptat, bellico trophæo eorum vires retudit. Nunc autem, quando jam vocibus exultantibus* (in Volum. Concil. *quamobrem votis exultantibus*) *in laudem omnipotentis Dei erumpimus, non ſolùm ſæpe dicta S. Laureacenſis Eccleſia, hoſtium ceſſante terrore, cum accolis ſuis pace, & tranquillitate potitur, verùm etiam ipſi dudum inimici, illum, quem perſecuti ſunt more gentili, jam jam Chriſtum baptizati profitentur, & Sacerdotes modò habere deſiderant, ac prout ſcire rudes poterunt, venerantur, & Eccleſias quaſdam in ſua terra, quas patres incendio dederunt, poſteri reſtaurare videntur. Hac ergo ſvadente ratione, quòd prænominati S. Laureacenſis Eccleſiæ Archiepiſcopi poſtulatio antiqua Apoſtolica authoritate commendatur, & præterea quòd* (apud Lazium abeſt *quòd*) *cùm juſtum eſſet, pariter etiam utile viſum eſt, ut ad fructificandas Deo gentes ex novitiis cultoribus fidei Ungarorum* (in Volum. Concil. *Ungrorum*) *atq; Maravorum, ſive etiam aliis multis* (in Volum. Concil. ſequitur *provinciis*) *Sclavorum*

*Ungari refecerunt aliqua templa in Pannonia à patribus destructa.*

*rum ſuæ parochiæ finitimis illic ordinatis Epiſcopis ſecundum quod antiquitus diſpoſiti erant, eis hunc conſtitueremus Archiepiſcopum. Quoniam autem Salczeburgenſis* ( in Volum. Concil. *Salisburgenſis* ) *Eccleſia Metropolis abuſa eſt ſubjectione S. Laureacenſis Eccleſiæ Pontificii, obliterata & attenuata ſua dignitate ex devaſtatione barbarorum, quam propterea præceptis Apoſtolicis privilegiis, nequaquam patimur privari, cùm & prior fuerit Salczeburgenſi* ( in Volum. Concil. *Cùm & priora ſint Salczeburgenſibus* ) *& ideo auctoritativa; quæ conditio teſtimonii etiam apud ſecularia judicia viget, & prævalet. Nos verò in hujusmodi conſtitutione* ( in Volum. Concil. *Conſtitutionibus* ) *omnem calumniam atq; contentionis occaſionem, Domino adjuvante, facilè propulſamus, parochiis* ( in Volum. Concil. præcedit *ambabus* ) *ab invicem certis limitibus ſequeſtratis, & tamen Apoſtolicis ſanctionibus ubiq; ſtabilitis; quas noſtrum eſt, ſemper defendere, & ſecundùm Evangelicam ſententiam, nihil ex eis ſolvere, ſed adimplere. Unde ergo*

*Laureacenſis metropolis dignitas depreſſa à Salisburgenſi.*

*aucto-*

*auctoritate, & poteſtate B. Petri Principis Apoſtolorum*, *atq; exemplo* ( in Volum. Concil. præponitur *beatorum* ) *Pontificum, ſcilicet prædeceſſorum noſtrorum, eandem S. Laureacenſem Eccleſiam, ejúſq; rectores jam Archiepiſcopos à modo in perpetuum ab omni Salczeburgenſis Eccleſiæ, ejúſq; Præſulum ſubjectione ac ditione abſolvimus, & honore Metropolitano ſublimamus. Et ſicut modernis temporibus, Sanctæ memoriæ Agapitus Papa, terminos earundem parochiarum ab invicem diſtinxit, ſic & ipſi definimus; ita videlicet, ut Salczeburgenſis Eccleſia ſuperioris Pannoniæ Epiſcopos habeat ſuffraganeos, quibus uſq; huc ſui Pontifices præeſſe videbantur, cum tanta taliq; diœceſi, quali hactenus in inferiori* ( apud Lazium *ſuperiori* ) *uſi ſunt Pannonia: Sancta autem Laureacenſis Eccleſia in inferioris Pannoniæ atq; Mœſiæ regiones, quarum provinciæ ſunt Avaria* ( in Volum. Concil. *Bavaria* ) *atq; Maravia, in quibus ſeptem parochiæ Epiſcoporum antiquis temporibus continebantur, ſuiq: antiſtites Archiepiſcopalem deinceps habeant*

*Laureacenſis Sedes è jurisdictione Salisburgenſis in perpetuum eximitur.*

*Salisburgenſis & Laureacenſis, Metropoleon termini.*

*Avariam ſive Bavariam accipit. Benedictus pro Norico*

*ant poteſtatem, cum tanta taliq; diœceſi, quali hactenus in ſuperiori uſi ſunt Pannonia. Quibus deniq; in præceptis injungimus, ut juxta B. Gregorii decretum, Anglorum Archiepiſcopis directum, alter illorum, qui prior ſit in ordinatione tempore* ( in Volum. Concil. præcedit *ità*)*ipſe & quoad vivat, prioratum teneat, & in ordine. Penitus enim determinatis utriuſq; Eccleſiæ diœceſibus, omniq; excluſa altercandi occaſione Canonica ſub diſtrictione interdicimus, ut neuter earundem Eccleſiarum invadere alterius parochiam præſumat, vel quibuscumq; jurgiis, aut diſceptationibus ſuper definitis à nobis modò rebus alter alterum ſolicitare audeat. His igitur ſedatis, venerabilem confratrem noſtrum Piligrinum Archiepiſcopum, canonicis literis munitum, Sedi S. Laureacenſis Eccleſiæ inthronizavimus, palliúmq; ei ſecundùm antiqvum ejuſdem Eccleſiæ ſuæ uſum, direximus, atq; in provinciis Avariæ* ( in Volum. Concil. *Bavariæ* ) *regionúmq; inferioris Pannoniæ ſive Mœſiæ, & in contiguis ſibi Sclavorum nationibus circumquaque manentium, noſtram*

*Apo-*

*Apoſtolicam authoritatem, & vicem exercere committimus, atq; delegamus; quatenus illic more anteceſſorum ſuorum S. Laureacenſis Eccleſiæ Archiepiſcoporum, habeat poteſtatem presbyteros & Epiſcopos ordinare, atq; conſtituere, & ex prædictis gentibus ſua ſancta prædicatione parare Domino plebem perfectam.* Hucuſq; epiſtola. Attribuit ergo Benedictus, ut verba ſonant, Sacerdotio Laureacenſi Pãnoniam inferiorem, & huic conterminam Mœſiam; tum deinde Noricum regionem, quæ poſterioribus ſeculis Avaria, & Bojaria dicebatur; Moraviam deniq; cum finitimis Sclavorum terris; Salisburgenſi autem Pontificatui aſſignavit ſuperiorem Pañoniam non omnino totam, alioqui jurisdictio Laureacenſis interrupta fuiſſet: aut certè ſuperiorem Pannoniam ſumpſit pro Savienſi, quod apparet ex compoſitione Reginoburgi anno IↃCCCXXIX. arbitro Ludovico Rege facta. nam ſecundùm ejus tabulas Reginario Patavienſi Antiſtiti ceſſit in jurisdictionem Pannonia Occiden-

*Diœceſium Salisburgenſis, & Laureacenſis termini.*

cidentalis & Aquilonaris, Adalramo Juvavenſi Auſtralis. Vocula *ſive* adjuncta Mœſiæ in extrema epiſtola, videtur poſita eſſe vice voculæ & more ſcriptoribus illorum temporum uſitato: aliter vis, & ſenſus illius verbi ineptam reddet ſententiam. Pañonia enim & Mœſia eandem provinciam ſignificabunt. Laureacenſes Præſules edocebant quidem Romanos Pontifices, de quinis ſeptenisq; majoribus ſacerdotiis, quæ adjuncta fuerunt Laureacenſi, nunquam tamen ea ſuis nominibus appellabant, maximæ proterea hic tenebræ. Quippe Romanis adhuc rerum dominis plura in ſola Pannonia, fuerunt. In Marcomania aliqua extitiſſe, dicere quiſquam forſitan poterit, probare non item. In Mœſia autem nullum certum ſacerdotium parebat Laureacenſi, ſed tota regio poſterioribus ætatibus ei ſubjecta erat; in qua tamen *Metropolitæ* officio ſuo fungi ob iniquitatem temporum non potuêre. Cùm autem Benedictus *Papa* dicit, Laureacenſem

*Laureacenſi Sedi obnoxii Epiſcopatus.*

ſem Eccleſiam antiquitate, & dignitate præſtitiſſe omnibus Pannoniæ Eccleſiis, evidens & perſpicuum eſt, ejus ævo omnem gloriam, & memoriam Sirmienſis *metropolis* oblivione obrutam fuiſſe; cujus quidem urbis decora Juſtiniani Novella XI. ita exſequitur, *Antiquis temporibus Sirmii præfectura conſtituta, ibiq; omne fuit faſtigium tam in civilibus, quàm epiſcopalibus cauſis.* Jam autem patuit, Pannoniam quondam Illyrico complexam fuiſſe; & Sirmium ſi non in ſinu Pannoniæ, intra limites ejus certè ſitum fuiſſe, nemo literatorum ignorare poteſt. Conſectarium igitur eſſet, Pontificem illius urbis cunctos quoq; Pannoniæ ſacrorum Antiſtites imperio, & jurisdictione anteiſſe. Multa tamen recentiores ſcriptores de *metropolibus* illis diſputant, aliiq; Sirmienſem, alii Laureacenſem in ampliore, & antiquiore gradu collocant. Ego permiſſa cuiq; quidvis ſentiendi poteſtate, utramq; vetuſtate commendabilem, utramq; profuſo Chriſtianorum ſangvine

*Sirmienſis metropolis in oblivionem venit.*

*Sirmii laus, & eminentia.*

*De Laureaci, & Sirmii primatu hiſtoricorum contentio.*

 cla-

*Opinatio de ea controverſia.*

claram fuiſſe pervideo. Opinor autem inde à principio Laureacenſes Põtifices primùm in Norico primas tenuiſſe, deinde infecta Arii labe Pannoniâ ditionem protuliſſe, deniq; occupato ab Avaribus Sirmio, atq; ad extremum everſo alieniſſimis rei Chriſtianæ temporibus nonnihil laborando jurisdictionẽ, quam Eccleſiæ rectores ratam habuerunt, ad fines ejus provinciæ propagâſſe. Quod autem Benedictus VII. aſſerit, credi, Laureacenſem Eccleſiam, ceteras omnes Pannonienſes antiquitate, & honore anteceſſiſſe, id inde provenerit, quia vel ſolùm tempora Theodori Laureacenſis Pontificis cogitatione reſpexit, vel, prout edocebatur, exiſtimavit, Laureacum fuiſſe in Pannonia. Quippe Noricum ſerme in oblivionem venerat. Nemo enim ſcriptorum (quod equidem ſciam) fractis ad Danubium Romanis rebus, & Erulis ab Odoacre circa annum CCCCLV. in Italiam traductis, ejus meminit, præter Aribonem in *Vita* S. Corbiniani. Vigilius

*Norici nomen propè abolitum preſſis bello Romanis.*

us Papa, ut apparet ex Juſtiniani Imp. *Miſcella* CXXXI. *Cap.* III. ſinè dubio poſt deceſſum Theodori Laureacenſis, Præſuli Juſtinianæ Primæ detulerat, vel potiùs conceſſerat honorem *Patriarchicum* in Dacia Mediterranea, Ripenſi, & Privali; tum præterea in Dardania, Myſia ſuperiore, & Pannonia. Id verò factum fuerit anno IↃXLVII. quo Vigilius ab eo Imperatore evocatus Conſtantinopoli verſabatur. Verùm hæc conceſſio neq; diu viguit, neq; valuit. Oppido illi Thraciæ, Juſtiniani Cæſaris patriæ, ex priore fortuna nihil eſt reliqvum. Atq; hæc omnia arbitror cum ſupradictis conſentire. Valuerit autem decretum Benedicti PP. donec nova inſignia ſacerdotia in Ungaria, Sclavonia, & Moravia inſtituerentur. Quo autē añо ſcriptæ fuerint eæ literæ, vix quiſquam exploraverit. Neq; enim ex ſerie annorum Principis illius Eccleſiæ, neq; ex Imperatoris ac reliquorum, quibus inſcriptæ ſunt, certus omnino erui poteſt. Melchior Inchoffer

*Vigilius Papa præficit Pannoniæ &c. Epiſcopũ Juſtinianæ Primæ.*

*Juſtiniana Prima in Thracia.*

*Piligrini, & Benedicti VII ſupra poſitæ epiſtolæ quo anno ſcripta.*

& eas, & Piligrini anni IↃCCCCLXXX. rebus inſerit: verùm ad aliquem ex ſenis antecedentibus referendæ ſunt; ſiquidem ille ipſe firmiſſimè ſtatuit, D. Adalbertũ non à Wolffgango Ratiſponenſi, ſed à Wilegiſo, vel Willigiſo Moguntino Pontifice Antiſtitem creatum eſſe: epiſtola autem à Benedicto ſummo Præſule etiam Hrodberto Moguntinorum Epiſcopo, qui Vilegiſum anteceſſit, inſcripta fuit. Vilegiſus itaque mortuo Hrodberto ante inaugurari ipſe debuit, quam Adalbertum inauguràſſet. Credendum autem eſt Lamberto, Sigeberto, aliisq; vetuſtis Adalbertum ſacris pontificalibus imbutum eſſe anno IↃCCCCXXX. Sequitur igitur Vilegiſum jam antea ſacerdotio Moguntino præfuiſſe. Verùm controverſia hæc aliunde dijudicatur. Siquidẽ Hoderbertum, & Diodericum, ſive Diotricum, quibus etiam inſcripta fuit ea epiſtola, anno IↃCCCCLXXV. defunctos eſſe, tum antiqui, tum hujuſce ætatis clariſſimi, quos honoris causâ nominare poſſem, conſen-

*D. Adalbertus M. factus Epiſcopus Pragenſis.*

ſentiunt chronici. Appoſitè autem tradit Inchoffer, inclytum illum virum ab Ottone II. Imperatore Veronæ Pragenſium Præſulem deſignatum eſſe per traditionem pedi. Ottones enim ceterà pii Principes *Pontificium* ſibi malè arrogabant.

# CAPUT VIII.

## *De ceteris rebus Ungaricis uſq; ad annum* CIↃ.

SCriptores, qui de rebus D. Stephani primi Ungarorũ Chriſtiani Regis commentantur, antequam natalem ejus exequantur, prænarrant viſa Gejſæ Ducis ac Saroltæ parentum, quæ à Numine profecta eſſe perhibentur. Viſa enim dormientibus à Deo aliquando mitti, divinæ docent literæ. Et Euſebius (*in Vita Conſtantini Lib. I. Cap. XXIX.*) teſtificatur, ſecundùm quietẽ Conſtantino M. Chriſti imaginem oblatam eſſe. Communis itaq; ſenſus hiſtoricorum noſtratium eſt; Gejſam, poſtquam ſe cul-

*Viſiones Gejſæ, & Saroltæ de ortu D. Stephani Regis; de quibus etiam meminit Breviarium patriũ.*

ſe cultui Chriſti conſecravit, dies noctésq; cum animo ſuo cogitâſſe, quo demum modo repugnantes, ac ſuperſtitione ebrios Ungaros, tanquam militare genus hominum, in caſtra Chriſti pertraheret. Dúmq; in ea re tam pia, támq; ſalutari omnem curam defigeret, in quiete cœleſtem genium ei ſeſe objeciſſe, dixiſséq;: bono eſto animo Geiſa, filius, quem ſuſcipies ex conjuge tua, deſtinata tua effecta reddet. Conjugi quoq; ejus, ad pariendum vicinæ, ferunt in ſomnio D. Stephanum, primum Chriſti athletam invictum, ſe obtuliſſe, & de filio, quem editura erat, planè confirmâſſe, ac inſuper monuiſſe, ut Stephani nomen illi imponeretur; quia nimirum in tutela ipſius futurus eſſet, & primus diadema apud Ungaros conſecuturus. Facem ad hæc literis mandanda ceteris ſcriptoribus prætulit Cartuitius Epiſcopus, luculentus hiſtoricus; qui librum, quem de rebus D. Stephani compoſuit, Colomano Regi dedicavit. Si quis autem ea veris ſomniis,

mniis, ridiculis ac fabulis annumeraverit, coarguet profectò illum monumentis Romanis, & literis ſuis Bonifacius VIII. P. quas ad Nicolaum Oſtienſem, & Vercellenſem Epiſcopum, cùm eum in Ungariam anno ſui Pontificatûs VII. Chriſti nati CIↃCCCI. legaret, XVI. Calendas Novembris dedit: Verba autem & ſententiæ, quæ argumento præſenti maximum pondus addunt, ſummi illius ſacerdotis ejuſmodi ſunt: *Adhæc nolumus te latere, aut in dubium revocari, quod memoratum* Ungariæ *regnum ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ à Beato Stephano primo Rege Chriſtiano, cum omni ejus jure ac poteſtate devotè oblatum fuit, & traditum reverenter; qui etiam ad ipſius regni ſolium noluit auctoritate propria ſublimari, ſciens quòd nemo ſibi ſumere debet honorem, niſi qui vocatur à Deo; & ideo non à quolibet, ſed à Vicario* JESU *Chriſti, & ſucceſſore Petri aſſumpſit regium diadema. Fuerat quidem divinitus revelatum, quòd ei primùm in gente* Ungarica *corona debebatur, & regnum; ſicut hæc pleniùs documenta,* *quæ*

*Viſa eadẽ firmantur quibuſdã ſcriptis in tabulario Romano repoſitis.*

*quæ ſervantur in archivis memoratæ Eccleſiæ Romanæ, teſtantur.* Hactenus Bonifacius. Totas literas invenies apud Odoricum Raynaldũ.

*Præterea auctoritate Andreæ II. Regis.*

Eſt in eam rem teſtimonium quoq; domeſticum, & quod ad veritatem oſtendendam firmius eſt, regium, Pontificióq; illo antiquius referente eodem ſcriptore in rebus anni CIↃCCXXXIII. ubi Andreas II. R. Ungariæ ad Jacobum Epiſcopum Præneſtinum ſcribens hæc memorat: *Sed etiam parentibus ejus fuerat divinitus revelatum, quòd ei in gente noſtra corona debeatur, & regnum.*

*Additamentum Bonfinii erroneum de illis viſionibus.*

Dictis illis aliquid novi appingit Bonfinius, cùm (*Rerum Ungar. Dec. II. Lib. I.*) in hæc verba ſcribit: *Gejſæ animus &c. fluctuat, ecce divina clementia, quæ cultoribus ſuis ſemper occurrit, per cœleſtem ex alto interpretem, in ſomnis eum conſolatur, omnem ſolicitudinem deponere, ac bono animo eſſe jubet; neq: eum tali cura vexari oportere, ut ſacella dicet, ſacroſanctos introducat Antiſtites, Scythicámq; gentem de profana religione vindicet, quando ſanguine pollutas manus habet.* Hæc hiſtori-

ſtoricus ille, bis à veritate deflectens. Ridiculè enim, ſi non impiè comminiſcitur, cœleſtem genium Gejſam dehortatum eſſe, ne ædiculas dicaret, néve operarios *Apoſtolicos* acciret; deinde ne ingeniosè quidem fingit, Gejſam, Principem ſtudioſiſſimum pacis ac ſervantiſſimum æqui, patratorem cædium, & quacunq; demum ratione ſangvinarium fuiſſe. De anno, quo in lucem editus eſt D. Stephanus, ſanè quàm diſcrepant inter ſe auctores. Primus Annalium patriorum ſcriptor, quem auxit Turocius, exiſtimat, natalem ejus incidiſſe in año̅um Chriſti IↃCCCCLXIX. cui adſtipulatur Ranzanus. Idem ſentit, quisquis ille fuit, qui breviter res D. Stephani R. perſtrinxit, & decretis ejus præpoſuit. Melchior Inchoffer, quem ego in *Synopſi Rerum Ungaricarum* ſecutus ſum, ortum ejus in rebus añi IↃCCCCLXXXV. attingit. Franciſcus Otrocotſius in *Hiſtoria Eccleſiaſtica* ſentit, ortui S. hujus Regis congruere annum minimùm IↃCCCCLXXVI. Conſideratè profectò

*De anno, quo natus ſit D. Stephanus auctorũ ſententia.*

is, &

is, & nervosè refellit meam, & Inchofferi opinionem, expendens adminiſtratum ab eo bellum altero anno, quàm pater deceſſit; tum deſignata ſacerdotia, aliáq; egregia cogitata atq; facta, quæ in cœlum fert Silveſter Papa literis anno CIↃ. ad Stephanum datis. Quis enim belli ſummam? quis conſtitutioñe ſacrorum crederet adoleſcentulo? ac penè puero? Tantæ támq; eximiæ ac divinæ res certè attribui non poſſunt juveni quintum decimum annum agenti. Grandiorem itaq; natu illum fuiſſe oportuit, dum guberna reipublicæ tractare cœpit. Quare concedendum eſt in ſententiam primi Ungaricorum Annalium conditoris. Cani quoq; ab antiquis artificibus in picturis D. Stephani expreſſi longævã ætatem viri arguunt. Quoniam verò faſti Romani notant, Adalbertum Ungarorum *Apoſtolum* fuiſſe, ſcriptoréſq; plures prædicant, ab eo luſtrali aqua tinctum, imò & educatum eſſe D. Stephanum, pro certo habendum, eundem inclytum

*D. Adalberti longior commoratio apud Ungaros ante ſuſceptum Pontificatum.*

tum *Martyrem*, diutinè in Ungaria verſatum fuiſſe, antequam Pragenſem Pontificatum adipiſceretur. Nam eo munere fungens, & per vices Augiæ ſtabulum, ut ſic dicam, Pragæ purgans, maximis occupationibus implicabatur. Non negaverim tamen, eum Pragâ aliquando excurriſſe in Ungariam; ſiquidem Otto II. per literas, quarum exemplar legi, ejus, ut Pontificis Pragenſis, jurisdictionis terminos ad flumen Vagum prolatavit. Erraverunt itaq; à vero, & procul erraverunt Baronius, Spondanus, & Balbinus, errorem Bonfinii, vel potiùs vitium librarii ejus conſectantes, qui natalem D. Stephani in annum ıɔcccclxxxıx. incidiſſe, & tum primùm Chriſtiana myſteria ab Adalberto Ungaris explanata fuiſſe annalibus ſuis prodidêre. Abluerat itaq; jam pridem Chriſtiano ritu Stephanum Adalbertus, patre luſtrico Theodato, Comite Bohemo, quem Stephanus Tatam appellare ſolitus erat. Vocabulum autem Tata non modò a-

*Stephanum ab Adalberto ablutum ſuſcipit ex ſacro fonte Theodatus Com. Bohemus, vel Apulus, ut ſcribit Wenceslaus Hagecius in rebus anni 990.*

pud plures gentes hodie, ſed olim apud Romanos infantes crebrò uſurpabant. Ludit enim de tatis, & mammis Martialis. In cujus rei memoriam Theodatus caſtellum Tatam ædificavit, & *Abbatiam* SS. Petri & Pauli App. inſtituit. Ne verò poſthac iis de rebus quiſquam ambigat, noverit effata eſſe Belæ IIII. Ungariæ R. & extare in diplomate inſtitutionis, vel potiùs renovationis *Abbatiæ* illius Tatenſis. Ex eo diplomate præterea intelligere licèt, à Theodato Com. Gejſam, & Stephanum in conciliandis Chriſto Ungaris re, conſilióq; multum adjutos eſſe. Ex Sarolta conjuge inſuper ſuſcepit Gejſa Dux filiam Judith, quam Bolesla o filio Miecislai Ducis nuptam tradunt. Secundo conjugio cum Adleida ejuſdem Miecislai ſorore, femina rei Chriſtianæ in Ungaria amplificandæ ſtudioſa, devinctum fuiſſe, ſcripsêre Poloni. Quo autem anno ad ſecundas has nuptias proceſſerit, inenodabile eſt. Liquet, propter ea coñubia in familia regia

*Geiſa Ducis alterũ matrimonium cum Adleida Polona.*

utri-

utriuſque gentis magnã neceſſitudinem diu viguiſſe. Sub hæc D. Adalbertus optimè atq; *Apoſtolicè* de Ungaria meritus apud inconſtantes adhuc, & ſceleribus contaminatos Bohemos actum ſe agere videns, in Pruſſiam contendit, ubi in ſupercilio cujuſdam montis ſeptem lanceis confoſſus, pro Chriſto ſangvinem profudit. Ejus occaſu mirum in modum reſplenduit Eccleſia. Tantum auri ad ſacoma, ut ferunt, à Duce Polonorum appenſum eſt, ac Pruſſis datum pro redemptione corporis ejus, quantum pependit ipſum corpus; quod ſubinde Gneſnam delatum plurimis miraculis occaſionem aperuit. Triennio poſt Otto III. Imp. præciſas manus Romam deportavit, templúmq; Deo nomine illius in inſula Tiberina dicavit. Strigonii quoq; ædes maxima ei, & Virgini Matri ſacrata fuit. Ortus eſt, ut quibuſdam placet, genere ampliſſimo Urſinorum. Proinde ſtirps quoque Blagaiana, quæ occupatâ à Turcis plurima Croatia Labaci domi-

*Adalbertus vitam pro Chriſto reddit anno 997. aliqui notaverunt. 995.*

cilium collocavit, velut pars Urſinæ majoribus ſuis eum annumerat. Dum plures pluréſq; Ungarorum Chriſto auctorantur, D. Piligrinum inter paucos præclarum Ungarorum Apoſtolum ad percipiendam laborum mercedem à Deo evocatum eſſe VI. Nonas Majas anno Iↄccccxci. conſentiunt ſcriptores. Laudes ejus proſequitur Inchoffer. Sub idem tempus quanto ſtudio in amplificanda Dei gloria elaborârit, quoad vixit, Dux Gejſa, piè divinando recenſet Ranzanus. Mihi autem exploratum eſt, eum non pauca templa reſtituiſſe, multa à ſolo ædificâſſe, viros devotos ex variis partibus, ac præſertim ex Italia advocâſſe, & *cœnobia* aliqua inſtituiſſe, quæ poſtea Stephanus hæres auxit. In his fuit ad D. Martini in monte Pannoniæ princeps. Agebat in eo, ſtatim atq; inchoatum eſt, Benedictus, admirabilis abſtinentiæ, & corporis affligendi ſtudio memorabilis vir, natione Polonus; qui quotannis impetrata egrediendi facultate, & acceptis à Pa-

*D. Piligrinus obit.*

*Gejſa D. acta.*

*D. Martini, & Zoborienſe Monaſteria conſtituit.*

*D. Benedictus Ord. D. Benedicti mirè ſeſe affligans.*

à Patre collegii XL. nucibus in ſolitudinẽ illã Nitrienſem ſe conferebat, vernúmq; jejunium quotidie una duntaxat comeſa juglande exigebat. Adhæc ventrem zonâ præcinxit ferreâ, quæ cutem corroſit, atq; ad interiora pervaſit. Obducta erat cicatrix, præterquam ubi nodus Zonæ fuit. Propter tam duram atq; inauditam corporis tractationem in album *Martyrum* relatus, colitur XVI. Calend. Augusti per Ungariam totam, Nitriæ peculiariter. Mandavit ea, quæ recenſui, literis Maurus Quinqueeccleſienſis primus Antiſtes, ſpectator actionum Benedicti, utpote qui per id tempus in *cœnobio* illo puer literas Latinas didicerit. Verè Benedictus hic violentus in cœlum irrupit. Tu mollis, aut qui afflictationem corporis derides, nec unquam bellum ventri indicis genio uſq; indulgens, quâ illò te intrudes? ſi porrò Maurus primus geſſit tiaram Quinqueeccleſiarum, & ſacerdotium in eo oppido, ut perhibent, conſtitutum eſt anno

*Adi Breviarium Strigonienſe auctoritate Nicolai Olahi editum.*

 CIↃV.

ciɔv. efficitur, cœnobiũ D. Martini multis ante annis à Gejſa Duce inchoatum fuiſſe. Quomodo autem idem Dux ſuprema ſua ordinârit, rurſus conjectura potiùs, quàm notione quapiam aſſequi conati ſunt Bonfinius, Ranzanus, & Inchoffer. Obiit autem diem ſuum anno ıɔcccccxcvıı. Duobus conſequentibus annis D. Stephanus bellum geſſit cum Cupa, Comite Simegienſi, æmulo ſuo. Ob id profligatum, & alterum Germanicum gliſcens, ac poſtea feliciter reſtinctũ, decimas agri Schimegienſis attribuit *Cœnobio* D. Martini. Diſſident verò inter ſe hiſtorici de tempore, quo Stephanus regali poteſtate Ungaris præeſſe cœpit. Bonfinius, & Inchoffer adhuc vivente patre eum Regem declaratum fuiſſe aſſerunt, alii titulum Ducis triennio ſuſtinuiſſe, quarto autem Principatûs anno, qui fuit ciɔı. regium illi honorem delatum eſſe putant. At iſtud vix quiſquam prudenter tueri poteſt, niſi celebri Silveſtri II. Papæ epiſtolæ fidem abrogare

*Geiſæ D. exceſſus.*

*D. Stephani bellum cum Cupa.*

*Quo anno D. Stephanus Rex declaratus, & factus.*

gare velit. Ea enim anno CIↃ. VI. Calendas Aprilis data, celeriter in Ungariam perferri, eóq; ipſo anno promulgari, & Stephanus Rex creari potuit, niſi fortè ſolennia in annum ſequentem prorogata fuiſſent: fama tamen ferebat, jam anno priore illum ritu Chriſtiano factum eſſe Regem. A Benedicto VII. Papa, aut Gregorio V. miſſum fuiſſe eidem diadema, quorundam opinio fuit, quæ ſenſim evanuit. Nemini aſſentari ſtudeo, neq; quicquam quod ad gloriam cujuſquam gentis faciat, continuò amplector, ſed exploratum in commentarium refero. Antea animi pendebam, & hæſitabam, an epiſtola illa, quā primus Melchior Inchoffer Annalibus ſuis inſeruit, eſſet verè Silveſtri II. Pontificis max. Cauſa dubitationis erat, quia in eo tabulario, in quo eam repoſitam eſſe, indicavit, inventa non eſt. Nunc ad rem comprobandam ex ſcriptis eorum, qui ætati D. Stephani propiores fuerunt, accipio argumentū. Andreæ II. Regis Ungariæ illa ſenten-

*Epiſtola Siveſtri II. Papæ ad Sanctum Stephanum ſcripta, vera eſſe oſtenditur.*

tia, quam ſuprà poſui, & iiſdem indita literis iſta, *Pontifex eum vocavit Apoſtolum gentis noſtræ*, cum ſententiis Silveſtri mirè cohæret. Chartuitius verò in *Vita* ſancti Stephani Regis, & epiſtolæ Româ allatæ mentionem facit, & quibuſdam dictis Silveſtrinis utitur. Dicta autem duorum virorum, temporum locorúmq; intervallo disjunctoru͂ caſu, & fortuitò concurrere non poterant. Quare maneat ac fixum ſit, epiſtolam illam integram ſinceràmq; eſſe. Quamobre͂ verò ſummus ille Eccleſiæ moderator Ungaricam gentem ſibi *ignotam* dixerit, varius eſt ſcriptorum ſenſus. Inchoffer obſcurè ſignificat, ideo eo nomine appellatam eſſe, quia nondum conſtabat eam Chriſtianam eſſe, ſummóq; ſacrorum præſidi aliquibus rebus obſtrictam. Otrocotſius primum id vocabulum ſumit pro vili & abjecto, quomodo illud quodam loco ſumpſit Svetonius; deinde accipit pro incerto, hac ratione inductus, quòd Silveſtro in viſo non fuit nominatim natio

*Dicta Silveſtri P. & Chartuitii eadem:* Ignotæ gentis. Divina gratia docebit. Eccleſias vice noſtra ordinandas.

*Ungarica natio, cur ignota, ab Silveſtro PP. appellata?*

natio objecta. Ego opinor, ignotam vocatam eſſe propterea, quia non ſatis nota erat, & legatio ejus accidit inexpectata. Prorſus enim incognita, viro omnibus ingenuis diſciplinis præſtanti, maturóq; ævi, qualis erat Silveſter, eſſe non potuit. Deſpectam autem, & contemptam nationem dicere, neq; ſummum Pontificem decuiſſet, neque ad rationes Eccleſiæ utile fuiſſet. Hic metam operi laboriq; pono, ardenter cupiens ut ab omnibus

**LAUDETUR JESUS CHRISTUS.**

# INDEX NOMINUM ET RERUM.

## A.

*Abari* vide Avares. *Pagina.*
S. *Adalberti* longior commoratio apud Ungaros. 400.
S. *Adalbertus* factus Epiſcopus Pragenſis. 394.
S. *Adalbertus* ſacro fonte abluit S. Stephanum. 401.
*Adalramus* Epiſcopus Salisburgenſis conſecrat templum Nitriæ. 276.
S. *Adelbertus* metropolita Magdeburgenſis. 371.
*Æmona* 31.
*Albanus*, & Bebii montes ubi. 14.
*Ambroſii* & Juſtinæ Aug. ob Sirmienſem Epiſcopum altercatio. 78.
*Amutrium* oppidum. 130.
*Anaſtaſius* Imp. fit ſtipendiarius Sclavorum. 202.
*Anchialum* Thraciæ. 92.
D. *Andreas* Apoſtolus an fuerit in Scythia Europæa. 147.
*Anemii* Sirmienſis Epiſcopi dictum 78.
*Annium* unde dictum. 132.
*Apulum* colonia Romana. 133.
*Aqvicum* vel Acincum urbs. 46.
*Arianorum* Epiſcoporum Pannoniæ perfidia. 74.
*Ariminenſis* conventus acta. ibid.
*Arno* Salisburgenſis Antiſtes deſignatus. 257.
reſtituit ſacra in Pannonia. 260.
ſufficit ſibi Theodoricum. 261.
*Arnulphus* per Hunnoavares advocat Ungaros. 321.
*Arnulphus* R. cum Ungaris opprimit Svatoplugum. 323.
idem Romam capit. 328.
Ungaros non remunerat & obit. 329.

*Attila.*

Pagina.

*Attila* regnum. 179.
ad eum Romanorum legatio. ibid.
Romanos vicit feliciter. 180.
eidem ſtipendiarii Romani. 181.
*Attila* cum Theodoſio Imp. fœdus. ibid.
Maximinus cum Priſco ad eundem legatus. ibid.
itineris legationis deſcriptio. 182.
ejuſdem palatium ex qua materia. 184.
*Attila* modus epulandi. ibid.
in ejuſdem convivio ordo accumbentium. 185.
filiorum adverſus eum obſervantia. ibid.
miſſus primus in convivio ejuſdem. 186.
idem nil niſi carnes eſitabat. 187.
miſſus ſecundus in eoodem convivio. ibid.

*Attila* duo Scythæ laudes canunt. ibid.
morio ejus. 188.
ejuſdem ſeveritas. ibid.
ſimplex amictus ejuſdem. 189
Reca uxor ejus dat epulum legatis. 190.
Crecæ alteri uxori Attilæ legati munera præbent. 191.
Eſca nova nupta ejus. ibid.
cur vaſtârit Italiam & Galliam. ibid.
Sub ſignis ejuſdem militantes nationes. 192.
idem exigit vectigal à Marciano. 193.
*Attila* obitus. ibid.
ejuſdem filii de bello Romanis inferendo diſcordes. 195.
à Gothis propelluntur & Pannonia ejiciuntur. 199.
*Aurelius* Probus Imp. 60.
*Aureus* mons. 93.
*Auguſta* Prætoria. 130.
*Auguſta* Viminacium Mœſiæ oppida. 92.
*Avarum* etymon incognitum. 209.
iidem junguntur Hunnis Dacicis & Boſphorianis. ibid.

iidem

iidem quales populi, & unde venerint in Daciam? ibid.
*Avarum.* nuncii ad Juſtinianum Imp. miſſi. 210.
eorundem nuncii Gandicis poſtulata apud Juſtinianum Imp. ibid.
eorundem ſedes in Aſia excutiuntur & deteguntur. 212.
*Avarum,* Principes dicti Chagani. 213.
iidem terram petunt ab Juſtiniano Imp. 214.
iidem petunt vectigal ab eodem Imp. nihilq; obtinent. ibid.
*Avarum,* Chaganus promittit auxilia Alboino R. Longobardorum certis conditionibus. 215.
iidem populi luſtrant Germaniam. 216.
perdunt interea tractum Sirmienſem. 217.
Singidonem, Auguſtam, Viminacium expugnant. 222.
*Avarum.* & Bulgarorum conjuratio. 240.
iidem à Grimoaldo evocantur. 241.
quo eventu. 242.
iidem an ſine rege in Pannonia. 262.
queruntur de Sclavis. 263.
vide Hunni.

## B.

*Baſſiana.* oppidum. 49.
*Bato,* Rex Bannoniorum ſubactus. 57.
*Belgradum.* eſt potius Singidunum quam Taurunum. 41.
*S. Benedicti,* ex ordine Benedictino auſteritas vitæ. 404.
*Berengarius.* avertit pecuniâ Ungaros ab Italia. 356.
*Berengarius.* Imp. elicit Ungaros cum detrimento Italiæ. 346.
*Beſſi* & Gothi primùm Chriſtiani. 148.
*Bibalis,* ſive Cibalis. 49.
*Boazer,* femina princeps ſtudioſa Chriſtianorum. 204.
*Boeribiſta,* R. Dacorum cæſus à Romanis. 123.
*Bogaris,* Bulgarorum Princeps Chriſtum Deum eſſe confitetur. 280.

*Bohemorum*, proceres facti Chriſtiani, & atritio copiarum Ludovici Regis. 281.
*Boi*, Taciti qui populi. 111.
*Bononia*, oppidum { 26. 48.
*Boruthus*. R. Sclavorum. 243.
*Bregetium*, urbs. 21.
*Bruno*, Nitrienſis regulus. 283.
*Bulgari*, illæſi à Carolo M. 259.
iidem vincunt Michaëlem Imp. 265.
iidem Schiſmatici. 286.
infeſtant Græcos. 344.
*Bulgarorum*, & Sclavorum ejuſdem originis gentium eruptiones incipiunt. 203.
*Buloſudes*, dux Ungarorum fit Chriſtianus. 363.
*Burgundiones*, preſſi ab Hunnis fiunt Chriſtiani. 170.

C.

*Calapis*, vide Colapis.
*Candanum*, 100.
*Carnuntum*. { 22. 45.
*Caroli M.* contra Hunnos pugnandi cauſa. 250.
ejus belli initium. 251.
in Pannoniam progreditur. 253.
ab eo belli cum Hunnis geſti ſumma. 258.
idem accerſit ad ſe Hunnos. 264.
*Carpatus*, mons diverſus à montibus Sarmaticis. 99.
*Carpis*, oppidum. 47.
*Carrodunum*, oppidum Cracovia eſſe putatur. 120.
*Cataractæ*, Danubii. 125.
*Catraguri*, reipublicæ Conſtantinopolitanæ pernicioſi, vectigal extorquent ab Juſtiniano Imp. 206.
*Chaba*. filius Attilæ fictus non rediit in Hunniam. 194.
*Chaganus I.* indignans emittit in Dalmatiam Cotriguros. 218.

ejuſ.

ejuſdem poſtulata ter rejecit Juſtinus. ibid.
eundem inter & Juſtinum pax aliqua. 219.
idem obſidet Sirmium perfidioſè, quod Tiberius jubet ipſi dedi. ibid.
*Chaganus II.* Curſus, adoritur Choſroëm & fugat. 221.
idem reſpuit munera Mauritii, ſtatum tributum exigit, nihil impetrans, bello petit eum. 222.
malè tractat Mauritii legatum, & acceſſionem tributi extorquet. 224.
ejus invectio in Mauritium & Phocam. 226.
Thraciam ſubigit. 228.
ejuſdem benignitas. ibid.
ejuſdem modeſtè dictum. 229.
ejuſdem ſeptem filii peſte ſublati. 230.
ejuſdem pax cum Mauritio Imp. ibid.
idem in Forum Julii infeſtus. 231.
*Chaganus III.* ſimulat amititiam cum Heraclio. 234.
ejuſdem regnum & interitus. 258.
invitatur ab eo Heracleam. ibid.
inſidias tendit Heraclio. 235.
*Chertobalus* oppidum. 45.
*Ciabrus* fluvius quis? 91.
*Cibalis* oppidum. 49.
*Claudiopolis* quodnam oppidum veteribus fuerit? opiniones. 133.
fuit municipium & colonia ſexta Trajani. 140.
ante quadringentos annos ab Hungaris appellabatur Clus, deinde Colus & Colosvarinum. 142.
non eſt à quoquam Claudio Imp. condita. ibid.
*Claudius* mons. 12.
*Colapis* fluvius. 10.
*Colonia* Perendaneſiorum. 131.
*Colonia* in Dacia Romanæ. 140.
*Coloniæ* Romanorum ætate Plinii in Pannonia duæ. 10.
poſtea plures. 36.
*Comidava* quid & ubi. 132.

*Concilium* Sirmii, cui intereſt Liberius Papa. 72.
*Conradus* dux Lotharingiæ ab Ungaris occiſus. 359.
idem non fuit Imp. 360.
*Conſtans* Imp. 63.
*Conſtantinus* Imp. ſtipendiarius Bulgarorum. 245.
idem quamobrem tantopere ſtuduerit Arianis. 77.
ejuſdem elogium. ibid.
*Cornacum*, Acumincum, Rittium. 48.
*Cornu* quoddam apud Ungaros memorabile. 360.
*Creca* uxor Attilæ. 393.
*Croatis* & Serviis Baſilius Imp. concedit terras. 310.
*Cubrati* Bulgarorum ducis cum Chagano inimicitiæ. 238.
*Curta* oppidum. 46.
*Cuſus*, Granous, amnes. 99.
*Cuſſal* R. Ungarorum in prælio oppetit. 341.
*Cuſſalis* R. Ungarorum nuncii. 310.
*Cyrillus* & Methodius in Moraviam veniunt ac placent populis Sclavonicis. 288.
Romam proficiſcuntur. 289.
purgant ſe in conſilio Romano. ibid.
*Cyrillus* inventor literarum Glogoliticarum. 290.

## D.

*Dacia* non fuit Dania appellata. 122.
ejuſdem termini. 125.
ejuſdẽ fluvii inferiores Abiſtus, Rhabon, Aluta, 126.
tota non fuit à Trajano ſubacta. 138.
*Daciæ* duæ & quæ? 71.
earum oppida. 127.
*Daciæ* Romanæ limites. 138.
ejuſdem diviſio. 139.
*Dacorum* appellatio. 121.
inſtituta. 125.
*Daciam* ſubigit Trajanus victo Decebalo. 135.
eandem iterum Trajanus ſubigit. 137.
*Dagoberti* Francorum R. legatio ad Samonem Sclavorum Regem. 238.
*Dalmatiæ* nomine S. Hieronymus comprehendit

Libur-

Liburniam Pannoniæ finitimam provinciam. 84.
*Danubius*, ubi nomen Iſtri accipiat, & ejuſdem cataractæ. 125.
*Decebalus*, Trajano ſupplex. 135.
idem inſidias ſtruit Trajano. 136.
*Decidava*. 132.
*S. Demetrius*, Martyr. 86.
*Denſices*. filius Attilæ movet in Romanos bellum. 196.
eidem doloſum reſponſum datum ab Imper. Marciano. ibid.
idem ferro ſternitur. 200.
*Denſicis*, & Irnachi filiorum Attilæ legatio ad Imp. Marcianum. 195.
*Diſſidium*, Pontificum Laureacenſis & Salisburgenſis. 351.
*Diſſidium* ſcriptorum de ſitu Pannoniæ oppidorum. 37.
*Docirana*, quid? 134.
*Domitianus*, Imp. vectigalis Dacis. 124.
*Dorpaneus*, R. Dacorum Romanos in Dacia delet. ibid.
*Dravi*, *Urpani*, Valdani fluminum oſtia. 30.
*Durſacius*, & Bugotus creantur Reges Ungarorum. 341.

E.

*Epiſcopatus*, Pannoniæ. 67.
*Epiſcopatuum* loca inquiruntur, quæ fuerint circa annum 825. in Pannonia. 268.
*Epiſtola*, Benedicti VII. Papæ ad Piligrinum. 382.
quo anno ſcripta. 394.
*Epiſtola*, Piligrini ad Benedictum VII. Papam. 376.
*Epiſtola*, Silveſtri Papæ ad S. Stephanum R. ſcripta legitima, 407.
*Epiſtolæ* Bavarorum ad Joannem Papam datæ quædam capita. 332.
*S. Equitius*, Abbas. 87.
*Ermenerici*, Paſſavienſis Epiſcopi adventus in Bulgariam. 286.
*Eſca*, uxor Attilæ. 191.

*Eugenii* ſecundi Papæ ad Epiſcopos certos datæ epiſtolæ initium. 267.

## F.

*Favianenſis*, Netravenſis, Speculunenſis Epiſcopatus indicantur, 269.
*Ferrariæ* Breznenſes, 110.
*Ferrariæ* in Quadis, 109.
*Flavius* Valentinianus primus Imp. 62.
*Flexum* ubi, 40.
*Fœdus* Conſtantini cum Gothis, 146.
*Fretella* non fuit Epiſcopus Olomucenſis, 270.

## G.

*Galerius* Maximianus Imp. 61.
*Geiſæ* ducis Ungarorum baptiſmus, 373.
idem non advocavit auxilia extera ad edomandos Ungaros, 375.
ejuſdem geſta cetera & obitus, à 402.
*Gepidæ* opprimuntur, 216.
*Germenius* Epiſcopus Sirmienſis, ſucceſſor Photini, 76.
*Giſo* Hunnorum dux, 214.
*Gorda* R. Hunnorum fit Chriſtianus, & occiſus propterea à fratre Magore, 204.
*Gormanum* ubi, 100.
*Gothi* è Scandia egreſſi Daciam occupant. Romani illis mox vectigales, 145.
eorum ſedes ubi, 111.
iidem in Dacia vincuntur ab Ovinio, qui Chriſto militare incepit, 145.
eorum diſſidium in Dacia, 153.
iidem occiſi propter Chriſtum, 154.
*Gothi* Ariani, ibid.
Sedes in Thracia à Valente Imp. impetrant, inhoſpitales Thraces malè tractant, ſeq; Romanorum armis armant, 164.
Vincunt & vincuntur, 16.

iidem & Hunni colliduntur, 197.
eoſdem & Hunnos concertantes opprimunt Romani, ibid.
*Græci*, Beſſi, Armenii monachi, quorum pater erat Nicetas. 149.
*Græci* evertunt Bulgarorum regnum, 372.
*Gratianus* Imp. 64.
*Gromoldi* Longobardorum R. cum Pertharito inimicitiæ, 241.

## H.

S. *Hadrianus*, Probi Imp. filius Martyr. 61.
*Hæmus* mons, 90.
*Hardevicus* Laureacenſis Præſul. 279.
*Heraclii* & Chagani fœdus, 236.
*Herciniam* ſilvam ſcripſit Ptolemæus vice Gabretæ & viciſſim, 109.
*Hermenericus* an negligens, ut audit, 286.
*Hernachus* conſidet in Moldavia, cognati ejus in Dacia Ripenſi ad Danubium & Temeſchum amnes, 200.
*Hidii* opuſculum de Pannoniæ urbibus, 20.
*Hieraſus* amnis finiens Daciam, 125.
D. *Hieronymus* Pannonius, 83.
idem indicat, unde Hunni egreſſi ſint, 160.
*Hierotheus* Ungarorum Epiſcopus in Dacia, 365.
*Hiulca* palus Pannoniæ, & oppida Valdano amni adjacentia, 31.
*Hugo* R. Italiæ Ungaros à graſſatione pecuniâ avertit, 349.
qui reduces vapulant, 350.
*Hungari* vide Ungari,
*Hunni* duplices, 161.
eorum adventus, 155.
an eis bos, aut cerva oſtenderit tranſitum per Mœotin, 159.
dicti olim Maſſagetæ, 161.
in Juharia quidam, 162.
*Hunni* albi prope Perſiam, 163.

advenæ

advenæ deliniuntur à Gratiano, 165.
auxiliantur Theodoſio contra Eugenium & Maximum, 169.
Vaſtant orientem, 171.
iidem, & Gothi opponuntur Rhadagaiſo duci, qui divinitus vincitur, 173.
multi ab Ulde deficiunt, ipſe fugam capeſſit, 176.
non fuerunt Germanicæ ſtirpis, 189.
Vaſtant Thraciam, 201.
iterum vaſtant Thraciam, & poſt Armeniam, 203.
iidem conſident ad Boſphorum Thracium, ibid.
viribus reſumptis peſtifero incurſu affligunt Conſtantinopolitanos, 205.
iidem aliquo tempore Bulgaris miſti, 207.
*Hunni* Utigori ibid.
primi, & Avares ex eadem regione advenerunt, 212.
eorum incruenta victoria de Conſtantinopolitanis, 218.
vaſtant Mœſiam, 236.
Conſtantinopolim obſident, 237.
cum Sclavis diſſident in Pannonia, 240.
munera præbent Conſtantino Imp. 242.
populantur agrum Forojulienſem, 241.
infeſti Borutho Regi, 244.
eorum limes in Norico, 246.
eorum terræ amplitudo, 247.
eorum munimenta in Norico { 254. 252.
eorundem perditis munimentis fuga, ibid.
eorum munimentum prope Tibiſcum, 255.
iidem an infeſti Chriſtianis, 281.
iidem non inſectabantur Chriſtianos propter religionem, 374.
*Hunnoavares* auxilio ſunt Tiberio contra Choſroëm regem Perſarum. 221.
iidem an occiſi ab Ungaris, 320.
iidem repudiant Chriſtiana ſacra. 340.

## I.


*Jazyges* Metanaſtæ unde appellati, 97.
eorundem regio, ibid.
eorundem oppida, 100.
Hungari in regione Heveſchienſi habitantes an ſint veteres Jazyges, 101.
eorundem bella cum Dacis, 104.
eorundem & Dacorum ſpeculæ, ibid.
*Jazyges* Boreales, 105.
*Illyrici* deſcriptio, 95.
*Illyricorum* lingva quænam fuerit vernacula, 110.
an ea lingva ſit mater Sclavonicarum, 111.
*Indulgentiæ* templo Stridonenſi conceſſæ, 85.
*Inſcriptio* Romana ad Pontem Trajani, 94.
*Inſcriptio* Romana Semendriæ, 93.
*Inſcriptiones* Dacicæ, 126.
*Irningus*, & Jugurro Hunorum RR. occiſi, 256.
*Jula* dux Ungarorum fit Chriſtianus, 363.
idem fuit avus S. Stephani R. 365.
*Juſtiniana* prima in Thracia, 393.
ejus Epiſcopus etiam Pannoniæ, ibid.
*Juſtinianus* Imp. metuens ſibi, conciliat animos Avarum, 215.


## L.


*Laureaci* ruina ſecunda, 384.
de ejuſdem & Sirmii primatu hiſtoricorum contentio, 391.
ejuſdem ruina maxima quando, 352.
eadem Metropolis ætate Symmachi Papæ, 384.
dignitas ejus depreſſa à Salisburgenſi, 386.
eadem Sedes in perpetuum exempta à jurisdictione Salisburgenſis 387.
ejuſdē, & Salisburgenſis Metropolium termini, ibid.
eidem obnoxii Epiſcopatus, ibid.
ejuſdem, & Salisburgenſis Pontificum diſſidium, 351.
*Laurianus* Pannonius Martyr. 208.

*Lechus* quando vixit, 312.
*Legati* Sclavorum apud Ludovicum Imp. 274.
*Lebelis* Ungarorum ducis, in Bohemia exitus, 360.
*Leita* fluvius eiq; adjuncta Pannoniæ loca, 35.
*L. Domitius* Aurelianus Imp. 59.
*Lentudum* oppidum, 50.
*Liberius* Papa bis exul, 76.
*Liburniæ* & Dalmatiæ fines, 95.
*Liburniæ* Maritimæ quædam loca, 97.
*Licho*, vel Leſcus Polonorum dux in prælio cadit, 263.
*Limuſa* oppidum, 24.
*Literæ* Joannis VIII. Papæ, 292.
*Longobardi* in Italiam accerſuntur, 216.
*Ludovicus Pius* in Epiſcopatum Patavienſem munificus, 253.
*Ludovicus* R. in Pannonia propter metum Bulgarorum, 275.
ejuſdem filii colliduntur, 279.
*Lugionum* oppidum, 48.
*Luipramus* in Pannonia templa dicat, 278.
*Luna* ſilva quæ? 109.
*Luſſonium* oppidum, 48.

M.

*Magniana* oppidum, 51.
*M. Aurelii* Imp. comparatio ſacerrima ad bellum Marcomanicum, 112.
ejuſdem exercitus cæſus, 113.
ejuſdem dictum de Sarmatis &c & Judæis, 114.
*Marcodana* oppidum, 134.
*Marcomani*, & Quadi veteres incolæ Pannoniæ Valeriæ, 57.
Socii Romanorum, 106.
rumpunt fœdus, quod cum Romanis habuerunt, 112.
prodigioſè diſperguntur, 113.
iidem modò amici, modò hoſtes Romanorum, 115.
*Margus* Margis, Moſchus idem fluvius, 93.
*Marobodui*, Marcomanorum regis, laudes, 105.

*Marobudum* Marcomanorum, Eburum oppidum Quadorum, 118
*Marothus* R. Sclavorum, 243
D. *Martinus*, Turonenſis Epiſcopus, natus parentibus ethnicis, 80
*Martyres* in Pannonia Sirmii permulti, 67
*Marus* fluvius, 126
*Mauritii* Imp immiſericordia, 230
idem cæditur à Phoca, 233
*Mediolanenſis* conventûs acta, 73
*Methodius* Pannoniorum Epiſcopus, 295
accuſatur ſecundò, ibid.
purgat ſe, 296
reliqua de eo, & Cyrillo, 298
*Michaël* Bulgarorum R. ſuam gentem Chriſtianam reddit, 284
*Mæſi*, & Myſi iidem populi, 94
*Mæſia* duplex, ejúſq; fines, 91
deſcriptio ejus, ejuſdémq; fluminum è Plinio, 89
*Mogemirus* filius Svatoplugi, cæſus, 343
in *Moraviæ* partibus quatuor Epiſcopatus, 379
*Mosburgum* ædificatur, 278
*Moymari*, Moravorum Principis, acta, 266
*Moymirus* repugnat Bojis, 282
*Murſa* urbs, 24
major & minor, 49
*Murus* longus prope Conſtantinopolim, 223

## N.

*Napuca*, Patruiſſa, oppida 134
*Nariſci* populi, 107
*Nicephorus* Imp. bellat infeliciter in Bulgaros, 265
S. *Nicetas* Epiſcopus, 148
*Nitrienſis* Epiſcopatus, 269
*Nitrienſe* templum renovatur, 276
*Norici* nomen prope abolitum, 392
*Novidunum* 50

O. Ora-

## O.

*Oraculum* de adventu Hunnorum, ſive Unorum, 156
eidem quæ fides hadenda, 158
*Orbelus*, Hæmus, Rhodope montes, 91
*Oſorum* gens, 111
ad internecionem cæſi, 117
*Ottonis* Imp. vota ante victoriam ex Ungaris relatam, 358
*Ovidii* obitus, & ſepulchrum, 150

## P.

*Pannonia* urbs, 39
*Pannonia* Græcis Pœonia, 7
*Pannonia* glandifera, 12
eadem Illyrico adſcripta, 52
maxima ex parte Ariana, 79
eadem jurisdictionis Romanæ, 292
de ejuſdem parte nobilium Bavarorum diſſenſio, 305
*Pannoniæ* deſcriptio ex Morone, 26
ejuſdem loca Danubio adjuncta, 28
oppida Savo, & Bacuntio adjuncta, 30
ejuſdem etymon unde? An à Pannis? An à Pane? An à Pano, id eſt, domino? An à Pañone Rege, 8
ejuſdem fluvii ex Plinio, 10
deſcriptio ex Claudio Ptolemæo. 13
partitio, & fines ex eodem, ibid.
ejuſdem ſuperioris ex eodem urbes, 15
ejuſdem diviſio poſterior, 52
ejuſdem loca Urpano fluvio appoſita, & quis ſit ille fluvius, 33
*Pannonii* ab Romanis inpugnati captâ Segeſtâ, 54
iidem cæſi ad montem Claudium, 55
iidem victi extremò ſupplices Tiberio, 56
eoſdem ſubigere cœperunt Romani, 53
eorum inſtituta, ibid.
eorum bellum tertium, 55
eorum lingva vernacula, 103

*Parca* oppidum ubi, 100
*Parolissa* oppidum, 134
*Partiſcum* oppidum, 100
*Peiſo* lacus, 34
item, & Bojorum deſerta, 9
*Petovium* an fuerit in Dacia, 128
*Philiſtæi* in Ungaria qui, 102
*Philo* doctor Avarum, 245
*Photinus* Sirmienſis Pontifex, teterrimus hæreticus, 71
*Phritigernus*, & Athanaricus Duces Gothorum, 153
*Piligrini* epiſtola ad Benedictum VII. Papam
idem invitatur in Hungariam, 378
an domicilium habuerit Laureaci, 381
ejus ſocius in Ungaria Wolffgangus Ratisbonenſis Epiſcopus, 382
*Poloni* Supplices Chriſto manus tendunt 369
eorum Princeps ducit filiam Principis Bohemorum, ibid.
iidem an antea aliquando Chriſtum coluerint, 370
*Poſonium* 45
*Potentiana* urbs, 23
*Pradenecenti* malè Aventino Gepidæ, 275
*Priſcus* dux pacem turbat, 225
*Privina* dux Sclavorum, 276
ejuſdem varia fortuna, 277
idem Nitriæ templum ponit D. Emmerammo, 276
ejuſdem præconium & occaſus, 279
*Provincia* Collia in Dacia, 139
*Provinciæ* Apulenſis, & Sarmizegéthuſæ, eædémq; coloniæ, ibid.

## Q.

*Quadorum* regio, 108
eorundem & Marcomanorum termini, ibid.
iiſdem & Sarmatis Conſtantinus M. auxiliatur contra Oſos ſervos, 115
iidem & Sarmatæ rupto fœdere conterriti conciliantur cum Conſtantino Imp. 116

eorum diuturnum bellum cum Romanis, 117
Q. *Decius* Trajanus Imp. 59
S. *Quirinus* Martyr. Epiſcopus *Siſciæ*, 68

## R.

*Radislaus*, Moravorum Princeps, bellicoſus luminibus privatur, 283
*Radnenſis* aditus in Moldaviam Tartaris notus. 130
*Ratbodum* Privina offendit, 277
*Reca* uxor Attilæ, 190
*Religio* Chriſtiana jam olim in Daciam invecta, 147
*Rhadagaiſus* barbarus obruit Italiam, 172
*Rhodope* mons, 90
*Rhuconium* Ptolemæi ubi, 129
*Rittium* ubi, 40
*Romani* ubi fuerint à Marcomanis circumdati ad Carnuntum, 114
iidem excedunt Daciâ, ex Mœſia Dacias fingunt, & quot? 144
cum quibus Scythis pugnaverint in Dacia, 146
eoſdem in Dacia impugnant finitimæ gentes, 144
*Romanorum* Pontificum in Mœſia jus, 272
*Romildæ* proditricis ſupplicium, & laus filiarum, 232
*Ruas* R. Hunnorum bellat cum Sclavis, 277
idem premit Romanos, ibid.
idem fulmine icitur, exercitus interit, 178
*Rudnæ* veteres aurariæ, 130
*Ruſſi* accipiunt doctorem à Baſilio Imp. 310
an iidem patres Sclavorum, 314
eorundem Regina Elga fit Chriſtiana, 366
eorundem,& Moſchorum cum Chriſtianis expleta conjunctio, 367
*Ruſſus* fabuloſus, 314
*Rutheni*, & Ruſſi qui diverſi, 315

## S.

*Sabaria*, Pætovium, Sala, priſca nomina, 51
*Sacerdotes* à Nicolao PP. miſſi Bulgaros initiant, 285

*Sala* oppidum, 25
*Salaburgum* oppidum ad amnem Salam in Pannonia, 279
*Salardus* Dux Ungarorum, 347
*Salisburgenſis*, & Laureacenſis Præſulum juriſdictionis limites in Pannonia, 351
*Sallis* oppidum, 49
*Salva* oppidum, 46
*Samo* R. Sclavorum, 238
explodit legatum Dagoberti, 239
bellat cum Francis, ibid.
*Sanaguri* Acatiros comprimunt, 198
*Sarmatæ* gladios pro Diis habebant, 117
eorundem Quadis vicinorum ſedes, 119
nomen latè patens, 312
*Sarmizegethuſa* urbis regiæ Daciæ ſitus, 128
ejuſdem varii ſcribendi modi, ibid.
eadem urbs, 133
*Scarabantia* oppidum, 50
*Scardus* mons vaſtiſſimus fundens duos Drinos amnes, 95
*Sclavi* tendunt in Illyricum, & in eo ſedes collocare incipiunt, 205
ſocii Avarum in bello anno 587. geſto 223
occupant Mœſiam, 228
eorum X M. occiſa, 240
variæ appellationes, & diſſenſiones, 274
eorum legati apud Ludovicum R. 275
eorundem lingvæ uſus in Miſſa, 298
quidam domantur ab Ottone Imp. 356
quidam ab eodem victi, 368
*Sclavi* Moravi vectigales Germanis, 340
*Sclavi* Nitræ fluvii accolæ quando à Moravis domiti, 339
*Sclavonicæ* lingvæ uſus in ſacris alibi ſublatus, 327
alibi permiſſus, ibid.
apud Sclavos Epiſcopi conſecrati, 333
more Ungarorum raſeruut capita, 335
*Scythæ* ſalem adhibebant in ſanciendis fœderibus, 226
eorundem, ſive Hunnorum laus, 162
*Segeſta* oppidum, 23

*Segeſta*

*Segeſta* & Siſcia, 43
*Segeſtanorum* fortitudo, 54
*Segeſtica* inſula, 11
*Semendria* Romana inſcriptio, 93
*Sergidava* 128
*S Severinus* Abbas, 87
*Singidunum* ab Abaris capitur, 92
ejuſdem nova nomina, 42
*Sirmium* 20
*Sirmii* eminentia, 36
item, 391
*Sirmienſium*, & Amantinorum una Civitas, 11
ejus ſitus, ibid.
ejuſdem Archiepiſcopi, 69
in eo, & Segeſtæ annona Romana, 123
quando occupatum ab Hunnoavaribus, 220
ejuſdem Metropolis in oblivionem venit, 391
*Siſcia* urbs, 11
*Siſciæ* Romani nummos percutiebant, 44
*Soroga* oppidum, 51
*Statii* verſus fucoſi de Sarmatis, 121
S. *Stephani* R. Ungariæ res, à 395
S. *Stephano* R. à Silveſtro Papa epiſtola miſſa legitima, 407
*Stridon* non fuit in veteri Dalmatia, 83
*Stridon* hodie Stridova, 85
*Stridoviæ* exhibetur cultus D. Hieronymo, ibid.
*Strigas* fluvius, 128
*Sunnias* non fuit Epiſcopus Nitrienſis, 270
*Svatobogius* corruptè vivens primùm, deinde Eremita fit, 343
piè moritur, ibid.
habetur pro ſancto, 344
*Svatoplugi* geſta incipiunt, 304
impugnat duas familias Bavaricas, 306
idem à Joañe Pontifice appellatus Sventopulcher, 297
plura ejus geſta & acta, 307
idem ſubactus, 325
idem obit, 326

## T.

*Tanais* fluvius diſtrahens Europam,& Aſiam ac Mœotis palus, 160
*Tarſium*, in quo Galerius Maximianus interiit, 49
*Tempus* militiæ S. Martini, 80
*Teutoburgum* 25
*Theodoricus* R. terret.& diſſipat Bulgaros, Pannoniam recipit, eiq; præficit Coloſeum, 202
*Theodoricus* Laureacenſis Præſul accipit à PP. pallium anno 449. 203
D. *Theotimus*, Tomitanus Præſul, cicurat & docet Hunnos, 168
*Theſauri* Daciæ, vel Decebali reperti, 137
*Thudunus I.* Chaganus fit Chriſtianus, 256
idem fidem rumpit, 257
*Thudunus II.* Chaganus petit à Carolo M. ſedem, 261
idem obit, 263
*Tibiſcus* Plinio Pathiſſus, 98
dividit Dacos à Jazygibus Metanaſtis, 126
*Timpimirus* Croatorum Dux monaſterium conſtituit, 287
*Tiriſcum* 133
*Tirnavia* an olim Epiſcopalis 269
*Tomi* urbs ubi? 151
*Toxis* dux moritur relicto filio Gejſa, 272
idem non potuit genus ducere ab Attila, 353
*Trajani* Imp. in ſaucios cæſóſq; officium, 135
*Trebelli* Bulgarorum R. facta, 249
*Tricornium* oppidum, 93
*Tſchechi* adventus in Bohemiam, 312
*Tuder* Princeps Quadorum, 111
*Turcæ* abalienant Juſtinum ab Avaris 115
*Tyras* fluvius Daciam terminans, 125

## V.

*Valdanus*, & Urpanus amnes, 11
*Valens* Imperator, 63
*Valens* Pœtovienſis nequam Epiſcopus, 69
*Valens*, & Urſatius Epiſcopi Ariani depoſiti, 70

iidem ad tempus reſipiſcunt, ibid.
*Valens* Imp. Phritigerno auxilio eſt, 154
*Valentinianus* primus in Illyrico mortuus, 52
*Valentinianus II.* Imp 65
*Vandali*, ſive Vinuli fiunt Chriſtiani, 371
*Welehradii* in Moravia SS Cyrilli,& Methodii cultus, 299
*Vetvarienſis* Epiſcopatus, 270
*Viæ* in Dacia Romanæ, 141
*Viæ* illæ Clodia, Annia, Callia Gemminia dictæ, 142
*Vichingus* Nitrienſis Epiſcopus, 297
pellitur Epiſcopatu Paſſavienſi, 303
S. *Victorinus* Petovienſis Epiſcopus, 68
*Vindibona*, ſeu Juliobona urbs, 45
*Viſa* Parentum S. Stephani Regis, 395 & ſeq.
*Volcea* Palus, ſive Balaton lacus, 40

## U.

*Uldin*, vel Huldin & Uldes R. Hunnorum, 172
ejus in Romanos motus, 174
arrogantia, 175
*Ulphilas* Gothorum Epiſcopus, literarum Gothicarum inventor, 155
*Ulpianum* Ptolemæi ubi, 130
*Ungari* evocati ab Arnulpho R. 317
*Ungari* populantur Galliam proditione Conradi ducis Lotharingiæ, 357
eorum formidabilis exercitus ab Ottone Imp. profligatus, ibid.
iidem Bohemiæ inſidiantur, 360
cladibus fracti, 362
benevoli erga Chriſtianos, ibid.
cur Græcis Turcæ, 366
eorum pax cum Bavaris, 377
eorum V. circiter M. baptiſati, 378
iidem refecerunt aliqua templa à patribus deſtructa, 385
eorum bella ſub adventum cum Moravis 337

iidem cæſi, 341
eorum adventus malè ſignatus anno 744. 249
occupant Pannoniam, 342
populantur Alemaniam, Saxoniam, Alſatiam, 345
profligantur ab Henrico R. Germaniæ, 346
delent ferè Papiam, ibid.
fruſtra tentant Francos, 347
repetunt vaſtationes, ibid.
cæduntur ab Henrico R. ibid.
quantus eorum numerus interiit, 348
vaſtant Galliam, & Italiam, 349
in hac malè accipiuntur, ibid.
redeunt in Da iam, 325
evocantur à Leone Imp. 326
eorum fœdus cum Græcis, 228
Græci eis vectigales, ibid.
mortuo Arnulpho invadunt Bavaros, 329
vincunt Ludovicum R 330
Francos, Svevos, Italos invadunt, 331
recipiuntur à Sclavis Quadorum poſteris, 332
eorum prima irruptio in Italiam, 335
iidem nondum conſederant in Pannonia, 336
*Ungarorum* ſeptem duces, 321
*Uptarus* Hunnorum R. voracitate rumpitur, & Hunni fugantur, 170
*Urgi*, vel Chuni accolæ Ponti, 120
*Urgi*, Ugri, & Hunni iidem, 161
*Urolphus* Laureacenſis Præſul, 266
Vicarius Summi Pontificis, 272
D. *Urſula* Martyr ab Hunnis quando? 166
de eadem plura. 192
*Uſcenum* ubi? 100

## Z.

*Zali*, & Sabari non fuerunt Hunnici populi, 211
*Zermizirga*, Patroiſſa oppida, 331
*Zermizirga* ubi? 333
*Zernenſis* colonia. 139

*Zeugma* oppidum, 134
*Ziza R.* Quadorum & Sarmatarum, 117
*Zlatnæ*, quod antiqvum nomen tribuendum, diſſenſiones ſcriptorum, 131
*Zobor* mons ad Nitriam, 344
*Zwentibaldus* vide Svatoplugus.

| *Menda.* | *Fol.* | *ỳ.* | *Corrigenda.* |
|---|---|---|---|
| Juris | 10. | 11. | jus |
| Monaſterinm | 26. | 8. | Monaſterium |
| oſones | 34. | 10. | Oſones |
| ſiignat | 35. | 6. | ſignat |
| In | 36. | 11. | in |
| exolicata | 37. | 3. | explicata |
| *Balatom* | 40. | *in margine* | *Balaton* |
| Nicæa | 76. | 18. | Nicæna |
| Cilio | 85. | 13. | Ciliæ |
| Meander | 92. | 12. | Menander |
| Scartum | 96. | 9. | Scardum |
| ſubjectum | ibid. | 13. | ſubjectam |
| Fatræ | 99. | 20. | Tatræ. |
| Cujus | 99. | 26. | Cuſus |
| Ziza rege | 117. | *in marg.* 14. | Ziza rex |
| vagáſq; | 121. | 5. | vagóſq; |
| II. | 132. | 16. | LI. |
| temporibns | 162. | 4. | temporibus |
| CCCLVIII. | 166. | 5. | CCCLXXXIII. |
| *Judices* | 167. | 8. | *Indices* |
| ICLXV. | 214. | 16. | IↃLXV. |
| ICLXXIIII. | 218. | 23. | IↃLXXIIII. |
| à Norico | 243. | 6. | ac Norico |
| ripam | 252. | 4. | ripam, |
| nunc | 254. | 13. | tunc |
| nupernum | 280. | 22. | superum |
| guberna | 400. | 16. | gubernacula |

# F I N I S.

# IMAGO
# ANTIQUÆ,
## *ET*
## NOVÆ
# HUNGARIÆ,

# IMAGO NOVÆ HUNGARIÆ,

*REPRÆSENTANS*

REGNA, PROVINCIAS, BANATUS, & COMITATUS DITIONIS HUNGARICÆ.

Hiſtorico genere ſtrictim perſcripta,

à

SAMUELE TIMON, è Soc. JESU Sacerdote.

CASSOVIÆ, typis Academicis Soc. JESU, per Joannem Henricum Frauenheim, Anno 1734.

# PRÆFATIO.

EXiſtimabam expeditam viam eſſe ad explanandas res Ungariæ novæ; at in hoc quoq; genere ſcriptionis implicata, dubia, ac penè impervia ſunt non pauca. Miratus ſum adoleſcentulos quosdam non inſtructos à libris, ceterisq; ſcribendi adjumentis, quàm levi brachio, tam imperitè de difficillimis atq; tectiſſimis rebus commentari auſos fuiſſe; quosdam verò unius ſcriptoris ſectatores, ac diſcipulos inter Profeſſores hiſtoriæ Ungaricæ cenſeri voluiſſe. Sed ſcilicet *ſcribimus indocti, doctiq;*, laudatores ſimiles habituri. Martinus Sentivanius, de Societate JEſu Sacerdos, vir cùm omnium doctrinarum ſtudioſus, tum verò antiquitatis Ungaricæ indagator diligentiſſimus, extrema ætate Catalogos Epiſcoporum, & magiſtratuũ Ungariæ ſingulari ſolertia, atq; accuratione texuit, in multis tamen offendit. Quare à viro quodam pererudito monitus, multáq; edoctus, *Annotationes* & Emendationes emiſit, & adhuc ingenuè confitetur,

opus

opus imperfectum eſſe. Nimirum vetera pleráq; reconditiora atq; abſtruſiora ſunt, quàm quisquam, niſi expertus, credere poſſit. Ego quoq;, qui in variis ſtudiis vel plurimum ætatis meæ verſor, cum formidine ſcriptionem hanc inchoavi. Ac niſi literæ, & diplomata quædam ſummorum Pontificum, Regúmq; Ungariæ in manus meas incidiſſent, hiſtoriáſq; extraneas evolviſſem, hoc labore ſuperſediſſem. Satiùs enim eſt nihil conari, quàm verba ſolùm fundere, & tota re errare. Spectat hoc opuſculum ad explicanda provinciarum Ungaricarum capita; vix ſingula quisquam vel intentiſſimâ curâ conſequi poſſit. Ut veritas magis eluceret, ipſas auctorum, ac monumentorum variorum narrationes, ſententiáſq; crebrò in medio poſui. Animadverti quoq; multos malle ex fontibus, quantumvis feculentis ac turbidis, quàm ex rivulis purioribus notitiá rerum haurire. Valebunt fortaſſe hæ lucubrationes apud doctos ſaltem eatenus, quoad teſtatiora in lucem proferentur. Omnium expectationi ſatisfacere, humanis viribus majus eſt.

IN-

# INDEX CAPITUM.


## CAPUT I.

*De Ungaria generatim.*

## CAPUT II.

*De Comitatibus Ungariæ generatim, ſpeciatímq; de pluribus.*

## CAPUT III.

*De quatuor Comitatibus, quos præterea indicat Stephanus Verbecius, déque terris Ungaricæ ditionis ultra Savum.*

## CAPUT IV.

*De Banatibus Matſchovienſi, & Boſnenſi, déque varia fortuna Belgradi.*

## CAPUT V.

*De Banatu Severinenſi.*

## CAPUT VI.

*De pluribus Banatibus extraordinariis.*

## CAPUT VII.

*De Comitatibus Torontalienſi, & Bodrogienſi.*

## CAPUT VIII.

*De Epiſcopatibus à D. Stephano Rege inſtitutis.*

## CAPUT IX.

*De Magiſtratibus Hungariæ, & veteri inſtituto.*

## CAPUT X.

*De Tranſſilvania.*

CAPUT XI.

*Deſcriptio terrarum Siculicarum.*

CAPUT XII.

*Series Principum, & Invaſorum Transſilvaniæ.*

CAPUT XIII.

*De regnis Galliciæ, & Lodomeriæ.*

CAPUT XIV.

*De Cumania, ſive Moldavia.*

CAPUT XV.

*De Tranſalpina, ſive Valachia.*

CAPUT XVI.

*Res memorabiles Valachiæ, Moldaviæ, & Transſilvaniæ ab anno* CIↃIↃ *ad* CIↃIↃC. *quæ faciunt etiam ad cognoſcendos fines earundem regionum, & ſupplendam Nicolai Iſtvanfii Hiſtoriam.*

CAPUT XVII.

*De Illyrico Hungarico.*

CAPUT XVIII.

*Res quædam memorabiles Boſnæ, Raſciæ &c. à regno Caroli I. Regis Ungariæ, uſque ad amiſſionem, & excitium earum terrarum.*

# CAPUT I.

## De Ungaria generatim.

DIVO STEPHANO clavum imperii tenente, quas Ungari ex deſcriptis aliàs regionibus tenuerint, videndum eſt. *Ungarorũ terra tempore D. Stephani Regis.* Pañoniæ certè maximam partem ſibi vendicârunt. *Pannoniæ maxima pars.* Juxta Noricum fines habebant ab Hamburgo, Danubio appoſito, usque Petovium: at hi fines poſt exceſſum D. illius Regis in diſcordia Regum, & plebis expugnato utroque eo oppido diminuti, accisiq; ſunt. An Pannoniæ quoque Saviæ partem aliquam in ditionem ſuam redegerint, in diſquiſitione ponetur. Jazygum Metanaſtarũ deinde terram omnem, & plurimã *Jazygum Metanaſtarũ regio.*

Quadorum, utramque à Morava amne uſque ad Tibiſcum patentem, ſub imperium ſuum ſubjunxerunt; ſed in parte longè minore, ut nota res eſt, conſederunt; aut procedente tempore Sclavi pedetentim ſedes rurſus dilataverunt. Daciā denique ab extremis Carpati jugis uſque ad oram Tibiſci occupaverunt. In hoc tractu eſt provincia Tranſſilvanienſis, Romanis Dacia mediterranea appellata, & extrema Hungaria ad Valachos Subalpinos pertinens. Et quamvis in Moldavia, ac reliqua Dacia, per quam Tyras perlabitur, ſedes etiam fixerint Ungari, vel potiùs antiquas retinuerint Hunni, vel Chuni, qui poſtea vocati ſunt Cumani; ea tamen terra principio regni non erat adjuncta Ungariæ. Cumani enim hoſtes fuêre Ungarorum, donec à Tartaris vexati, pars jugum acceperunt, pars ad Ungaros profugerunt. Sic itaque deſcripta Ungaria ab ortu ſolis jungitur geminæ Valachiæ, ab Auſtro Serviæ, Boſniæ, & Sclavoniæ. Addito tempore

*Dacia mediterranea &c.*

*Cumani hoſtes primùm, deinde dedititii Ungarorũ.*

trans-

transgreſſa Savum, contermina fuit inferiori Serviæ, ſive Raſciæ. Ab occaſu attingit Styriam, Auſtriam, Moraviam, & Sileſiam; ab Aquilone Poloniam & Ruſſiam, Carpato monte diviſas. Quæritur inter eruditos, unde Ungaria nomen invenerit? Nonnulli opinantur ab Juharia ità appellatam eſſe, primúmque Jugariam cognominatã. At hanc opinationem veluti commentitiam meritò explodit, & aspernatur Franciſcus Otrocotſius (*in Originibus Cap. VI. pag.* 269.) Neque enim Hungarico, neq; Sclavonico ſermoni congruit illud vocabulum. Et apud quem, quæſo, ſcriptorum uſurpatum eſt unquã verbum hoc Jugaria pro Ungaria? Illi quoque vehementer errant, qui ab Ungvaro oppidulo Ungariam dictam rentur. Hoc enim oppidulum ab amne Ungo nomen accepit; unde regio non Ungvarienſis, ſed Ungenſis dicitur. Accedit, quòd Ungari adventantes antequam amnem illum vidiſſent, jam Ugri, & Ungarii appellati ſint. Georgius

*Ungaria unde dicta.*

Homonnaius editiorem, planiorẽ & æquiorem oppiduli ejus partem anno primùm CIↃIↃCXII mœnibus circumdare incepit. Sunt, qui ex Hunnis, & Ungaris conflant Ungariam; at hinc non Hungaria, ſed Hunnigaria coagmentari potuit; quo tamen vocabulo nullus ſcriptorum, nullus Regum uſus eſt. Sentio proinde cum Joanne Broderito, & Franciſco Otrocotſio, dicóque nomen huic regno ex nomine ipſius gentis inditum eſſe: ſiquidem plerique Hiſtorici, qui de adventu Ungarorum, déque geſtis eorum primis quædam literis commendârunt, ceteríq; Latinæ lingvæ gnari universã nationẽ Ungarios, vel Ungros appellaverunt, unde Ungaria enata, formatáq; eſt. Nec displicuiſſe primis Regibus titulũ Regis Ungariorum, arguunt nuñi. Primus autem verbo huic Ungaria adjecit atque affixit aſpirationẽ Stephanus II. quem ceteri deinceps Reges ſecuti ſunt. Inſigne porrò regni primum fuit Crux, & effigies *Deiparæ*, ſedentis in ſolio, & dex-

*Hungariã ſcripſit primus Stephanus II. Rex.*

*Inſignia Ungariæ.*

dextrâ ſceptrum, vel potiùs lilium tenentis. Addita ſunt ſeriùs tria juga montium, & quatuor fluvii clari, Danubius, Tibiſcus, Savus, & Dravus. Juga montium vocantur, Tatra, Fatra, Matra. Tatrâ attollitur regio Scepuſienſis, & Liptovienſis; Fatra diſpeſcit agrum Turocienſem à Liptovienſi. Matræ montes bini ſunt, alter in provincia Heveſchienſi, alter inter Lippam, & Julam (*Gyula*) aſſurgens: uter veniat in partem inſignis, diſceptent inter ſe accolæ.

# CAPUT II.

## *De Comitatibus Ungariæ generatim, ſpeciatimq; de plurimis.*

UNgari Principe Gejsa, patre D. Stephani Regis terras ſuas facilioris gubernationis ergo in plures partes deſcripſerunt, ac diſtribuerunt, eásque diviſiones Comitatus nuncupaverunt, eò quòd incolæ Regem, cùm uſus, neceſſitásque poſceret, comitari ſolerent ac deberent, maximè dum ad *Ungaria multifariè diviſa, & quamobrē.*

ad bellum conſurgendũ eſſet. Qua de cauſa præfectos quoque ac præſides illarum Comites appellavêre. Antonius Bonfinius Comitatus hos Conventus ex more Plinii dicendos putavit. Et appoſitè is quidem. Petrus Pazmannus cum nonnullis aliis regionum, & provinciarum appellationem illis tribuere maluit. Plures jam catalogum, & deſcriptionem earum ediderunt, nullus, quod ſciam, ſine vitio. Omnes de numero earundem ambigere, multáſque idcirco ſilentio prætermittere animadverti. Nullus adhuc ad fontes penetravit, nullus cardinem argumenti movit. Mihi nefas ſit, egredi ex cancellis illis, quos annis abhinc amplius ducentis hiſtoricis Ungaris circumſcripſit Stephanus Verbecius; qui quidem pereruditus vir Jus Hungaricum, antea diſperſum in unum collegit, eíque nomina partium regni, ut aliqua è naufragio tabula ſupereſſet, ſubtexuit. Ad auctoritatem ejus communibus ſuffragiis probatam, receptámque accedit de Hunga-

*Comitatus Bonfinio Conventus.*

garia Pannonica teſtimonium Stephani Broderiti, Epiſcopi Vacienſis, in deſcriptione cladis Mohatſchienſis, quod tale eſt: *Hungaria citerior eſt ea, ubi olim Pannoniæ fuerunt: hæc ab ulteriore Ungaria Danubio, ab Auſtria, & Norico radicibus ad Viennam Cetii, ſic olim dicti montis: à Sclavonia Dravo, à Bozna, & Raſcia Savo fluminibus terminatur. Nam locis Danubio propinquis, & ad Belgradum ſpectantibus ad Savi uſque fluminis oſtia cum Danubio excurrit, Valconem, Poſſegam, Sirmium, tres inſignes provincias, quas nos Comitatus vocamus, à Sclavonia divellens.* Hæc tamen viri, rei Hungaricæ apprimè periti deſcriptio de primis duntaxat regni apud Savum terminis ſuſtineri poteſt: ſiquidem Verbecius quatuor Comitatus profert, qui neceſſariò oræ Tranſſavanæ attribuendi ſunt. Hungariam autem, & Raſciam, ut idem ſcriptor exiſtimavit, Savus nunquam diſtraxit. His poſitis Verbecius quatuor, & ſexaginta Comitatus numerando percenſet; qui tangendi quidem

*Ungaria fines.*

*Comitatus Hungar. Savienſis.*

*Ungaria Comitatus apud Steph. Verbecium LXIIII.*

*Ungariæ Comitatus LX. exponuntur.* ſunt omnes, ſed non ea, qua ipſe illos locavit ſerie. Magis enim ex uſu fuerit literarum ordine eosdē referre. Quoniam verò de quatuor fuſiùs dicetur, hic ſexaginta ſubjiciuntur.

I. *Comitatus Abaujvarienſis &c.* Abaujvarienſis, Hungaricè *Aba Uj Vár Megye.* In hoc verbo *Uj U* vocalis retinet ſuam vim; *J* autem eſt conſonans; quæ comprimitur à vocali *U* pronuntiatúrque ut Latinum Ajo. Vocabula illa *Vár Megye* quæ deinceps ferè omittentur, valent *Arcis limitem.* Habuit hæc regio arcem foſſis, & aggere magno cinctam, ex conditore Aba cognominatam.

II. Albenſis Regalis, Hungaricè *Székes Fejér Vár Megye.* Nomen ei ab Alba urbe regia.

III. Aradienſis, quondam Orodienſis, dictus de Orodo, ſive Arado, loco olim ex *Præpoſitura* nobili.

IIII. Arvenſis, Ungaricè *Arva vár m.* Ab arce, ſeu potiùs flumine ipſum intermeante nomen duxit.

V. Baachienſis primùm, deinde Baczienſis, poſtremò Bacſienſis, vel Bat-

Batſienſis re ipſa Batschienſis. Accepit appellationē à *Metropoli* Batſcho. Obſervare autem convenit, ab Ungaris uſque ad hoc tempus literam *S* uſurpari pro *Sch*, quod plerumque ſervant, etiam tunc, cùm verba Latinè efferunt, ut in hoc nomine *Poſon* Poſonium. Præterea antiquiores geminâſſe in multis vocabulis vocales, per quod ſignificabant, syllabas eſſe productas; at recentioribus placuit omiſſa una vocali ſignare alteram accentu, quem acutum vocant. Denique advertendum, vetuſtiores uſos fuiſſe literis his *Ch.* vice harum Tsch. veluti in vocabulo iſto *Baachienſis*, & pluribus, quæ ſeqvuntur.

Baranienſis, ab arce etymon habens, Hungaricè hodie *Baranya*, antiquitus variè. VI.

Barschienſis, vulgò Barſienſis, Ungaricè *Bars*. Fuit arx ejus nominis. VII.

Bekeschienſis, vulgò Békéſienſis, ex Ungarico *Békés*. eſt locus quidã eo nomine. VIII.

Beregienſis, Hungaricè *Bereg*. IX.

 Oſten-

Oſtenditur veſtigium caſtelli, unde dictus eſt.

X. Bihárienſis, quondam Bihorienſis alitérque, Ungaricè hodie *Bihar.* fuit Biharum quondam Cumanis, Ruſſis, Tartaris oppoſitum, & objectum propugnaculum.

XI. Bodrogienſis, veteribus Budrugienſis, Ungaricè *Bodrog* de caſtello, aut oppidulo cognomine nuncupatus. Librariorum culpâ in quibusdam Verbecii exemplis omiſſus.

XII. Borschodienſis, vulgò Borsodienſis, à caſtello terreo, jam pridem everſo nomen trahens, Ungaricè *Borſod.*

XIII. Caſtri Eerrei, Hungaricè *Vas Vár Megye.* Notæ originis, ſicut & alii, in quibus etymi declaratio, aut divinatio omittitur.

XIIII. Chanadienſis, & Cenadienſis quondam, nunc Csanadienſis, re ipſa Tschanadienſis, Ungaricè *Csanád.* Oppidum quondam Moriſſenum appellabatur, deinde ex militari viro Tschanado nominatum eſt. Is enim Actomum hominem po-

potentem, D. Stephano Regi repugnantem, poſt recitatam in honorem Divi Georgii centies quadragies precationem Dominicam prælio ſuperavit, & ante inſtitutū Epiſcopatum ædem Deo, Sanctóque illi Martyri ad amnem Marum dedicavit. Prodit hæc auctor *Vitæ* S. Gerardi.

Chongradienſis olim, hoc tempore Csongradienſis, ſonat Tschongradienſis, ab arce antiqua, à Sclavis, ut ipſum nomen indicat, quondam ædificata, appellationem mutuatus. XV.

Comaromienſis Hungaricè *Komárom*. XVI.

Craſchovienſis, Hungaricè *Kraſſo* ab amne cognomen acceperit. Finitimus Severienſi. Olim Crasſow Sclavonica terminatione. XVII.

Craſnenſis, vulgò Kraſznenſis, antea Kraznenſis, Hungar. *Kraſzna*. Extat pagus, unde ei nomen, vel ex cognomine fluvio. XVIII.

Gemerienſis, vel Gōmōrienſis ex Ungarico *Gômôr*. antiquè Gewmewr. Fuit Gemerum munitio terrea. XIX.

Ha-

XX. Haranenſis, appellatus fuerit de Harano, loco inter Pantſchovam, & Orſchovam à geographis notato, fueritque pars Craſchovienſis.

XXI. Heveſienſis, ſonat Heveſchienſis, Hungaricè *Heves.* Extant veſtigia ampli pagi, unde dictus eſt.

XXII. Heveſchienſis minor nullus eſt, niſi fortè Verbecius per illum voluiſſet deſignare terram Philiſtæorum, ſive Jazygum, in Heveſchienſi incluſam.

XXIII. Hontenſis, quondam Huntenſis, quanquam à caſtello nomen trahere potuit, vero tamẽ ſimilius eſt, quòd illud traxerit à nobili gente Huntina. Hungaris hodie *Hont Vár Megye,* Sclavis Huntſka Stolicza.

XXIIII. Jaurinenſis, antiquè Gewrienſis ex Hungarico *Gewr*, nunc *Győr;* quod vocabulum quia exteræ nationes efferre non poterant, Rex Bela IIII. formavit Jaurinum.

XXV. Liptovienſis, incertæ originis. Totus tractus Liptovia vocatur, Ungaricè *Lipto.* Quamvis vocabula hæc *arcis limes* in omni tractu caſtellum, aut oppidum poſtulare vi-

videantur, & Andreas II. Rex in Decretis ſuis præfectos provinciales communiter Comites caſtrorũ appellet, tamen ea ratio non omnino omnibus convenit: ſiquidem in hoc tractu ne pagus quidem eſt, qui Lipto dicatur. Memoria oppidi, aut caſtelli obliterari non potuit, quæ in regionibus crebrò ab hoſtibus vaſtatis permanſit. Ex populis, qui *Liptaci* vocantur, vel ex habitatore perantiquo jam olim nominatus fuerit. Accedit, quòd Colomanus Rex Decretorum Lib. I. Cap. XXXVII. Comitatus *megas*, id eſt, limites Comitum appellare videatur; qui limites deſcribi poterant ſine arcibus ubique incluſis.

Maramaroſienſis vulgò, ſonat Maramaroſchienſis, quondam Maramarusiensis. Mutuatus fuerit nomen à caſtello, quondam ad Maram amnem ſito; cujus memoria quibusdam accolis nondum excidit. Sunt, qui conjectant, illum appellationẽ duxiſſe, à vicina Ruſſia, negántq;, cujuſquã caſtelli vel veſtigium, vel memoriam ſupereſſe. XXVI.

Moſ-

XXVII. Moſſonienſis, ſonat Moschonienſis, Ungaricè *Moſſon* antiquitus Muſuniensis. Extat locus, à quo etymon habet.

XXVIII. Neogradienſis, vel Novigradienſis, Ungaricè *Nográd.*

XXIX. Nitriensis, nonnulli geminant T. Hungaricè *Nyitra.*

XXX. Peſtienſis, Hungaricè *Peſt.*

XXXI. Pilischiensis, vulgò Pilisiensis, Ungaricè *Pilis.* Pilischum oppidulum quondam fuerit. In geſtis enim Caroli M. in ea parte Panno-niæ geminarum Peleſſarum fit mentio; vel verò accepit regio appellationem à monte quodam arboribus vacuo, unde *Abbatia* de Piliſſio Ordinis Ciſtercienſis.

XXXII. Poſeganus, vel Poſſegiensis, ſonat Poschegienſis, Ungaricè *Poſgavár megye.* Nomen ei ab arce.

XXXIII. Poſonienſis, Ungaricè *Poſon.*

XXXIIII. Saaruſienſis olim, à caſtro Saarus, hodie Saroſiensis, re ipſa Scharoſchiensis, Hungaricè *Sáros.* Hic ævo Caroli I. Regis cognominabatur Ujvariensis ex arce diruta, cujus

jus pars ſolùm fuit Scharoshienſis arcis vicinia.

Saboltschenſis, vulgò Szabolcſenſis, olim Zabolchensis vel Zabolczensis, & Zabouthensis, nunc Hungaricè *Szabolcs*, vel *Szabolts*. Quamvis ætate D. Ladislai Regis ut ejus decreta declarant, extiterit oppidum Sabolchum, tamen & illi, & regioni dux Saboltsch nomen ſuum commodaverit. Extat in latere Auſtrali Tibiſci ſupra Tocajum vallum ingens, ſub quo vicus nomen vetus retinens. Animadvertere oportet, Ungaros vetuſtiores literâ Z. uſos fuiſſe vice S, in cujus locum poſtea ſubſtituerunt geminas SZ. Ab anno verò M. D. circiter uſurpâſſe pro Tsch, vel ch, literas CZ. Proinde voces Bozna, Zabolczenſis, Ugoczenſis pronuntiabantur Boſna, Saboltschenſis, Ugotschenſis. XXXV.

Saladiensis, hodie Ungarico modo Szaladienſis, quondam Zaladienſis, nominatus ex arce in *Abbatiam* verſa, vel ab amne Sala. XXXVI.

Sattmariensis, patria ſcribendi XXXVII.

ra-

ratione Szattmarienſis. Etymon ejus eſt Germanicum. Arx everſa M. DCC.V.

XXXVIII. Scepuſiensis Ungaricè *Szepes*. Dictus ab arce, vel rupe, ſuper quam arx ſtructa eſt.

XXXIX. Severinenſis, antiquè Zewrinienſis, noſtra ætate Szőrénienſis ex Ungarico *Szőrény*. Nomen ei ab arce olim conſpicienda, vel à vico ſupra pontem Trajani ſito, in quo ædicula D. Severini fuerit.

XL. Simigienſis, ſonat Schimigienſis, Hungaricè *Simeg*. Unde appellatus ſit, difficile eſt vel conjectare: ſiquidem arx Schimegia eſt in regione Veſprimiensi. Incolæ ejus vocantur Schomogii, Hungaricè *Somogysàg*.

XLI. Sirmienſis, Hungaricè *Szerem*, de agro urbis Sirmii, jam dudum ſolo æquatæ, nuncupatus.

XLII. Solnokienſis exterior munitione memorabilis, vulgò Szolnokienſis, quondam Zonukienſis ex Hungarico *Zonuk*, hodie *Kůlső Szolnok*.

XLIII. Solnokienſis medius, vulgò mediocris, Hungaricè *Közép Szolnok*.

Solt-

Solthienſis, ſonat Scholthienſis, Hungaricè *Solth*, incertæ nomenclationis. Antiquitus fuit pars Comitatûs Albenſis Regalis: poſtmodum adjunctus Peſtienſi. XLIIII.

Sopronienſis, effertur Schopronienſis, priſcè Suprunienſis, Hungaricè hoc tempore *Sopron*. XLV.

Strigonienſis, nonnunquam Stigranienſis, Hungaricè hodie Eſztergom antea *Eſztergam*. XLVI.

Temeſienſis, ſonat Temeſchienſis, Hungaricè *Temes*. XLVII.

Tolnenſis, Hungaricè *Tolna*, ab ampliſſimo quondam oppido nomen mutuatus. XLVIII.

Tornenſis, appellationem invenit ab arce. XLIX.

Torontalienſis, Hungaricè *Torontál*. Extitit locus ſic appellatus, & gens Torontaliana. Origo illi ex lingva Germanica. L.

Trenchinienſis, re ipſa Trentschinienſis, Hungaricè *Trencſin*, ſive *Trintſin*. LI.

Turocienſis, Hungaricè *Turocz*, quondam Turuch. Etymon habet à fluvio Turocio. Arcem, quæ LII.

Turocienſis dici poterat, indigenæ Znionem nuncupant.

LIII. Valcovienſis, Hungaricè *Valko*. Extat caſtellum, unde cognominatus eſt.

LIIII. Verecenſis, Hungaricè *Verôcze*: à munitione cognomine nomenclationem traxit.

LV. Veſprimienſis, vel Bezprimienſis, Hungaricè *Veſzprim*, vel *Beſzprim*.

LVI. Ugochenſis olim, nunc Ugocſenſis, re ipſa Ugotſchenſis. Hungaricè *Ugotſa*. Hujus origo doctis incognita eſt. Ad Gothos eam vir quidam ſagaciſſimus refert. Ego nomen caſtelli mutatum reor.

LVII. Ungenſis, unde appellatus ſit, jam dictum eſt.

In tribus ſequentibus litera Z. duriùs ut duplex ſſ. enuncianda.

LVIII. Zarandienſis, Hungaricè *Zaránd*. Etymon habet ab alterutro *Zarando*.

LIX. Zemlinienſis, vel Zemplinienſis, Hungaricè *Zemplin*, vel *Zemlin*. Habuit caſtellum terreum, à quo appellationem ſumpſit.

Zo-

Zolienſis, Hungaricè *Zolyom*. De oppido regio Zolio, vel arce nuncupatus. Et Comitatum, & oppidum nonnulli litera S. inchoant. Ut diſcernatur à Neoſolio, oppidũ Vetus Zolium vocatur. LX.

Hactenus LX. Comitatus notati à Verbecio, ad ſummam expliciti ſunt; quibus addi poteſt Lapidenſis tractus, Hungaricè *Kővár*, pars olim provinciæ mediæ Solnokienſis, & regio minor Hontenſis, ſive *Proceſſus*, ad torrentem Rimam inter Gemerienſem, & Borschodienſem interjectus.

Quamvis porrò multum deferendum ſit Verbecio, & Broderito prodentibus, etiam tres quatuórve regiones, quas Dravus, & Savus alveis ſuis complectuntur, eſſe verè partes regni Hungariæ, quia tamen contra teſtificationem eorũ non modò *geographi*, & ſcriptores Croatici, ſed etiam faventes illis, vel oſcitantes Hungarici, Sclavoniæ regno Poſchegienſes, Valcovienſes, & Sirmienſes aſcripſerunt, conatus illorum, regni

tabulis refutare neceſſe eſt. Inter leges autem, quæ rem teſtatam faciunt, princeps eſt VII. anni CIↃCCCCLXXVII. quæ ſic loquitur: *Itē, quòd infra iſtos præſcriptos quinque annos per omnes Comitatus hujus regni congregationes generales, ſeu judicia univerſalia, in Comitatibus fieri ſolita non celebrentur propter inopiam ipſius regni, demptis Comitatibus Poſega, Valco, Sirmienſi, Baronia, Chanadienſi, Temeſienſi, Zarând, & Orodienſi; in quibus diverſa furticinia, latrocinia, mutilationes, hominum venditiones, decollationes, aliáque multiplicia malorum genera committi dicuntur.* Similis eſt huic lex XVI. añi CIↃCCCCXCVIII. qua definiebatur ratio militum ſcribendorum ad bellum, quod à Turcis imminebat, propulsandum. Statutum autem fuit, ut de ſex & triginta quibusque domibus ruſticorum, tenuiorúmque nobilium hominum ſinguli equites loricati legerentur, præterquam in regionibus quibusdam hoſtibus vicinioribus, in quibus numerus militum creſcere debuit.

*Poſchegienſis, Valcovienſis, & Sirmienſis Comitatus ſunt Hungariæ, non Sclavoniæ, ut multi ſibi perſvaſerant.*

buit. Verba autem legis, quæ veritatem patefaciunt, ſunt hujusmodi: *Demptis certis Comitatibus partium inferiorum, videlicet Poſega, Valco, Sirmienſi, Bách, Chongrád, Chanád, Zaránd, Torontál, Orod, Temeſvár, & Bekes*; qui ſcilicet pro numero pauciorum domorum plures milites ad caſtra miſſuri erant. Perperam igitur judicavit Georgius Ratcaius in libro, quem inſcripſit, *Memoriam Regum, & Banorum regnorum Dalmatiæ, Croatiæ, & Sclavoniæ*, indignéque non vaniloquentiæ ſolùm, ſed falsi quoque inſimulavit Verbecium & Brodericum, ubi teſtimonio cujusdam *geographi*, veras diviſiones, finéſque regnorum ditionis Hungaricæ inſigniter ignorantis, nixus, totam Pannoniam Saviam regno Sclavoniæ adſcripſit. Quid multis? lege XII. anni CIↃCCCCXCVIII. permiſſum eſt *Capitulo* Boznenſi inquiſitiones, executionéſque juridiciales in toto regno peragere more *Capituli* Budensis. Habuit autem collegium illud Boſnenſium ſacerdo-

*Hungariæ inferiores partes ad Dravum, Savum, Tibiſcū, & Marum amnes.*

*De Comitatibus illis Ratcaii error detegitur.*

*Capituli Boſnenſis facultas in rebus ad forum cauſásq; pertinentibus.*

tum domicilium Deacovii in regione Valcovienſi. Regnum autem in ea lege ſumitur pro regno duntaxat Ungariæ: ſiquidem Verbecius *Parte II. Operis Tripartiti Titulo* XXI. idem argumentum perſequens cetera regna, & provincias *Partes ſubjectas* vocat. Non pauca præterea ſe offerent aliàs, quæ argumentum hoc illuſtrabunt. Ceterùm ex productis legibus apparet, Hungaros in nominibus Comitatuum perſæpe non adhibuiſſe terminationes Latinas; Reges verò in diplomatibus crebrò uſos fuiſſe talibus formulis, Comes de Pilis, de Keve &c. conſtabit.

# CAPUT III.

## *De quatuor Comitatibus,*

*quos præterea indicat Stephanus Verbecius, déque terris Ungaricæ ditionis ultra Savum.*

*Comitatus quatuor Transſavani releguntur.*

REſtant apud Verbecium Comitatus Coviniensis, Machoviensis, ſive Matschoviensis, Orbacensis, vel Obracenſis,

ſis, & Zebernekienſis. Coviniensis eſt tractus adjacens Danubio inter Savum, & Moravam amnes, continens complexu ſuo Belgradũ, ut tradit Iſtvanfius Lib. VI. Matschoviensis eſt provincia Matſchva finitima Coviniensi, procurrens à Savo Moravam verſus, irrigua flumine Colubra. Jungitur illi Obracensis circa amnes Savum, & Drinum: huic contermina eſt Zebernekiensis pertinens ad Boſniam, clara quondam munimento contra impetus Turcarum; cujus meminit lex V. anni CIƆIƆVII. vocátq; illud caſtrum Zebernik: geographi verò Srebernik exprimunt. Videtur valere argentariam arcem. Orbacensis meminerunt tabulæ regni, anni CIƆIƆCCXV. lege LXXXV. ubi jus ſuum perſequitur gens Dersöffiana in regionibus Poſchegiensi, Valcoviensi, & Orbacensi. Hæc cum Coviniensi adjuncta erat præfecturæ Matſchoviensi. Hungari Covinienſem lingvâ vernaculâ Keveienſem nominabant ex arce Keve, quod perſpicuum faciunt literæ

*Covinienſis ubi?*

*Matschovienſis Comitatus ubi?*

*Obracenſis Comitatus*

*Zebernekienſis Comitatus, ſive Sebernekienſis.*

*Covinienſis Comitatus Hungaris Keveienſis.*

ræ Regum, maximorúmque Pontificum. Franciſcus Otrocotſius in Hiſtoria Eccleſiaſtica Hungariæ, quæ nondum emanavit, profert Andreæ II. R. anno cIↃccIX. ſcriptas, per quas ſignificat idem Rex, ſe à Gregorio de Creſcentio Cardinali, Romanæ Sedis legato, *Abbatibus cœnobii* S. Benedicti ad Granam amnẽ reſidentibus, impetrâſſe usũ pontificalium veſtimentorum atq; ornamentorum, quibus eatenus uti non eis licebat. Initium literarum eſt hoc: *Andreas Dei gratia Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Ramæ, Serviæ, Galiciæ, Lodomeriæque Rex in perpetuum.* Extrema verò ſunt: *Venerabili Joanne Strigonienſi Archiepiſcopo, Reverendo Bertholdo, Colocenſi electo, exiſtentibus: Calano Quinqueeccleſienſi, Bolezlao Vacienſi, Cathapano Agrienſi, Simone Varadienſi, Kalenda Bezprimienſi, Deſiderio Chenadienſi, Petro Gewrienſi, Eccleſias feliciter gubernantibus. Poch Palatino, & Muſunienſi Comite, Banc Bano, Michaële Vojavoda, exiſtentibus: Marcello Bachienſi, Jula Budrugienſi, Martino*

*S. Benedicti cœnobii Abbati conceſſus uſus pontificalium.*

*Bodrogienſis*

tino

*tino Keweienſi, Ochuz, Suprunienſi, Moys Ferrei Caſtri, Moche Poſonienſi comitatus tenentibus, regni noſtri anno quinto.* In hac clauſula cùm plura alia, tum maximè obſervatione illud dignum eſt, quòd quemadmodum inferiorum, celebriorum, aut extremarum, ita quoque Auſtriæ, & Styriæ finitimarum provinciarum præfecti nominati ſint. Rurſus Otrocotsius in eadem hiſtoria ex tabulario Strigoniensi depromit literas Ladislai IIII. Regis anno CIƆCCLXXIIII. ratam habentis commutationem quarundam villarum, ubi Comes de Keve ceteris proceribus aſcribitur. Tituli regii ſunt: *Ladislaus Dei gratia Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Ramæ, Serviæ, Galitiæ, Lodomeriæ, Cumaniæ, Bulgariæ Rex.* Concluſio: *regni noſtri anno ſecundo. Metropolitana Sede Strigonienſis Eccleſiæ vacante: venerabilibus Patribus, Stephano Colocenſi, & Joanne Spalatenſi Archiepiſcopis, Lamperto Agrienſi, Briccio Chanadienſi, Job Quinqueeccleſienſi, Paulo Weſprimienſi, aulæ noſtræ Cancellario,*

*& Kevei-enſis Comitatus.*

*Philippo Wacienſi, aulæ dominæ Reginæ, chariſſimæ conſortis noſtræ, Cancellario, Lodomerio Varadienſi, Timotheo Zagrabienſi, Dionyſio Jaurienſi, & Petro Tranſylvano Epiſcopis. Dionyſio Palatino, Comite de Otlych, judice Cumanorum, Herrico Bano totius Sclavoniæ, Nicolao Wajwoda Tranſylvano, Comite de Zonuk, Joachino magiſtro Tavarnicorum noſtrorũ, Comite de Pilis, Paulo Bano de Zewrino, Reinaldo magiſtro dapiferorum noſtrorum, Comite Zulgajewrienſi, Herbordo magiſtro agaſonum noſtrorum, Comite de Barana, Laurentio magiſtro pincernarum noſtrorum, Comite de Kewe, & Craſow, Joanne Comite Suprunienſi, Gregorio Comite Caſtri Ferrei, Moys magiſtro Tavarnicorum dominæ Reginæ, conſortis noſtræ, Comite de Simigio, Dedalo Comite Zaladienſi, Jacobo Comite Nitrienſi* &c. Innocentius verò III. ſummus Pontifex meminit arcis Kewe epiſtolâ ad Emericum Regem, anno CIƆCCIIII. data, expoſtulans cum eo plures injurias, ac præſertim, quia Leoni Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinali trans-

*De Kewe, & Craſſow Comitatus*

tranſitum ad Joannicium Bulgarũ interclu ſerit, eúmque aſperè tractaverit. Verba autem ejus Pontificis, quæ ad inſtitutum faciunt, arcíſque illius locum indicant, ſunt iſta: *Procedens ergo* Cardinalis *cum nunciis ſuis uſque ad regni terminum, pervenit ad caſtrum, quod vocatur Kewe, ubi ſolo Danubio mediante regnum Ungariæ à Bulgarorum provincia ſeparatur.* Videtur Innocentius pro Bulgarorum provincia accepiſſe Valachiam. Ea enim tempeſtate Valachi inclinatis rebus Græcorum dedititii fuerunt Bulgarorum: ſiquidem Danubius nunquã diſterminavit à Bulgaria Hungariam, etiam in Servia dilatatam, ſed amnis Morava. Etenim Guilielmus Tyrius expeditionem ſacram anni CIↃCXVI. & Godefridi Bullionii in Palæſtinam profectionem deſcribens, mentionem facit fluvii Maröes, vel Maroæ in finibus Hungariæ; Arnoldus verò Abbas Lubecenſis (*in Chronicis Slavorum Libro III. Cap.* XXIX. *pag.* 357. & *ſequen. editionis Lubecenſis añi* CIↃ-

*Ungaria Morava fluvio terminata in Servia.*

IↃ-

IↃCLIX) poſtquam hoſpitalitatem, & benevolentiam Belæ III. Regis erga Fridericum Imperatorem, anno CIↃCLXXXIX. exercitum in Palæſtinam ducentem, expoſuit ac dilaudavit, refert, copias ejus Salankamenum delatas Savum trajeciſſe, inde in terminis Ungariæ ad Moravam conſtitiſſe, eóque tranſito in Bulgaria malè acceptas eſſe. Antequam divellerentur Principes (pergit idem ſcriptor) ob junctas affinitates (Bela enim filiam ſuam deſponderat filio Friderici) certabant officiis; Rex munera, & commeatum Imperatori affatim præbuit: Imperator verò Regi naves omnes, quibus à Ratisbona devectus erat, ad oſtium Moravæ appulſas Regi dono dedit. Fuit autem Arnoldus Abbas, qui hæc poſteritati propagavit, ſcriptor Principibus illis æqualis. Quas ob res ex illo tempore, quo Rex Salomon, Gejſa, & Ladislaus Duces Albam Græcā expugnaverunt, fines Hungarici dominatûs fuiſſe apud flumen Moravam, res confeſſa eſt.

*Bela III. R. Ung. & Fridericus Ænobarbus affinitate devincti.*

*Belgradum cum finitimis additū Ung. anno* CIↃLXXIII.

Pro-

Procedente verò tempore prolati ſunt termini ditionis Hungaricæ trans Savum, præcipuè cùm nova Latinorum expeditio, deſtinata in Syriam, anno CIƆCCI converſa fuit in Græcos. Emericus namque Rex conſcripto exercitu, ut votũ patris in Syriam ducendi perſolveret, ex labefacto convulsóque Græcorum Imperio occaſionem arripiens, non modò in Servia fines imperii ſui protulit, aut ſtabilivit, ſed etiam Bulgariæ partem ſubegit, addito ceteris titulis, ut docent quædam ejus literæ anno CIƆCCII. ſcriptæ, titulo Regis Bulgariæ; quo tamen honore poſtea abſtinuit. Eodem illo anno per nuncium Innocentio Papæ ſignificavit, ſe terram Magnipani in ditionem ſuam feliciter redegiſſe, dejecto gubernaculis totius Serviæ Stephano, Vulcóque in ejus locum ſuffecto. Quare anno ſequenti idem Pontifex Max. Sauli, *Metropolitæ* Colocenſi, mandavit, ut Vulcanum Meganipanum adiret, eúmque ac optimates Servios à jurisdictione *Patriar-*

*Emericus R. propagavit fines imperii ſui trans Savũ añno CIƆCCI.*

*Idem ſumit titulũ Regis Bulgariæ, & ponit*

*Bulgari à factione Græcorum ſejuncti.*

*ar-*

*archæ* Conſtantinopolitani vendicaret, Sedíque Romanæ ſubjiceret. Emericus Rex ubi rem ſuam in ſuperiore Servia conſtabilivit, titulum ejus regni adhibere cœpit, ut notum facit epiſtolâ, quam anno CIƆCCIIII. vitæ ſuæ ultimo, ad eundem ſummum ſacerdotem miſit. Id verò in morem perductum eſt. De terris quibusdam cum Joannicio, ſive Calo Joanne, Bulgarorum Principe Emerico Regi convenire non potuit. Reſcribens enim literis ejus Innocentius, tum querimonias ejusdem repetit, tum incommoda ſe levaturum promittit illis verbis: *Quòd autem ſcripſiſti, quoniam præfatus Joannicius terram, quam pater tuus ſorori tuæ, Imperatrici Græcorum dedit in dotem, detinet occupatam, & terram Serviæ tuæ Coronæ ſubjectam, adjuncta ſibi paganorū multitudine copioſa crudeliter devaſtavit &c. eo videlicet tempore, quo precibus noſtris inductus, Rege Bohemiæ à Philippi conſortio ſeparato, & Regi Ottoni conjuncto, cum ipſo pro iſto validum contra illum exercitum deſtinâſti:*

*Emericus Rex titulū Regis Serviæ ſibi vendicat.*

*Ejusdē de terris quibusdā cum Joannicio diſſidium.*

*cer-*

*certiſſimè noveris, nobis eſſe valde moleſtum, quidquid in tuam injuriam, & jacturam noſcitur attentatum, & quod inde congruè ſatisfiat nos diligens ſtudium impenſuros, & operam efficacem &c.* Totas epiſtolas, ex quibus paucula illa excerpſi, reperies apud Odoricum Raynaldum in Annalibus, geſtíſque Innocentii III. Papæ.

# CAPUT IIII.

## *De Banatibus Matschovienſi, & Boſnenſi, déque varia fortuna Belgradi.*

Quamvis Emericus, & Andreas II. Reges imperium in Servia auxerint, tamẽ regiones ejus in Provinciam non redegerunt, neque præfectos cum nomenclatione Banorum eis impoſuerunt. Siquidem ævo illorum Regum unus erat Banus, ut oſtendit clauſula literarum Andreæ ſupraposita, ejusdémque Decretorum Articulus XXX. añi CIↃCCXII. Eum verò Præſidem Boſnæ fuiſſe arguunt literæ Innocentii III. P. quas pau-

*Banatus Matſchovienſis.*

*Banus quondã unus.*

*Banatûs Matschovienſis Bela IV. conditor.*

paucis referam. Inſtituit itaque Provinciam Matschovienſem Bela IIII. Rex; qui quandoque eam cum honore Ducatûs dabat cognatis, & affinibus ſuis, ut in *Synopſi Rerum Hungaricarum* indicavi. Cauſâ quoque dotis poſſedit eam cum Boſna, & duobus Comitatibus vicinis Serviæ, & Boſnæ Eliſabeth, Stephani V. R. Vidua, eadémque mater Ladislai IIII. Ipſa id teſtificatur literis, quæ apud Raynaldũ ita efferuntur: *Eliſabeth Dei gratiâ, major Regina Hungariæ, Duciſſa de Machow, & de Boſna, omnibus Chriſti fidelibus præſens ſcriptum inſpecturis ſalutem in omnium Salvatore. Ad univerſorum notitiam harum ſerie volumus pervenire, quòd cupientes ſanctam Fidem Catholicam in Ducatibus de Machow, & de Boſna, & in Comitatibus de Poſaga, & de Valkov, ceteriſve Comitatibus noſtræ juriſdictioni ſubjectis, ac aliis, quos juvante Deo nos habere contigerit in futurum (deſtructis erroribus, ac eliminatis inde hæreticis, qui Eccleſiam ſanctam, & Fidem illius demoliri, atque deſtruere damnabi-*

*Banatus Matſchovienſis olim etiam Ducatus.*

*nabiliter moliuntur) per noſtræ regalis manſuetudinis, ac poteſtatis nec non jurisdictionis officium, & miniſterium dilatari; ad reqviſitionem, & commonitionem reverendi Patris noſtri, Philippi Dei gratiâ Firmani Epiſcopi, Apoſtolicæ Sedis legati, promittimus, & aſſecuramus per præſentes &c. Datum per manus magiſtri Lucæ, Strigonienſis Eccleſiæ Præpoſiti, aulæ noſtræ Cancellarii, año Domini* CIↃCCLXX.XIIII. *Kalendas Septembr. Indictione* VIII. Oppugnatores hi veritatis, quibus Regina Eliſabeth exitium parabat, fuerint ſoboles Patarenorum, Albigenſiũ reliquiæ, eo nomine nuncupati, quia vel ſacrificos ſuos patres vocitabant, vel quia ſe multa pati dictitabant, nonnullis propterea Patereni appellati. Fuerunt autem Romanæ Sedis primatúſque ejus acerrimi hoſtes. Numerum eorum haud modicum, ab Archiepiſcopo Spalatenſi è Dalmatia pulsũ, Culinus Boſſinus, ſive Boſnenſis Banus hoſpitio recepit fovitque: quam rem indignè ferens Innocentius III. ſumus ſacerdos per literas

*Pataræni hæretici in Boſnia.*

*Culini Bani Boſnenſis in Patarenos propenſio.*

Emericum Regem monuit, ut non modò in inſanientes illos, ſed in ipſum quoque Banum, ſi eos protegere pergeret, pro ſua poteſtate opibúſque animadverteret. Integram Pontificis Max. ejus epiſtolam producit Raynaldus perſequens res anno CIↃCC geſtas. Vix tamen ab Emerico ulla parte depulſum, quin ſenſim opinione latiùs diſſeminatum fuit malum. Sequentibus quippe annis crebrò cum Patarenis manus conſerebant intacti à peſte Hungari, ſicuti atteſtatur Bela IIII. commendans virtutem, & fortitudinem Nicolai, Magiſtri Tavarnicorum, & Comitis de Dobicza in Sclavonia, diplomate anno CIↃCCXLIX conſcripto tali oratione: *In expeditionibus quoque contra Boſnenſes hæreticos, Deo & hominibus odibiles, frequenter laudum præconia reportavit dimicando.* At de hoc argumento hoc loco ſatis. Demonſtravi jam Ungaros fuiſſe Dominos Serviæ uſque ad oſtium fluvii Moravæ, quod neutiquam fieri potuiſſet, niſi Belgradum poſſediſſent;

*Ungarorũ prælia cum Paterenis.*

*Nicolaus hic fuit Magiſter Tavarnicorũ Stephani R. filii Belæ IV.*

legi-

legíque bina ternáve Caroli I. Regis diplomata, in quibus ceteris Præſulibus Hungariæ adjunctus fuit Frater Petrus cıɔcccxxxv. Nandor Albenſis; quin & Franciſcus Otrocotſius ex literis anni cıɔcccxxxiiii. Caroli ejus Regis, quibus termini villæ Tschevæ deſcribuntur, depromit nomina Præſulum Ungariæ, intérque ea *Fr. Pauli Albenſis de Nandor*; quem aliósq; nequaquam Rex monumentis inſcribi ſiviſſet, niſi Belgradum dominatu ſuo tenuiſſet. Anno deniq; cıɔccccv. decémq; ſequentibus Banus Matschovienſis fuit Joannes Marothus. Super hæc poſt redditam quocunque demum pacto Ungaris Albam Græcam in literis fæderis, pro diademate Imperatorio inter Eugenium Papam, & Sigiſmundum Romanorum, Ungarorum, & Bohemorum Regem anno cıɔccccxxxiii. initi, Matico, vel Mathias Tallocius, orator regius, fuit Comes Kevinenſis, & *Capitaneus* Nandor Albenſis. Igitur Nandor Alba fuit in tractu Kevei-

*Belgradi Epiſcopi Carolo I. Rege.*

*Joañes de Maroth Banus Matschen.*

*Tallocius Comes Kevinenſis.*

enſi, quem multis ante annis poſſederunt Hungari. Attamen vera ſunt illa, quæ recenſet Turocius in geſtis Sigiſmundi, enumerans ſatrapias, arces, & villas; quas idem Rex abſens dedit Georgio Deſpotæ pro Belgrado. Dedit enim ei Tocajum, Muncatſchium, Debrecenum, & complura alia loca; quæ indicabunt literæ provinciam Torontalienſem detegentes. Dum Sigiſmundus Rex longo tempore peregre eſſet, ab anno videlicet CIƆCCCCXII. ad CIƆCCCCXXXV. pace Eccleſiæ concilians, agmina hoſtium irruperunt in ditiones Hungaricas. Veneti enim carpebant Dalmatiam, Huſſitæ crudeliſſimè vexabant finitimam Moraviæ Hungariam, Hervoja Banus Croatiæ, & connivente Sigiſmundo Dux Spalati, turbabat in Boſnia: ubi nobiliſſimos Hungarorum, Joannem Garam, Joannem Marothum, Paulum Tſchuporum levibus præliis victores in inſidias maximi Turcorum exercitûs, ùt domeſtici, atq; externi ſcriptores juxta produnt, per-

*Belgradum redimit Sigiſmundus Rex.*

*Hungaria temporibus Sigiſmundi Regis variis exercitibus oppugnata.*

pertraxit, & gladiis eorum objecit anno cIↃccccxv. quo ipſo año Stephanus Loſchoncius juſſu Sigiſmundi pugnans pro Merche, Vajvoda Tranſalpinæ, contra Danum cognatum ejus atque æmulum in acie mortem occubuit, adhæc, ùt memorat Cromerus in geſtis anno eodem, Alexander, Vajvoda Valachorum Moldavorum, cognito caſu Loſchoncii, Poloniæ Regis, utpote vicini Principis præſidio deſideravit tegi, quoad potentia, & majeſtas regni Hungarici reſurgeret. Turbato itaque uſque adeò Hungariæ ſtatu Raſcii, in perniciem Belgradi diu excubantes, illud expugnaverint. Vero tamen ſimilius eſt, id accidiſſe primis Sigiſmundi temporibus, ſiquidem bonorum pro Belgrado datorum particeps quoque fuit Paulus Birinius, Stephani, qui Imperator Raſciæ, Bulgariæ, Romaniæ, Boſnæ, & Albaniæ dicebatur, ex fratre Michaële nepos. Quæſitum igitur Stephani fuerit. Senderoviam, vel Semendriam ante annum cIↃcccc habuerunt

*Belgradum à Raſciis quando expugnatum.*

*Senderovia Ungarici juris, poſtea Raſcii.*

 runt

runt Raſcii, quamvis antecedentibus ſeculis juris Hungarici fuerit. Nuncupatur enim ab Hungaris extrema Senderovia (*Vég Szendrő*) ut diſtingvatur à ceteris ejusdem nominis locis, quæ plura ſunt in regno, trahúntque appellationem à Sancto Andrea. Eſt autem Senderovia Serviæ muro ſatis lato, altóque circumdata; opus Romanorúmne, an alterius cujuſpiam gentis incertum: poſt inventa ænea muralia tormenta parum firma, hoſtique reſiſtens, ac ferè domibus vacua.

*Senderoviæ qualitates.*

# CAPUT V.

## *De Banatu Severinenſi.*

*Severinenſis Banatûs auctor Bela IIII.*

Diſtracto per Latinos Imperio Græcorum ætate Emerici Regis acceſſerit quoq; Hungariæ pars Valachiæ; in qua inſtituta eſt præfectura Severinenſis vocata; cujus quidem nulla mentio in veteribus monumentis uſq; ad regnum Belæ IIII. Vix ſatis ſtabilitam cum Hungaria deleverunt penè Tartari anno CIↃCCXLII. Eam ſubin-

ſubinde tradidit Bela Rex Crucife-ris Rhodiis tuendam poſſidendámque; ſed & ii impares hoſtium multitudini ſtationem poſſeſſionémque deſeruêre: nec quiſquam vir tam fortis, támq; magnanimus ex Ungaris reperiri poterat, qui eam provinciam ſuſtinere voluiſſet, extra unum Laurentium, ùt opinor, Hedervarium, aulæ regiæ Judicem, & Comitem Moschonienſem, ùt teſtificatur idem Bela Rex literis anni CIↃCCLXIIII. tali contextu verborum: *Denique cum Bulgarorum temeritas tempore guerræ inter nos, & Regem Bohemiæ, Ducem Auſtriæ, & Styriæ exortæ, Banatum de Zewrino hoſtiliter devaſtâſſent, & plerique de Baronibus noſtris defenſionem ipſius Banatûs nollent aſſumere, per nos etiam diligenter requiſiti, ſæpè dictus magiſter Laurentius collato ſibi per nos ipſo Banatu Bulgarorum devicit exercitum, ablatis ſpoliis & prædis, quibus iidem Bulgari fuerant honerati*: de quibus *etiam quosdam in ripa Danubii ſuſpendi fecit in patibulo: & ſic ipſorum Bulgarorum protervia quieſcente ipſum Bana-*

*Traditur ab eodem Rege Cruciferis Rhodiis ſive Hoſpitalariis.*

*Reſtituitur per Laurentium Judicem Curiæ.*

*natum, ad priſtinum bonum ſtatum virtute permaxima reſtauratum, noſtræ reſtituit majeſtati.* Sic ille Rex. Conſequentibus quoque temporibus eadem præfectura modò proſtrata derelictáque, modò in integrum reſtituta erectáque variam fortunã ſubiit, Bulgaris, & Valachis in exitium ejus intentis. Devaſtatâ demum à Turcis Valachiâ Tranſalpinâ, arcéque Severinenſi, ubi quondam Zernenſis colonia erat, exuſta dirutáque Principe Mathia Corvino ſublata fuit hæc præfectura, nova verò Temeſchvari conſtituta; qui hanc gerebat Comes dicebatur, & in diplomatis regiis majoribus Baronibus regni adjunctus, Poſonienſi Comiti ſubjungebatur tum quoque, cùm à Vladislao Rege, qui Mathiam exceperat, reſtitutus fuit Banatus Severinenſis. Capto à Turcis Temeſchvaro, quia Tranſſilvaniæ Principes poſſederunt terram Tranſſilvaniæ ſubjectam uſque ad Danubium, ubi Pantſchovæ propinqvus eſt, creabant quoque Banos, qui Caranſchebeſchi reſidebant

*Varia ejus vices.*

*Temeſchienſis præfectura vice Banatûs ejus conſtituta.*

bant; eorúmque ultimus videtur fuiſſe Paulus Magnus, qui anno CIↃIↃCXLII. cum Principe Georgio Racocio inſectabatur ſacerdotes Catholicos, beneficus in JESUITAS ſcilicet. Extant etiamnum reliquiæ arcis Severienſis infra vicum S. Severini, pontémque Trajani prope cataractas, apud quas Danubius, ùt Straboni placet, aſſumit nomen Iſtri. In geſtis præterea Sigiſmundi Bathorii, Principis Tranſſilvaniæ anni CIↃIↃXCV. reperi præfectum hujus tractûs fuiſſe Stephanū Bekeſchium ſub nomine Bani Lugoſchienſis.

*Banus Paulus Magnus Caranſebeſchini habitans.*

*Severienſis arx ubi?*

*Banus Stephanus Bekes.*

# CAPUT VI.

## *De pluribus Banatibus extraordinariis.*

LAdislaus IIII. Rex Hungariæ nondum ex ephebis exceſſerat, cùm gubernacula regni capeſſeret. Facilè itaque adduci poterat, ut præter morem patrum Præſidum, quos majores Banos dixêre, numerum augeret, quemadmodum Carolus I. quò magis Unga-

*Banorum numerum auxit Ladisl. IIII.*

*Carolus I. copioſiores appellabat Comites.*

garos ſibi devinciret, copioſiores benéq; veſtitos, ampliter acceptos, Comitũ honore dignabatur. Quocirca aliqui palàm prædicant, ſe verorum, ac germanorum Comitum poſteros eſſe, quales tamen etiam Ludovici I. Caroli ejusdem filii ætate rariſſimi fuerunt; at ratione officiorum ſemper quamplurimi; horúmque honores in poſteros principiò non transfundebantur. Temporibus quidem primorum Regum erant aliqui nobilitate Comites, at Principe Andrea II. ſummos quoq; magiſtratus gerentes *Jobagiones* dicebantur; quo vocabulo poſtea ruſtici, & coloni ſtipendiarii appellari cœperunt. Titulus ſplendidior, quo Palatini, Judicis aulæ, aliorúmque ejuſmodi regiorum curatorum nati ornabantur, fuit Magiſtri. Verùm, ut ad propoſitum revertar, in illius Ladislai Regis, Cuni vocitati, diplomate, quo Laurentio Comiti Schoproníenſi conſenſu matris ſuæ, omniúmque Præſulum, ac Procerum pagum quendam anno regni ſui primo, Chriſti verò

*Jobagiones* jobbágyok *quaſi optimates dicti majores Barones; eorũ filii magiſtri.*

rò CIↃCCLXXIII. donavit utriuſq; faſtigii ſacri ſcilicet, & *politici* viri hi nominantur: *Magiſter Nicolaus S. Strigonienſis Eccleſiæ electus, & perpetuus Comes loci ejusdem, aulæ Cancellarius, venerabiles Patres, Stephanus Colocenſis, & Joannes Spalatenſis, Archiepiſcopi, Lampertus Agrienſis, Job Quinqueeccleſienſis, Comes Muſunienſis, Philippus Vacienſis, aulæ regiæ matris Regis Cancellarius, & Comes Neogradienſis, Paulus Veſprimienſis, Briccius Chanadienſis, Timotheus Zagrabienſis, Lodomerius Varadienſis, Dionyſius Jaurienſis, Epiſcopi*: *Rolandus Palatinus, Banus de Macho, & Judex Cumanorum, Matthæus Banus totius Sclavoniæ, Nicolaus Vajawoda Tranſſilvanienſis, & Comes de Zonuk, Iwachinus magiſter Tavarnicorum, Comes de Pilis, Ladislaus Judex Curiæ, & Comes de Baranya, & de Zibinio, Laurentius C. Suprunienſis, & de Urban, Henricus Banus de So, & de Vazara, Stephanus Banus de Bozna, Gregorius Banus de Bronch, & de Krucho, Paulus Banus de Zewrino, Reinoldus M. Dapiferorum, Comes Zalagagewrienſis*

*enſis, Laurentius M. Pincernarum, Comes de Kewe, & de Kraſo, Ugernus M. Agaſonum, Comes Sirmienſis, Emericus C. Simigienſis, Dominicus Comes Caſtri Ferrei, Joannes Com. Zaladienſis, Salomon Comes Albenſis, Michaël Com. Nitrienſis.* Hæc ab archetypo, & veritate diſtare nequeunt, quia à me, ſicut plura alia, deſcripta ſunt. Perplures regiones, quas tangunt literæ, maximam obſcuritatem habent. Quis enim vel conjecturâ conſequetur, ubi terrarum fuerit Comitatus Urbanenſis, & Salagagewrienſis? Reperi quidem in Annalibus Paulinis paginâ 275. à Petro Magno Peſtano anno CIƆIƆXI. datum fuiſſe pagum *Zolghajur* Eccleſiæ Albenſi, id eſt, albo illi templo apud Budam, quod Caroli Magni opus fuiſſe aliqui rati ſunt; ſed unius pagi præfectura ampla eſſe non potuit. Zibinienſis fuítne Cibinienſis in Tranſſilvania, an Sibinicenſis in Dalmatia? quis dijudicaverit? Propius tamen vero eſt, Ladislaum illum Judicem aulæ regiæ fuiſſe præfectum Sibini-

*Comitatus Urbanenſis, & Salagagewrienſis* (Szolgagyörienſis) *incogniti.*

nicenſem: Cibinienſis enim Comitatus uſque adhuc eſt Saxonũ proprius. Provinciæ *de So*, & de Wazara fuerunt in Boſna, ùt docent tituli apud Joannem Lucium Stephano Duci Boſnæ, affini Caroli I. Regis Ungariæ dati, qui tales erant: *Magno & potenti Domino Stephano Libero Principi Boſnæ, Uſſoræ, Salæ, & plurium aliorum locorum.* Fuerunt autem Uſſora, & Sala arces; hæc apud Salinam, illa apud flumen Uſſoram. Poterántque Stephano ùt affini concedi à Carolo perinde, ùt conceſſus fuit ei honos regius. At Uſſora rurſus ad jurisdictionem Hungaricam redierat, quod planum facit Ludovicus Rex in principio ſuarum legum anni CIƆCCCLXIIII. aſſerens, ſe contra *hæreticos* in Boſniæ regno majorem in modum proſeminatos, miſiſſe in Uſſoram cum exercitu Nicolaum Archiepiſcopum Strigonienſem, & Nicolaum Palatinum, qua quidem in expeditione duplex ſigillum regium ſurreptum fuit. At de Uſſora, & Sala aliàs. De Satrapia verò Bront-

*Uſſora abalienata rediit ad Ludovicum I.*

*Banatus Brontſchenſis obſcurus.*

*Banatus Cutſchovienſis.*

Brontſchenſi rurſus undiq; tenebræ: Cutſchovienſem dictã fuiſſe exiſtimo ab arce *Klutſch*, de qua Croatia gloriabatur. Has provincias noſtratibus ignaras, eò in lucem protuli, ut ſi quis meliorem illarum cognitionem ceperit, noverit ipſas juris fuiſſe Hungarici. Manifeſta ſunt; Banum totius Sclavoniæ fuiſſe Dalmatiæ, Croatiæ, & peculiaris regni Sclavoniæ cuſtodem ac moderatorem, eámque conſuetudinem tenuiſſe, poſtquam etiam Croatiæ, & Dalmatiæ Bani præfici cœperunt: præfectos verò ac præſides Comitatuum, qui nullo munere aulico fungebantur, néque cuſtodes erant finium regni in diplomatis regiis poſt annum CIƆCCC. non inveniri, præter Poſonienſem, & Temeſchienſem. De iisdem, aliiſque Satrapiis, ac præfecturis extat lex anni CIƆCCXII. quæ ità exprimitur: *Wajvodatum Tranſſilvanienſem, & Comitatum Siculorum, ac Temeſchienſem; præterea Banatum Sclavoniæ, Dalmatiæ, & Croatiæ, nec non Sirmienſem, Nandor Albenſem, & de Jajtza, aliáque*

*Banatus totius Sclavoniæ juriſdictionis termini.*

*Comites ſupremi, qui non erant Barones majores omiſſi in diplomatis à regno Caroli I.*

*Præfectura limitanea quibus dabantur.*

*áque loca, & caſtra finitima &c. non aliis, præterquam Ungaris pro officiolatu regia Majeſtas dare, & conferre valeat, bene tamen meritis.* Notatione dignum illud hìc ſuccurrit, poſt vaſtatam ſubactámque à Turcis, excepto Belgrado, Serviam, Banatum Matſchovienſē à Mathia Corvino ſublatum fuiſſe, & Sirmienſem inſtitutum; ſed Vladislaus in antiqvum ſtatum Matſchovienſem reſtituit. Non tamen ſum neſcius, expugnata ab eodem Corvino nova Turcica munitione, cui Savus Sabacii nomen dedit, ereptóque hoſtibus Strebernico, judicia recuperatoria, quæ Hungaris octavalia appellantur, in foro Bani Matſchovienſis aliquandiu caluiſſe, ſileréq; juſſa eſſe lege XI. añi CIↃCCCCLXXVI.

*Banatum Matſchovienſem aboleverat Corvinus.*

*In Banatu Matſchovienſi judicia octavalia ſublata.*

# CAPUT VII.

## *De Comitatibus Torontalienſi, & Bodrogienſi.*

GEographi, qui duce Giacomo Cantellio regiones Ungariæ diſtinxerunt, cùm in

*Torontalienſem, & Bodrogienſ.*

*Comitatus malè indicaverunt geographi, ùt multos alios.*

in plurimis aliis, tum præcipuè in demonſtrando ſolo Comitatuũ Torontalienſis, & Bodrogienſis offenderunt. Hunc enim in agro Batſchienſis, illum in finibus Exterioris Solnokienſis, & Biharienſis locaverunt; qua re in errorem ac devia traxerunt viros nobiles, qui anno CIↃIↃCCXXII. ab ordinibus regni miſſi fuerant ad deſcribendã regionem Torontalienſem propter exactionem vectigalium. Nihil enim in ora illa de Torontallo fama, & auditione accipere poterant. Adeò ob continua diutináque bella perturbata confusáque ſunt in hoc regno multa, ut ejus partes quædam in corpore quærantur, nec definitè inveniantur ac diſcernantur. Commodùm verò venerunt in manus meas literæ, anno CIↃCCCCXXII. conſcriptæ, è quibus aliquid veri emicat ad illuſtrandam, quam tracto quæſtionem. De fide earum dubitare nefas eſt. Et quoniam non modò regionis Torontalienſis, ſed plurium partes, locáque quædam Boſniæ retegunt, & quaſi in conſpe-

ſpectu ponunt, in lucem illas profero, ſúntque iſtiuſmodi: *Nos Capitulũ Eccleſiæ Budenſis omnibus Chriſti fidelibus tenore præſentium ſignificamus, quibus expedit univerſis; quòd illuſtris Princeps, Georgius Deſpotus regni Raſciæ, atque dominus Albaniæ onera, ſeu quælibet gravamina univerſorum fratrum, proximorum, & conſangvineorum ſuorum, & præcipuè contoralis ſuæ dominæ Elenæ, nec non filiorum ſuorum, puta Stephani, Gregorii, & Lazari ſuper ſe recipiens, & aſſumens coram nobis perſonaliter conſtitutus ſponte propoſuit, & confeſſus extitit in hunc modum: quòd quæ conſangvineum ſuum legitimum, egregium Paulum Birini de Verona, filium quondam Michaëlis Ducis de eadem Marchionem Boznenſem de cognatione Stephani, regnorum videlicet Raſciæ, Bulgariæ, Boſnæ, atque Albaniæ quondam Imperatoris, juris ordine mediante de quibuſvis rebus, & bonis ac tenutis, & pertinentiis ſuis univerſis portio tangit, & concernit tanquam unum hæredem, ac filium ſuum, pro eo perſonaliter contulit eidem quinque caſtra ſua,*

*Litera Capituli Budenſis de donatione facta à Georgio Deſpota Raſciæ, Paulo Birinio, ex prototypo tranſcripta.*

*Boſniæ arces, & oppidula: Solnik ſive Sala &c.*

*puta caſtrum principaliter* Zolnik *cum oppidis ſcilicet* Zolnik *cum tributo in eodem exigi ſolito, nec non* Charancza, *cum tributo in eodem habito, ſeu auri, & argenti fodinis, ac* Bohorma *cum auri, & argenti fodinis, nec non tributo in eodem exigi ſolito, & Caſtrum* Theoczak *cum oppidis ſimiliter puta* Theoczak, Zeredahel *cum tributo in eodem habito,* Chetertekhel *cum tributo in eodem exigi ſolito, ac ſingulis vicinalibus poſſeſſionibus, quas ab eisdem regere, & poſſidere ſoliti ſunt; item*

*Oſſorienſis arx. Lucida arx in Comitatu Zarandienſi.*

Oſſorienſe: *item Caſtrum Vilagoſvár cum oppidis videlicet* Syri *cum tributo in eodem habito, nec non* Galſa, *ac poſſeſſione* Meſth *cum tributo, ſeu* Aranyag, *cum aliis poſſeſſionibus, & utilitatibus, quas ab antiquo ab eodem gubernare conſueverunt, in Zarand: item*

*Salankemenū in Com. Sirmienſi.*

*Caſtrum etiam* Zalankemen *vocatum, ac oppidum ſimiliter* Salankemen, *& vadum in eodem habitum, nec non poſſeſſiones* Olczar, *&* Garafalva *in Sirmienſi; ac caſtrum* Becze *in inſula Titiæ habitum, & oppidum ſimiliter* Becze *ac tributum ac vadum in eodem habitum, nec non poſſeſſiones* Ujfalu, Szentkiral,

*Titia Tibiſcus. Torontalienſis Comitat. loca.*

Bo-

Bodogaſſonſſalva, Szentendréd, Vegenye, Echehida, *ac tributum ac vadum in eadem habitum, nec non oppida* Araka, Bazalhida, Bechkereke, & *tributum in eodem exigi ſolitum, ac ſimiliter poſſeſſiones* Irmes, Nyilas, Chingard, Aradi, & *tributum in eadem exigi ſolitum in Torontalienſi: item eo modo poſſeſſiones* Cheregh, *ac tributum ac vadum in eadem habitum, nec non* Peterréve, Szent Péter, Arculith, Perlek, & *tributum in eadem exigi ſolitum, ac* Aſſonfalva, Pezer, *nec non tributum ac vadum in eodem habitum, in Bachienſi: item oppida* Thur, *ac tributum in eodem exigi ſolitum,* & Thiſſa Varſan *vocatorum in de Zolnok Comitatibus exiſtentium, habitorum omni jure, quo ipſe poſſediſſet, donavit.* &c. *Datum in Vigilia Nativitatis Virginis glorioſæ, anno Dñi M.CCCC. XII.* Hæc cùm vera non poſſint non eſſe, liquet, agrum Torontalienſem juxta Tibiſcum eſſe, extendique à vicinia Maruſii amnis Danubium verſus inter Themeſchienſem, & Bachienſem. Siquidem literæ oſtendunt, Tſeregum, Petri

*Bachienſis Comitatûs loca.*

*Turum in Comitatu Solnokienſi exter.*

*Tibiſcus Comitatũ Torontalienſem à Batſchienſi diſterminat.*

trajectum, Sanctum Petrum, Arculith, Perlecum, Dominæ Villã, Perzerum Batſchienſi contineri. Cuncta ità ſe habere percipient, dilucidéque comprehendent omnes, qui tabulas geographicas oculis perluſtrabunt; illi verò penitus explorabunt, qui curioſi rerum cognoſcendarum terram ipſam peragrabunt. Amnis in ſuprapoſitis literis Titia nominatus eſt Tibiſcus. Hungari quippe propter ignorationem antiqui nominis flumen illud longo tempore latinè Titiam dicebant. Non abſimilis modò expoſitæ, imò major eſt controverſia de provincia Bodrogienſi. Quamvis enim Carolus Imperator Auguſtus, Réxque Hungariæ potentiſſimus circa annum CIↃIↃCCXXII. declaraverit Præſidem illius Comitem Marcum Czoborium, minoréſque ejusdem præfecti eo ipſo anno interfuerint Comitiis Poſonienſibus, tamen in ſequenti conventu, quem ordines regni egerunt anno CIↃIↃCCXXIX. nuncius ejus, aut certè Torontalienſis tanquam

*Bodrogienſis Comitatûs incertũ territoriũ.*

ex-

extorris, nulliúſque regionis curator à quodam inficeto verſificatore hiſce verſibus exploſus eſt,

*Non ſedes, ignota fides, dubius Comitatus,*
*Non proprii crines, nuncius iſte quis eſt?*

Inſignem tamen Comitatum fuiſſe, primis præſertim Hungarici regni temporibus, certum eſt. Oppidum enim Bodrogienſe celebratur annalium monumentis, Comitatûs verò meminêre tabulæ regni Lege x. anni CIƆCCCCLXIIII. vetera verò Regum diplomata quàm ſæpiſſimè. In literis donationis cujusdam, quam anno CIƆCLXXXVIII. fecit Bela III. ùt lego apud Otrocotſium, Strigonienſium *Canonicorum* Collegio, quanquam tres ſolùm optimates nominantur, tamen inter eos eſt Comes Bodrogienſis. Literæ enim hoc modo terminantur: *Job Strigonienſi Archiepiſcopo, Paulo Colocenſi electo, Petro Agrienſi, Boleslao Vacienſi Epiſcopis, Ugrino Gewrienſi, Joanne Beſprimienſi electis; Mogy Palatino Comite; Domini-*

*Bodrogienſis Comitatus olim inſignis.*

*co Curiali Comite, Stephano Budrugienſi Comite exiſtentibus.* Et ſequitur: *Saul Cenadienſis electus hanc chartam annotavit.* Hic vir ſanctimoniâ inclytus poſtea fuit Archiepiſcopus Colocenſis. Agebatur, ut inter ſanctos cenſeretur. Hæc in tranſitu. Angulus ſuperior confluentis Tibiſci, & Danubii, ùt quidam contenderunt; non poteſt aſſignari regioni Bodrogienſi; ſiquidem vicinia Præpoſituræ Titulienſis erat juriſdictionis Strigonienſis: regio autem Bodrogienſis partim Colocenſis, partim Sirmienſis, ùt colligitur ex Appendice Synodi Pazmanianæ, ubi *Abbatia* B. MARIÆ Virginis Ordinis Ciſtercienſis attribuitur diœceſi Colocenſi, *Præpoſitura* verò S. Irenæi Sirmienſi. Infra Titulium itaque, provinciáſq; Torontalienſem, & Temeſchienſẽ juxta Danubium porrigi videtur Bodrogienſis. Sic enim finitima eſt Sirmienſi; quæ res juridicundo in utraq; regione opportuna erat. Et confirmari poteſt conjectura literis Caroli I. ab Otrocotſio in *Hiſto-*

*Saul Epiſcopus integerrimus.*

*Bodrogienſis Comitatus non eſt ſupra confluentẽ Tibiſci, & Danubii.*

*De Solo ejus opinio.*

*ſtoria Eccleſiaſtica* inter res memorabiles anni CIƆCCCXXIIII. productis, in quibus fertur, quòd uni viro nobili nomine Paulo delata fuerit Præfectura quatuor tractuum Danubio, & Savo adjacentium. Fuit enim Banus Matſchovienſis, Comes Sirmienſis, Valcovienſis & Bodrogienſis. Ex his ſi non veritas penitùs cognoſci, conjectura certè de regione controverſa capi poteſt. Attexo pauca de regione Temeſchienſi. Audivi à pluribus quorum perſpectam, & exploratam habeo fidem, ipſum Temeſchvarum non eſſe appoſitū amni Temeſcho, ſed allui à fluvio Bega; qui circa arcem infuſus ſtagno rurſus erumpit, atque ad orientem converſus illabitur Temeſcho, qui utpote nobilior, nomen arci impertit. Provinciæ Temeſchienſis in parte ſuperiori eſſe tractus Monoſtorienſem, Schagienſem (*Sagya*) & Morſchinenſem, vicinos Tranſſilvaniæ, docet lex XXXII. anni CIƆIƆXVIII. Sed de terris, quas per victoriam ſuā recuperavit Carol. VI. Auguſt. pedē.

*Temeſchvari poſitus, & quædam ejus Compartes.*

# CAPUT VIII.

## *De Epiſcopatibus à Divo Stephano Rege inſtitutis.*

*Epiſcopatus quot à D. Stephano inſtituti?*

UT aliqua lux rebus obſcuris aſpergatur, juvabit de ſacerdotiis quoque in Ungaria maximis, à D. Stephano inſtitutis commentari ac brevi diſſerere. Breviarium vitæ ejusdem D. Regis, quo hodie Eccleſia Hungarica utitur, recitanda iſta proponit: *Quódque pro religionis ſtabilitate reliquum erat, Archiepiſcopatum Strigonienſem, & decem Epiſcopatus in Ungaria conſtituit.*

*Epitome vitæ Sancti Regis exprimit Undenos, Chartuitius denos.*

*Chartuitius quid hominis fuerit?*

Chartuitius incerti loci Antiſtes, non tamen propterea fictus commentitiúſque ſcriptor, ut cuipiam videri poſſet, compoſuit librum de rebus ejusdem D. Regis, eúmq; Colomano, non antiquiori illi Hungariæ, ſed Haliciæ Regi, Belæ IIII. germano inſcripſit. Poſteriore enim ævo librum illum conſcriptum fuiſſe, complura pronunciata indicant. Fuerit autem Chartuitius meo quidem judicio Epiſcopus Boſnenſis, cùm adhuc de juris-

risdictione domicilióque ejus deliberaretur, & familiaritate conjunctus Colomano illi minori in Sclavonia commoranti, ac Tſchaſmæ ſepulti. Labitur quidem in quibusdam, ejus tamen auctoritas non parvi eſt momenti. Hic ergo ſcriptor de argumento, quod explanare ac pertractare inſtitui, hæc tradit: *Poſtea provinciam in decem Epiſcopatus diſtribuit, quorum metropolim, & magiſtram eſſe voluit Eccleſiam Strigonienſem.* Qua narratione includendo Metropolim Strigonienſem in denario ſacerdotiorum numero, adverſatur ſcriptori ſupradicti Breviarii. Sic enim ſententiam ejus (nec aliud verba ſonant) interpretatur Melchior Inchoffer in Annalibus percenſens *Epiſcopatus*, Colocenſem, Agrienſem, Veſprimienſem, Vacienſem, Tſchanadienſem, Sirmienſem, Varadienſem, Jaurinenſem, Quinqueeccleſienſē; quibus ſi adjiciatur Strigonienſis Sedes, completur numerus denarius. Latuit ſcriptorem illum ſacerdotium Batſchienſe. Laurentius

*Quos Epiſcopatus condiderit S. Steph. ſententiâ Inchofferi.*

Strigonienſis *Archimyſtes* concilium Pontificum habuit circa annum CIↃCXIII. cujus placitis titulus hujuſmodi præſcribitur: *Incipiunt Capitula de Synodalibus decretis domini Laurentii, Strigonienſis Metropolitani, & decem Suffraganeorum ſuorum.* Decreta hæc adjuncta ſunt in aliquot editionibus Hiſtoriæ Antonii Bonfinii cum decretis priſcorum Regum Hungariæ. Circa illum annum ceteris Hungariæ antiſtitibus accedere potuiſſe Zagrabienſem ad conficiendum numerum undecimum, bellè obſervavit Franciſcus Otrocotſius. At enim cardo rei in eo vertitur, quot pontificalia ſacerdotia ſtabilierit D. Stephanus? & quæ ſint illa? Conſtat autem Zagrabienſe ordinatum eſſe à D. Ladislao, ſeptimo & quadrageſimo anno circiter, quàm exceſſit Stephanus. De cujus quidem ſacerdotii incunabulis, & conſtitutione liber, qui inſcribitur *Topographia magni regni Hungariæ*, è tabulario, ùt mihi perſvaſum eſt, loci, hæc in apertum profert: *Eccleſia funda-*

*Zagrabienſis Epiſcopatûs ortus.*

*ta*

*ta fuit à S. Ladislao pariter Rege Hungariæ circa an̄um Domini* CIↃLXXXV. *Strigonienſis Eccleſiæ primatum gubernante Acha, Baacienſi Archiepiſcopo Fabiano, Veſprimienſi Epiſcopo Coſma, Palatino Comite Jula, Simigienſi Comite Grab. Hujus metas, quibus à Quinqueeccleſienſi diſterminatur, in hunc modum refert Andreas II. & ipſe Rex Hungariæ: Quoniam, inquit, ultra Dravam fluvium limes, ſeu terminus Quinqueeccleſienſis Eccleſiæ nondū fuerat ſtabilitus, cùm S. Rex Ladislaus I. tranſiverit Dravæ fluvium, & partes ibi Slavicas regno primùm occupavit adductas, ibi & Sedem fundavit Epiſcopalem, videlicet Zagrabienſem. Cujus Sedis diœceſim à Sede Quinqueeccleſienſi etiam ſuper Syſnitzæ fluentū, quod alio nomine Nolco vocatur, terminavit. Abinde per Savam deſcendendo; quidquid citra Savæ concludit fluvius, ad jus diœceſanum, & juſtam decimam Quinqueeccleſienſis Eccleſiæ commetatur. Et ab illo fluento Syſnitzæ totam circuiendo Poſagam, & Quinqueeccleſienſem diœceſim regyrando revertitur directè ad metas, ſeu terminum ſupra*

*Excerpt allatum Româ, ſed illò miſſum Zagrabiā.*

*Epiſcopatûs Zagrabienſis fines.*

*Epiſcopatûs Quinqueeccleſienſis termini à D. Ladislao definiti.*

*ſupra Dravum ex oppoſito fluvio Olma dicto, qui de parte ſeptentrionali in eundem Dravæ fluvium cadens ab occaſu ſolis Quinqueeccleſienſem Eccleſiam à Veſprimienſi metaliter dividit, & ſejungit.* Hactenus expoſitio. In tabula Georgii Giacomi flumen Sysnitza videtur eſſe Liſniza, Olma verò Alma Sigetum alluens. In ordinatione Quinqueeccleſienſis ſacerdotii multò obſcuriùs termini à D. Stephano deſcribuntur. Sic enim eos exhibet Inchoffer in rebus anni CIƆIX. *Primum terminum Zemegeny viculum uſque ad Thapeon poſuimus. Secundum Ozora, donec perveniatur ad aliam aquam, quæ Clupa nuncupatur. Tertium Ropus uſq; ad Almas aquam. Quartum, ùt dicitur Révárok, ſicuti incipiens à Danubio ſuper Savum fluvium terminatur.* Videtur D. Rex terminorum deſcriptionem inchoâſſe in regione Tolnenſi, ubi inquirendæ villæ, ac rivi. Profert autem eos terminos à Danubio primùm in occidentem, poſt in Auſtrum ad Savum. Conſtat ergo ætate Divi Stephani fines Hun-

*Iidem ferè termini à D. Stephan. praſcripti.*

*Révárok apud Dravum ubi deinde apud ſolum Savum terminetur diœceſis, non indicavit D. Steph. ùt apparet ex dictis Andreæ II. quoque.*

Hungariæ uſq; ad illud flumen extenſos fuiſſe. Scientiſſimè tamen animadvertit Franciſcus Otrocotſius, Sirmienſem Epiſcopatum ab eodem D. Rege minimè fuiſſe inſtitutum. Si enim, ùt explanat Andreas tota regio *Ciſſavana* attributa fuit jurisdictioni Præſulis Quinqueeccleſienſis, nihil Sirmienſi in ea reliqui eſſe poterat. Nec deſunt alia ad hanc rem confirmandam argumenta. Nam Abbatia D. Demetrii M. añum circiter CIↃLVII. à Radone Palatino juxta Savum ſtatuta, diœceſis fuit Quinqueeccleſienſis. Abbatia verò Petrovaradienſis longo pòſt tempore, anno inquam CIↃCCIII. fundata finibus provinciæ Valcovienſis continebatur, atque adeò pertinebat ad jurisdictionem Quinqueeccleſienſẽ. Laudatus Franciſcus Otrocotſius, vir quondam multus in lectione, ait, ſe primùm año CIↃCCCXIII. inter aliquot Ungariæ Antiſtites, pro Thoma Archiepiſcopo Clementi V. P. ſupplicantes, reperiſſe Georgium Sirmienſem. Ego verò in literis con-

*Sirmienſe Epiſcopatũ non condidit S. Stephanus.*

*Abbatia D. Demetrii ad Savum diœceſis Quinqueeccleſienſis. Similiter Petrovaradienſis.*

*Sirmienſes Epiſcopi quo tempore diplomatis regiis inſcribi cœperint.*

conſtitutionis *Præpoſituræ* Turocienſis anni CIↃCCLII. reperio, fuiſſe ejus loci Epiſcopum Oliverium; Stephanum Strigonienſem, Benedictum Colocenſem *Metropolitas*, Bartholomæum Quinqueeccleſienſem, Zlaudum Veſprimienſẽ, Arcolphum Jaurienſem, Philippum Zagrabienſem, Lambertum Agrienſem, Gallum Tranſſilvanum, Pouſam Boſnenſem, Vincentium Varadienſem, & Adamum Nitrienſẽ: Barones deinde quatuor, Dionyſium Palatinum, Stephanum Banum totius Sclavoniæ, Chak ſummum Camerarium, Comitem Suprunienſem, & Rorandum Seneſcalcum. Præterea literæ, per quas donationem quandam fecit Ladiſlaus IIII. cuidã cognomento Duro año CIↃCCLXXXVII. exprimunt Epiſcopum Sirmienſem, ubi de eo, pluribúſque aliis, ac de ſe ipſo Rex in hæc verba ſcribit: *Conſideratis fidelitatibus, & ſervitiorum meritis Kemen, magiſtri Pincernarum noſtrorum, & Comitis de Barana, filii Laurentii Palatini, bonæ memoriæ, dilecti & fidelis-*

*lis noſtri, quæ nobis in diverſis expeditionibus regni noſtri non parcendo rebus, nec perſonæ à tempore obitûs cariſſimi patris noſtri Stephani Regis, illuſtris recordationis, cui nos exigentibus juribus naturalibus ordine geniture ſucceſſimus uſque ad tempus, quòd unà cum venerabilibus Patribus, Lodomerico Strigonienſi, Joanne Colocenſi, Eccleſiarum Archiepiſcopis; item Gregorio Chanadienſi, Pouka Sirmienſi, Thoma Boznenſi, Puska Nitrienſi, & Ladislao Vacienſi, Epiſcopis earundem Eccleſiarum prælatis, ac aliis omnibus Baronibus, & nobilibus regni noſtri habito diligenti tractatu, ſtatum regni noſtri per omnia in melius reformando gubernaculum, ſeu ſolium noſtri regiminis plenè, & perfectè adepti fuiſſemus &c. donavimus illi &c.* Rectè proinde rurſus obſervavit, concluſitq; Otrocotſius, Sirmienſe ſacerdotium à Bela IIII. vel inſtitutum, vel ad renovandam antiquæ *Metropolis* memoriam reſtitutum fuiſſe. Idem habendũ tenendúmq; de Boſnenſi; quæ quidem ſacerdotia conſtituta fuerunt ad comprimendam *hæreticorum*

*Ladislaus IV. Rex quò ſucceſſerit patri Stephano.*

*Sirmienſis Epiſcopatûs Bela IV. effector, itémq; Boſnenſis.*

*corum*

*corum ſchiſmaticorúmque*, Savi accolarum, audaciam. Uno eodémq; tempore & Comitatus Sirmienſis ex Valcovienſi, & ſacerdotium Sirmienſe ex Quinqueeccleſienſi, & Batſchienſi enatum videtur. Latiùs tamen patuit jurisdictio Comitis, quàm Antiſtitis in agro Sirmienſi. Petrovaradinum eſſe in Sirmienſi provincia demonſtrat clauſula literarum de fœdere cum Republica Veneta à Mathia Rege inito, quæ talis eſt: *Actum in Sirmio in Varadino Petri, in aula Sereniſſimi, & Excellentiſſimi Domini Regis prædicti anno Domini* CIↃCCCCLXIII. die XII. *Septembris. Præſentibus reverendiſſimis, & digniſſimis Dominis Michaële, digniſſimo Comite Palatino regni Hungariæ, Nicolao Vajvoda, Bano Matſchovienſi, Comite Stephano de Frangepanibus, Bano Croatiæ, Pamano Comite Zagoriæ, Bano Sclavoniæ, ac Magnifico Domino Emerico Zapoli, regio theſaurario digniſſimo.* Ujlacum quoque fuit in regione Sirmienſi, in Epiſcopatu non item, ùt oſtendunt literæ à Nicolao V. P. datæ ad Præſu-

*Petrovaradinum in Comitatu Sirmienſi.*

*Ujlacum diœceſis Quinqueeccleſienſis.*

ſulem Quinqueeccleſienſem anno CIↃCCCCLI. cùm ſcilicet Nicolaus Ujlakius, Vajvoda Tranſſilvanus, in ædicula omnium SS. altare Deo ad venerationem D. Nicolao exhibendam ſtrueret, & pro templo oppidi Ujlacenſis diminutionem pænarum contractis culpis debitarum expeteret. Nullo autem ſuperiore tempore Sirmienſis tractus in Ducatûs honore eminuit, ùt nonnulli opinati ſunt. Laurentius enim Nicolai illius Vajvodæ, poſtea Regis Boſnæ filius, fuit Dux ſolius Ujlaci, teſtificante id ipſum ejus epitaphio, & approbatione ſive clauſula Decretorum anni CIↃCCCCXCII. ubi ceteris provinciarum rectoribus interſeritur Laurentius *Dux de Ujlac*, ut Banus Matſchovienſis. Sirmienſis enim ager ſemper erat juris regii; Laurentius autem privatus poſſidebat Ujlacum. Aſciſcebat ſibi nomen Ducis, quia filius Regis fuit. Redeo ad prima, & ajo, neque Pontificatum Nitrienſem unum eſſe de iis, quos D. Stephanus ordinavit. Præter alias quippe

*Sirmienſis Comitatus non fuit Ducatus.*

*Laurentius Dux de Ujlac cur?*

*Nitrienſem Epiſcopatũ non conſtituit Rex Stephanus*

pe rationes reclamat opinationi illi lex Colomani R. inter ejus priores XXII. quam ſubinde per univerſalem Eccleſiam abrogatā fuiſſe compertum eſt omnibus. Eſt autem hujuſmodi: *Judicium ferri, & aquæ in aliqua Eccleſia fieri interdicimus niſi in Sede Epiſcopi, & majoribus Præpoſituris, ut Poſonii, & Nitriæ.* Ex qua lege quiſque ſapiens liquidò intulerit, non fuiſſe Sedem Epiſcopiam Nitriæ ævo D. Stephani. Quis enim eam ante Colomani regnum abolevit? Multum hic deferendum cenſeo Martino Szent-Ivanio, qui antequam mandâſſet literis, Epiſcopatum Nitrienſem à Gejsa II. conſtitutum fuiſſe, conſuluit viros ejus rei gnaros. Nec ſanè liberalitatem D. Stephani addecuiſſet, unam regionem Trentſchinienſem extra terminos Nitrienſis aſſignare in ditionem ſacram Pontificatui ab ſe inſtituto. At Beztertum, Præſulem Nitrienſem, cum D. Gerardo ob Chriſti cultum interfectum eſſe memorant? Dico, Præpoſitum eum fuiſſe, non autem Epiſcopum.

In-

Inſtituto verò, vel potiùs reſtituto (nam ſuperioribus quoque ſeculis Nitria Inſulâ clara fuit) eo *Epiſcopatu*, Præpoſitura extincta eſt, manentibus minoribus ſacerdotiis, quos Canonicatus vocant. Ad reliqua progredienti mihi facem præfert Otrocotſius, qui ait, in tabulario Strigonienſi extare literas, anno CIƆCLVI. conſcriptas; vi quarũ Martyrius *Metropolita* Collegio ſuorum ſacerdotum quasdam decumas dedit, aut donationem ratam habuit. In iis verò teſtes largitionis eſſe, Miconem Colocenſem *Metropolitam*, Antimium Quinqueeccleſienſem Epiſcopum, Ypolitum Vacienſem, Walterum Ultranſſilvanum, Lucam Agrienſem electum, Stephanum Sanadienſem el. Petam Beſprimienſem el. Gervaſium Georienſem el. Michaëlem Varadienſem el. & Gotsaldum Zagrabienſem. De quibus ſi duos poſtremos Varadienſem, & Zagrabienſem demas, ac in locum eorum ſubſtituas Strigonienſem, & Batſchienſem, jam Colocenſi junctum, Epiſcoporum

*Epiſcopi Hungariæ anno* M.CLVI.

*Epiſcopatus decem à S. Steph. ordinati, indicantur*

rum à D. Stephano deſignatorum numerum, quem definit Chartuitius, aſſecutus es. Neque audiendi ſunt Turocius, & Bonfinius, qui nullo veterum prælucente in ſcriptis reliquêre, Gejsam I. fuiſſe auctorem, parentémque *Epiſcopatûs* Vacienſis, condito oppido, temploque Pontificali in loco deſertiſſimæ ſolitudinis & ſilvæ, quam incoluiſſet quidam Vacius. Quî enim fieri poterat (argumentatur Otrocotſius) ut locus adeò habitationi, excipiendis navibus, mercatuíq; idoneus tamdiu deſertus à plebe atque à cultura hominum fuiſſet! Cenſet itaque Principe D. Stephano jam oppidulum aliquod inibi extitiſſe, in eóq; ſacerdotium pontificale deſtinatum; quod Gejsa poſtmodum dilataverit, ædémque majorem in proximo loco excisi ſaltûs ædificârit. Neque enim D. Stephanus omnia templa, quæ *Cathedralia* vocant, conſtruxit. Eò accedit, quòd diœceſis Vacienſis ſerie accomoda diffuſa, digeſtáq; ſit. Compleãitur enim partem Neo-

*Vacienſis Epiſcopatûs auctor D. Stephanus potiùs quàm Gejsa.*

Neogradienſis regionis, totam Peſtienſem, Solnokienſem exteriorem, & Tſchongradienſem, ùt prodit Pazmanus in Appendice 1. ſuæ *Synodi* Tirnavienſis. Quas quidem regiones ſuperiori aliqua ætate cuipiam alteri *Epiſcopatui* attributas fuiſſe, nullo indicio deprehendi poteſt. Si quis autem contendere volet, undena inſignia ſacerdotia à D. Stephano deſignata conſtitutáque eſſe, non aliter de Varadienſi ſentire debet, quàm ego, & Otrocotſius de Vacienſi ſentiamus, ac diſſeramus. Nam Varadienſis quoque juriſdictionis termini & ampli, & ritè diſpoſiti ſunt. Quid quòd circa annum CIƆLXIX. ùt prodit Joannes Thurocius in Chronicis, in bello adverſus Cumanos geſto pluribus annis ante regnum ſuum D. Ladislaus quendam ex hoſtibus ob raptam puellam contentè, & perniciter inſecutus ſit, propterea quòd puellam illam crediderit eſſe filiam Epiſcopi Varadienſis? Extat in vico Haſcheuthienſi provinciæ Gemerienſis ad Roſnaviam perve-

*Varadienſis quoque Epiſcopatûs videtur eſſe parens D. Steph.*

 tu-

tuſta pictura, & Sancti illius Regis, & Cuni ac puellæ in equis inſidentium. In *Breviario Strigonienſi* anno CIↃCCCCLXXXIIII. juſſu Mathiæ R. edito, ubi acta ejusdem Divi percenſentur, nihil affertur, de oppido, aut ſacerdotio Varadienſi ab eo condito. De duobus quidem *Epiſcopatibus* per illum *ordinatis & locupletatis* memorat idem Breviarium, ſed præterea tradit, Sanctum Regem precandi causâ aliquando in monaſteriũ Varadienſe veniſſe, ſupplicantémque intentiùs ſublatum in aëra, & luce circumfuſum à curioſo famulo viſum eſſe. Monaſterium autem fuit domus ſacerdotum collegarum, quos *Canonicos* dicunt. Eam verò domum tum non novam fuiſſe, vero ſimilius eſt. Dicendum jam paucis de altera Hungariæ *Metropoli*. Refert Chartuitius, Sebaſtiano Archimyſtæ Strigonienſi oculis ad tempus capto Aſtricum Colocenſem Antiſtitem vicariam operam impendiſſe. Ubi verò Sebaſtianus tertio cæcitatis anno receptis luminibus ab Romano

no Pontifice in priſtinum honoris locum reſtitutus eſt, Aſtricum quoque cum pallio Pontificali ad Sedẽ ſuam Colocenſem rediſſe. Atque hæc origo fuerit alterius Hungaricæ *Metropolis*. Poſtremis tamen regni D. Stephani temporibus unicum in Hungaria fuiſſe Metropolitam, collegit Otrocotſius ex ſcripto anni M. XXXVII. in quo notatur Dominicus Archiepiſcopus, *Procancellarius* regius. Et quia reticetur ejus Sedes, Strigonienſem fuiſſe oportebat. Addito poſtea tempore Batſchienſis Sedes ad amplitudinem Metropolis evecta eſt. Nam, ùt cognovimus ex monumentis Zagrabienſibus, anno CIↃLXXXV. Archiepiſcopus Batſchienſis erat Fabianus. Anno CIↃCXI. diploma, à Colomano R. Albenſi Eccleſiæ in Dalmatia datum, ſubſcripſit Tulbertus, Epiſcopus Colocenſis. Anno verò CIↃCXXIIII. diploma Stephani R. quo conceſſa quædam Spalatenſibus, & Tragurienſibus roboravit, ſubſcripſit Gregorius Batſchienſis *Metropolita*. De-

*Colocenſis Metropolis occaſio.*

*Conſentit P. Alex. Szőréiny in Nova ſerie Archiepiſcoporum Strigon.*

*Batſchienſes aliquã diu præſtabant honore Colocenſibus Antiſtitibus.*

*Colocenſis prævalet.*

inceps verò primatum conſecuti ſunt Colocenſes, ùt patuit in Micone; confirmántque rem literæ Stephani III. Regis, quas anno CIↃCLXIX. ſcripſit ad Lucam Strigonienſem, & Coſmam Colocensẽ Archiepiſcopos; de bonis demortuorum Antiſtitum, & vacantibus in Ungaria ſacerdotiis. Earum notitiam, qui habere volet, adeat Baronium, aut librum in bibliotheca Vaticana repoſitũ, qui inſcribitur, *Cencii Cameralis.* Majoris denique ſplendoris atque amplitudinis gratiâ conſentiente ſummo ſacrorum Præſide Batſchienſe ſacerdotium adjunctum eſt Colocenſi, ídque ante annum CIↃCCLVI. factum fuerit. Neque enim poſt illum annum inter nomina Epiſcoporum reperitur ſeparatim nomen Batſchienſis, ſed unus idémque Antiſtes ſignificatur illâ formulâ, *Colocenſis, & Batſchienſis Eccleſiarum canonicè unitarum Archiepiſcopus.* Hæc tamen formula admodum rarò uſurpatur.

*Colocenſis, & Batſchienſis Sedes conjunguntur.*

CA-

# CAPUT IX.

## *De Magiſtratibus Hungariæ, ex veteri inſtituto.*

MAgiſtratus Comitis Palatii, vel Palatini cum regno natus eſt; qui eum gerebat aulæ regiæ rationes, & negotia procurabat. Inſtante bello, & abſente à caſtris Rege omnibus copiis præficiebatur, aciémque ſtruebat. Inde ſub annum cIↄcc. extra aulam cauſas cognoſcere incepit, ùt ſummus ſecundùm Regem judex. Nam antea Pontifices, & myſtæ plurimas lites dijudicabant. Quoniam verò auctoritas atque potentia Palatini multis pernicioſa, aut formidabilis videbatur, Magiſtratus hic annuus duntaxat erat, præſertim Bela IIII. res Ungaricas moderante; id ipſúmque ita conſtitutũ fuiſſe, indicat idem Rex quibusdã, quas legi, literis. Hungaris Palatinus appellatur *Nádor* ( antiquè *Nádur* ) *Iſpán*. *Nadur* non eſt nativum Ungaricum, ſed aſcititium vocabulum, aptum ex duobus ( *Na*

*Palatini partes.*

*Palatini officiũ annuũ quondam.*

*dwur*) Sclavonicis, ſignificans aulæ præfectum, vel, ut cum Curtio loquar, virum ſuper aulam poſitum. Nec verò id mirum eſt, quando nomen quoque, quo Regem appellant, Ungari à Sclavis mutuati ſunt. Vajvoda, & Banus ſine controverſia Sclavonica ſunt. Principibus Carolo I. & Ludovico I. Palatinus obibat Hungariam, ac in unaquaque provincia forum agebat ſub tabernaculis in tumulis manufactis collocatis; quorum tumulorum aliqui etiam nunc extant. At hæc juris dicundi ratio lege quapiam, & crebris bellis omnino ſublata eſt. Judex Curiæ Regiæ, ſive Curialis Comes principio erat prætor in aula regia; deinde ſub añum CIƆCCC. inductis quibusdam legibus datus eſt regno Judex, unde apud gentem (*Orſzág Birája*) nomen invenit. In aula magiſter Curiæ ſucceſſit vicarius ejus muneri. Quibus de rebus Palatinus, Judex Curiæ, ceteríque prætores regni judicent, oſtendunt tabulæ. Magiſter Tavernicorum, vel antiquiore

*Palatinus in clivulis jus dicebat.*

*Judicis Curiæ quæ olim functio muneris.*

*Curiæ Magiſter.*

*Tavernicorum Magiſtri munia.*

re

re more Tavarnicorum, præerat aurariis, tabulario, & latifundiis regiis: quam ob rem quandoque dicebatur, & ſcribebatur ſummus Camerarius. Et quoniam fundi ceteræquæ fortunæ aliæ erant Regum, aliæ Reginarum; & hæ, & illi ſuarum rerum habebant hujusmodi adminiſtratores: imò & filii Regum emancipati, ritúq; Regũ uncti Magiſtros Tavernicorum nominabant. Vocabulum hoc *Tavernicus* eſſe Gallicæ originis, ſcripſit Petrus Revaius*. Magiſter Agaſonũ ducebat equites prætorianos, Regémq; ſuo comitatu honeſtabat, atq; inſuper, cùm neceſſitas flagitabat, tributa exigebat. Pincernarum, & Dapiferorum Magiſtri, non modò munia ſuo gradui convenientia in aula obibant, ſed etiam curis ſuis complectebantur ea, quæ ad menſam atque epulationẽ Regum pertinebant. Magiſtri Cubiculariorum, & Janitorum ſuper id, quod vocabula indicant, quid muneris adjunctum haberint, non liquet. His addebantur Bani, Vajvoda Trans-

*Agaſonum Magiſtri partes.*

*Pincernarum, & Dapiferorum MM. officium.*

* Ex Ung. Tár, unde Tárház, ol. Tavar.

*Barones regni majores qui?* Tranſſilvaniæ, & finium regni Præſides, Comites inquam Poſonienſis, & Temeſchienſis. Atque hi ipſi dicebantur Majores regni Barones, erántque ſanctioris conſilii participes. *Perſonalis præſentiæ Magiſtratus.* Magiſtratus, quem Perſonalis Præſentiæ nuncupaverunt, Reges ſui vice in judiciis ſubſtituebant; qua de cauſa domicilium ei erat in locis plerumque iis, in quibus Reges reſidebant. *Comitatuũ Magiſtratus.* Comitatuum præfecti, quorum dignitas tempore antecedit ſupradictos perplures Magiſtratus, Latinè appellati ſunt Comites, Ungaricè, & Slavonicè *Iſpani*, quia rem quoque familiarem Regis curabant: omnis enim ager Hungaricus initiò juris regii fuit; ex quo præclarè de regno meritis Reges partes elargiebantur. Ubi verò bellum gerendum erat, cum ſuis tribulibus in primíſq; nobilibus, in militiam proficiſcebantur. Dantur hi honores ſacris juxta ac profanis non tantùm in ſumma familia ortis, verùm etiam equeſtri loco natis; aliis in perpetuum, atque ad ſucceſſionem, aliis ad vi-

tæ terminum. Habent ſuos ſinguli vicarios pro amplitudine regionis unum vel duos, quos Vicècomites vocant, alióſque judices in inferioris ordinis, quos provinciales deligunt.

# CAPUT X.
## *De Tranſſilvania.*

STephanus Verbecius trifariam dividit Tranſſilvaniam, neq; ab eo quiſquam diſſentit. Inter omnes enim convenit, partem hanc antiquæ Daciæ partim eſſe Hungaricam, partim Saxonicam, partim Siculicalem; quarum diviſionum ſingulæ rurſus ſeptenis amplioribus tractibus definiantur. Hungari regiones ſuas dixêre Comitatus; Saxones, & Siculi Sedes. *Tranſſilvaniæ diviſio.*

## Hungarici Comitatus.

Albenſis Juliæ, Ungaricè *Gyula Fejér Vármegye.*

Coloſchenſis, vulgò Koloſienſis, Ungaricè *Kolos.*

Dobocenſis, Ungaricè *Doboka.*

Hun-

Hunniadenſis, Ungaricè *Hunyad.*

Kikelleienſis, Ungaricè *Kikellő*, ùt ſcribunt Verbecius & Albert. Molnár, Tranſſilvani verò hodie *Kükőllő.*

Solnocenſis, vel Solnokienſis interior. Ungaricè *Belső Szolnok*, olim *Zonuk.*

## Sedes Saxonicæ.

Medienſis, ùt Saxonibus appellatur, Ungaricè *Medgyes Szék.*

Schegeſchvarienſis, vel Schesſburgenſis, Ungaricè *Segeſvár.*

Rupenſis, Ungaricè *Kő halom.*

Schenkenſis Major, Ungar. *Nagy Sink.*

Cibinienſis, Ungaricè *Szeben.*

Sabeſienſis, ſive Müllenbachienſis, Ungaricè *Száſz Sebes.*

Saxopolitana, vel Broſchienſis, Ungaricè *Száſz Város.*

## Sedes Siculicales.

Aurata, Hungaricè *Aranyas Szék.*

Cſikienſis, ſonat Tſchikienſis, Ungaricè *Cſik.*

Kezdienſis, Ungaricè *Kézdi.*

Ma-

Maroſienſis vulgo, re ipſa Maroſchienſis, Ungaricè *Maros.*

Orbaienſis, Ungaricè *Orbai.*

Sepſienſis, ſonat Schepſchienſis, Ungaricè *Sepſi.*

Udvarhelienſis, Ungaricè *Udvarhely.*

Kezdienſis, Schepſchienſis, & Orbaienſis dicuntur Triſedes, quia finitimæ ſunt, Ungarica nomenclatione *HaromSzék.* Conſultò omiſerit Verbecius duas Sedes minores Siculicales, Giergienſem, & Caſſonienſem, adjunctas quondam Tſchikienſi; quas Hungari vocant *Gyergyo, & Káſzon.* Tranſiit quoque Verbecius Sedes Saxonicas Kisdenſem, & Biſtricenſem, quia hæc ætate ejus vix ſui juris fuit, illa verò vicinæ cuipiam Sedi aſcripta. Tractus autem Barcenſem, apud Coronam, & Fogaraſchienſem omnino prætermiſit. Habent & alias, præſertim Siculi, parvi momenti diviſiones: nam unus altérve pagus Sedem conficit; exempli causâ, in Udvarhelienſi agro Kereſturum, Bardocium, Zetalaca, & geminæ

minæ Olahfalvæ ſingulatim; alibi Arx Nicolai, & Caſſonum, ùt dixi, cum aliquot villis Sedis nomen obtinent. Tranſſilvania itaque ad eum modū breviter deſcripta omni ævo clariſſima provincia habita, undique cingitur ſaltibus, montibúſque, unde & nomen invenit. Montes autem illi Carpatii ſunt, qui à Sarmaticis procurrunt in Daciam, ubi diviſi inſtar inſulæ regionem hanc efficiunt, atque à reliqua Dacia eam ſecludunt. Habet conterminā ab occidente Hungariam, à Septentrione Ruſſiam, ac Moldaviam, & hanc ipſam ab oriente maxima ex parte, à meridie Tranſalpinam Valachiam atque Hungariam. Primis Hungarici regni temporibus etiam in latinis literis *Erdel* ſcribebatur, ídque ultra annum CIƆCXXX. deinde Ultraſilvania, ad extremum Principe Bela IIII. Tranſſilvania dici ſcribíq; occepit: quapropter in tabulis regni Partium Tranſſilvanarum, vel Tranſſilvanienſium appellatione à cetera Hungaria ſecernitur. Inde nam-

*Tranſſilvania ſitus, & fines.*

*Tranſſilvania primitus Erdél. Colligitur ex ordinatione Præpoſituræ Demeſchbienſis.*

namque à ſubacto per D. Stephanum Jula Duce pars fuit Hungariæ, nullúmque inſigne ſibi proprium habuit, ſed communi regno utebatur ad annum uſque cIↃIↃCXII. quo Comitatus Aqvila, Siculi Sole, & Luna, Saxones ſeptem ſuis oppidis diſtingvi cœperunt, ùt indicant nummi, anno illo ad rei memoriam juſſu Gabrielis Bathorii Principis percuſſi. Qui ſummum Magiſtratum antiquitus in provincia gerebat, Vojavoda, vel Vajvoda, quæ vox ducem belli valet, nuncupabatur, erátque peculiaris præfectus Comitatûs Solnokienſis Interioris. Quoniam militaribus juxta atque judicialibus occupationibus implicabatur, habebat vicarium ſuum. Quandoque regioni toti pari cum poteſtate duo præficiebantur, exempli gratiâ Sigiſmundo, Mathia Corvino, & Ferdinando I. Principibus. Primus verò Principis Tranſſilvaniæ (ſi Stephanum, Belæ IIII. filium adoleſcentem excipias) honorem obtinuit Stephanus Bathorius, incly-

*Tranſſilvanarum trium nationum inſignia.*

*Tranſſilvaniæ præfectus Vajvoda dict9.*

*Tranſſilvaniæ primus Princeps Steph. Bathorius.*

clytus poſtea Rex Sarmatarum. Quamvis autem Maximiliano II. Imperatori Romanorũ, Regiq; Ungarorum, dum Magiſtratum adiret, juratus ſpoponderit, ſe ipſi hæredibúſque, ſcilicet legitimis Ungariæ Regibus, ſemper auſcultaturum, arces, & bona regalia ſarta tecta ab omni periculo conſervaturũ, provincialium libertatem pro viribus tuiturum, cúmque Cæſari videbitur, ſe Magiſtratu abdicaturum: tamen ne in odia provincialium incurreret, neu Turcos irritaret, multis precibus conſecutus eſt, ut liber immuniſque eſſet. Precario itaq; dominatum adeptus eſt exeunte anno CIↃIↃLXXIIII. quo ipſo adhuc Maximilianus Imperator taliter ei epiſtolas inſcribebat: *Spectabili, ac Magnifico Stephano Bathori, de Somlyo Vajvodæ partium regni noſtri Hungariæ Tranſſilvanarum, & Comiti Siculorum, ac in certis ejusdem Hungariæ partibus noſtro Locumtenenti.* Joannes Sigiſmundus, filius Joannis Regis, qui ante Stephanum Bathorium in Tranſſilvania rerum potiebatur, quan-

*Promiſſa ejus, quæ fecit Maximiliano II.*

*Titulus ei à Maximiliano II. datus antequam ſui juris fieret.*

*Joannes Sigiſmundus Dux, Dominus Tranſſilvaniæ affectans regiũ titulũ.*

quanquam à multis ſcriptoribus Vajvoda nominatur, re tamen vera Ducis titulo majorum inſtituto, utpote Regia proles, carere non poterat. Neque hunc ei Cæſares Regéſque Hungariæ denegabant. Quod verò regium ſibi adſcripſerit, id demum perferre non poterant. Neque enim unquam ritè Rex declaratus fuit, neq; capiti illius Hungaricum diadema uſitato more impoſitum fuit; ſed in alienum nomen regiũ invaſit propterea, quòd anno CIↃIↃLVI. Tranſſilvani Belgrado, ubi ſe clientelæ Solimani devoverat, revertentem acclamationibus, & regalibus inſignibus paſſim propoſitis exceperint. Notavit hæc Michaël Siglerus Cibinienſis in libello, quem ipſi Joanni Sigiſmundo dedicavit. Verùm, ùt ne longiùs abeam, præter præſidem provinciæ iſtius, Saxones ſuum, Siculíque ſuum peculiarem habebant præfectum, qui Comes appellabatur. Et Saxones quidem unum è numero ſuo ad id muneris deligebant, Siculis autem Rex dabat, *Præfecti Saxonum, & Siculorum Comites dicti.*

 quem

quem eo gradu dignum judicabat. Hoc munere, ut ceteros omittam, anno CIↃCCCCXXIIII. functus eſt apud Siculos Petrus Bubecius, Detrici Palatini filius. Exponantur tur jam narationes de nationibus regionem incolentibus. Ac de Ungarica quidem nihil attinet dicere, quæ nobilitate ſemper præſtabat; Valachica autem nullo numero locóque diu habebatur; jam conceſſione Leopoldi I. Imperatoris erectior. Armenia hoſpes mercaturam facit. De Saxonum ortu, neſcio, quæ comminiſcuntur aliqui. Illi ſanè ineptiunt, qui ajunt, raptione quadam delatam eſſe pubem Saxonicam in Tranſſilvaniam. Ubi enim hujus rei vel minimum indicium? Illi quoque de recto deerrant, qui à Carolo M. colonias huc deductas eſſe opinantur. Neque enim Carolus ipſe, neque Pipinus ejus filius unquam oculis Daciam uſurpavit. Sed neque conſtat, Principibus illis cum habitatoribus Daciæ aliquid negotii fuiſſe. Minùs fortaſſe ſcriptores illi offendiſſent,

*Tranſſilvaniæ nationes.*

*De Saxonū origine opiniones.*

ſi

ſi originem horum Germanorum ſaltem aliquorum ad Gothos retuliſſent, qui antequam in Pannoniam, Italiam, & Hiſpaniam conceſſiſſent, ſatis longo intervallo in Dacia commorati ſunt. At poſteriores Tranſſilvaniæ incolas Hungaris eſſe Saxones, maximo argumento eſt, quia nomina fluviorum, & quorundam locorum ab illis mutuati ſunt. Birthalbinum certè, & Media ex Hungaricis vocabulis enata ſunt. Vero proximum ſit, quosdam nationis hujus parentes immigrâſſe in Tranſſilvaniam ævo Divi Stephani, quo ipſo tempore venerint Satmarinum, Peſtum, Berectſaſſum. Nunqvam enim natio Ungarica implevit terram, quam præſidiis occupârat. Alios aliis tardiùs adveniſſe certum eſt: pars ſiquidem antiqui habitatores terræ nuncupantur. Plurima gens adfuerit, domiciliúmque in hac Daciæ parte collocaverit año CIↃCXLI. nam inſequenti Gejſa, filius Belæ luminibus orbi, immunitates illi dare incepit; quibus cùm à cura-

*Birthalbinum* Berethalom. *Medwiſch* Medgyes.

*Saxones antiquiores ævo D. Stephani venerint in Tranſſilvaniam, recentiores regnãte Gejsa II.*

*Libertatem genti datã renovavit Andreas II.* toribus provinciæ ferè exuta eſſet, ab Andrea II. anno CIϽCCXXIIII. regni ipſius primo, & viceſimo recreata eſt. In diplomate Rex ille deſcribit, ſtatuítque ei terminos hoc verborum contextu: *Quòd* *Deſcriptio terræ Saxonicæ.* *univerſus populus incipiens à Varoſs uſque ad Baralt cum terra Siculorum, terra Sebus, & terra Daraus unus ſit populus, & ſub uno judice cenſeatur, omnibus Comitatibus, præter Cibinien-* *Explanatio ejusdẽ terræ, & verborum Andreæ Regis.* *ſem, ceſſantibus radicitus.* Deſignationem finium eorum Michaël Siglerus, vel alius quiſpiam eruditus Saxo Dacicus in hunc modum eſt interpretatus: *Incipiens à Varaſs uſque ad Baralt*, hoc eſt, à Saxopoli uſque ad Barciam; ſiquidem veteres Baraltiã pro Barcia dicebant. *Saxonicæ Sedes.* Cùm Rex nominat terram Sebus, indicat atque includit in ea territoria Sabeſienſe, Reiſmarkenſe & Cibinienſe. Cùm verò meminit terræ Daraus, & terræ Siculorum, attingit Sedem Rupenſem, quia *Draus*, Hungaris *Darocz*, eſt in Sede Rupenſi. Per terram verò Siculorum exprimit Sedem Scheges-

chva-

chvarienſem, quia eſt in vicinia Siculorum. Inter Sedem denique Rupenſem, & Schegeſchvarienſem interjacet Sedes Schenkenſis. Hactenus explanator. Et addit, ex iis Sedibus natam eſſe Medienſem; poſtremam verò Biſtricienſem ortam eſſe ex Saxonibus, qui ex Scepuſio in Tranſſilvaniam demigraviſſent. Hóſque non multò poſt conceſſu Regis Emerici, vel Andreæ everſa arce vicina excuſſiſſe jugum quorundam nobilium, conſtituiſſéq; civitatem inchoato Biſtricio oppido año CIↃCCVI. Progrediente tempore ceteris Saxonibus conſociatos eſſe. De reliquo populi hi immunitates conſecuti erant, ut regnum à Bulgaris, & Teucris, ſive Tartaris tutarentur. Cùm anno CIↃCCXLII. Hungaricam nationem magna ex parte Tartari excidiſſent, manſerunt ipſi intacti à vexatione, ferróque feræ gentis, quia data fide ſub ſignis ejus militaverunt, eóque pacto ſe ſuáque ſervaverunt. Quoniam verò immunes liberíque erant (modicum quid regi penſitan-

*Biſtricenſis Sedes poſtrema.*

*Saxones quamobrẽ liberi?*

*Saxones in Tartarorum exercitu militantes teſtante Siglero.*

tantes ) opibus neceſſariè affluebant; pro quarum ratione inſignē *Præpoſituram* inſtituerunt Cibinii, Cœleſtini Papæ aſſenſu approbatam. Integras de ea literas affert Franciſcus Otrocotſius, ſed ad præſens argumentū facit tantùm pars iſta: *Cùm autem Eccleſia Teutonicorum Ultraſilvanorum in Præpoſituram ſit liberam inſtituta, & eisdem, quibus & aliæ Præpoſituræ exemptæ libertatis inſignibus redimita, & eam authentico ſcripto Chariſſimus in Chriſto filius noſter Bela, illuſtris Rex Ungariæ, ſtuduerit communire, quam etiam dilectus filius noſter Gregorius S. MARIÆ in Porticu diaconus Cardinalis, tunc Apoſtolicæ Sedis legatus, privilegii ſui munimine roboravit, & Apoſtolica poſtmodum auctoritas confirmavit; eandem inſtitutionem ratam habentes præcepimus noſtri regiſtri ſerie contineri, perenni memoria duraturam &c.* Datum Laterani XIII. kalend. Januarii, Pontificatūs noſtri anno primo, ſcilicet CIƆCXCI. Creatus enim erat tertio decimo Aprilis die anni ſuperioris. In eadem *Præpoſitura* Inno-

*Cibinii Saxones præclarā Præpoſituram conſtituunt. Aprobavit eam Cæleſtinus Papa petente Bela III.*

nocentius III. anno cIↃCCXI. ſtabilivit Robertum, vel Rogerium ſacerdotem, datíſque literis ad Epiſcopum Ultraſilvanienſem Præpoſituram Romanæ Sedi ſubjectam eſſe ſignificavit. Eodem anno eam ipſam ad amplitudinem Pontificalem evehi peroptabat Andreas Rex, non effecit tamen, quod inſtituit. In extremis enim concordiæ inter *Metropolitas* Strigonienſem, & Colocenſem initæ, eidem Regi Innocentius ità reſpondit: *Super Epiſcopatu quoque de novo creando apud Sibinienſē Eccleſiam in Ultraſilvana diœceſi, quæ Metropoli Colocenſi ſubdatur: petitionem regiam nequimus exaudire: quoniam ſive Apoſtolicæ Sedi, ſicut tu ipſe firmiter proteſtaris, ſive Strigonienſi Metropoli, ſicut procuratores ipſius fortiter aſſerebant, Sibinienſis Præpoſitura ſit in ſpiritualibus immediatè ſubjecta, id abſque dubio in alterius præjudicium redundaret. Sed & quidam, qui ſe nuncium venerabilis fratris noſtri Ultraſilvani Epiſcopi faciebat, contradicebat omnino.* Hucuſque Innocentius. Concordiam illam Archi-

*Præpoſitura illa primùm ſubjecta fuit Romanæ Sedi.*

*Ut fieret Sedes Epiſcopalis deſiderabat Andreas II.*

**Contentio ob eam.**

*Joannes fuit Strigonienſis, Bertholdus Colocenſis, fratres Reginæ Gertrudis.*

epiſcoporum producit Odoricus Raynaldus in rebus anni CIƆCCXII. Obtinuit verò cauſam *Metropolita* Strigonienſis, ſibíque ſubjecit Saxones, & ſacra apud eosdem per Milcovienſem Antiſtitem per annos aliquammultos curavit. At enim quantum id ad ultimum rationibus Eccleſiæ conduxit? Everſâ à Tartaris Milcoviâ habuerit Præſul Milcovienſis domicilium Birthalbini, ubi hoc quoque tempore Inſpector Lutheranorũ agit. Præpoſiti autem Cibinienſes eo loco habebantur à Regibus, ut ſæpicule apud eos *Procancellarii* munere functi fuerint. Exploratum mihi præterea eſt, Cibinienſes, & Albæ Regiæ Præpoſitos in eo Epiſcopis ſimiles fuiſſe, quòd à Regibus nominati, ab Romanis Pontificibus ſtabiliti fuerint. Hoc ævo Cibinienſibus ſolùm nomen relictum eſt. Fundos enim & fortunas, quibus majores *Præpoſituram* cumulârant, nepotes ab Romana Eccleſia deſciſcentes ſibi uſurpârunt. Hinc præ illis beati? ſic Coronenſes, ſic alii

*Milcovienſis Epiſcop.*

*Cibinienſis Præpoſituræ præſtantia, & Albenſis Regalis.*

*Cibinienſis Præpoſituræ ruina.*

op-

oppidani Saxones in opes creverũt. Oppida nobiliora gentis, Cibinium, Corona vel Braſchovia, Schegeſchvarum, vel Schesburgum, Media vel Medieſus, Sabeſus, Biſtricium, Claudiopolis vel Coloſchvarum. Joannes Hortilius apud Joannem Maginum perperam exiſtimavit, Albam Juliam eſſe unum ex ſeptem clarioribus oppidis Saxonicis. Hæc enim pontificalis erat, & Hungaris habitabatur. Ejecto poſtea per ſcelus añ CIƆIƆLVI. Paulo Abſtemio Præſule, Iſabella Regina cum filio Joañe Sigiſmundo eam occupavit, ac in ædibus Epiſcopiis laxè, & magnificè habitavit. Ejus virtutis (ſcilicet) veſtigia deinde Principes perſecuti ſunt. Anno CIƆIƆCCXV. novis mœnibus, ac foſſis atque adeò brachiis Alba hæc circumdari cœpit, appellaríque Carolina de nomine Caroli VI. Auguſti, Servii, Valachici. Nequa dies novæ appellationis memoriã abſtergeret, cuſus eſt numus cum inſcriptione *chronica* ejuſmodi:

*Saxonum Civitates.*

*Alba Julia, in qua domicilium Principum Tranſſilvaniæ.*

*Eadem ad normã militarẽ muniri, & Alba Carolina vocari cœpta.*

LV-

LVCe ſaCra CaroLI sIMILes aLba
aCCIpIt ortVs
In ſoLIDa prIMVs ponItVr arCe LapIs.
JVLIa nota fVI, CaroLVs VIM, robVr & aVXIt,
JVLIa sI LIbeat nVnC CaroLIna VoCer.

*Corona, Cibinium, Claudiopolis oppida frequentia.* Colonia autem Germanorum in urbe collocata, certare videtur de excellentia cum Apulenſi Romana. Saxonica oppida frequentiora ſunt, Corona, Cibinium, Claudiopolis; at Coronam frequentant variæ nationes, Claudiopolim Hungari; penes quos multis jam annis eſt poteſtas rerum. *Claudiopolis ſitus.* Sciſſo enim regno, & gentilibus in provincia dominantibus, infuderunt ſe in id oppidum Hungari. Latus ejusdem ſeptentrionale alluit amnis minor Samus ſive Samuſius. Annis abhinc amplius denis adjectum eſt oppido caſtellum in rupe, interfluente eodem amne. Opus opportuniſſimum ad defendendam civitatem, niſi aquâ deficeretur. *Sabeſſus oppidum.* Sabeſus, à qua Sedes Sabeſienſis, amœno & ſalubri loco ap-

appoſita eſt lateri amnis Mari, quod orientem ſpectat. Acceperit nomen à rivo torrentiore, qui Ungaris propterea *Schebeſch*, id eſt, rapidus dicitur. Abeſt Albâ bis M. paſs. Germanicis. Civitas imperitat ſeptenis denis pagis regiis. Interjectis pauculis vicis, & campo Panis infra Sabeſum in eodem latere prædicti fluminis poſita eſt Saxopolis; quam aſcititiam, vel, ùt ipſi loqvuntur, filialem dixêre Saxones, forſitan propterea, quia Claudiopolim amiſerunt. Sedes perangustis circumſcripta terminis ab ea nomen capit. Inter Sabeſum, & Coronam longis intervallis in clivo, & convexis explicatur Cibinium, decus Saxonum. Urbani duodeviginti pagorum, ut perhibent, oppidulorúmve regiorum res procurant; quibus addendi ſunt fundi, & prædia copioſæ, ac ſplendidæ quondam *Præpoſituræ*. Medium ferè tractum rigat fluvius Durius (Germanicè *Hartbach*, Ungaricè *Hortobágy*) Sedes Schenkenſis inter Cibinienſem, & Fogaraſchienſem agrum propter

*Saxopolis.*

*Cibinium.*

*Schenkenſis Sedes.*

Alu-

Alutam flumen neque in longitudinem, neque in latitudinem multum excurrit. Huic finitima Rupenſis ad Boream vergit in vicinia fluvii Homorodi, qui apud inferius Racoſchum Alutæ illabitur. A ſeptentrione jungitur Sedi Siculicali Udvarhelienſi, ab occaſu ſolis Kisdenſi. Rupenſis dicta de rupe, oppidulo impendenti, in qua arcem poſitam eſſe memorant. Ipſum quoque oppidulum Rupes nuncupatur. Kisdenſis Sedes illi proxima, ùt dixi, ad occidentem verſus, à Kisdo oppidulo appellationem mutuata, circuitu non amplo. Scheſsburgum aſſurgit in latere Auſtrali fluvii majoris, quem Germani *Kockel*, Hungari *Kůkőllő* nuncupant. Ne latino nomine careat, vocemus Cicellum. Oppidum centum domibus habitatum obtegit dorſum collis; in cujus vertice templum, & gymnaſium muro cinctum ad morem gentis. Diſtat Cibinio XVI. millibus Germanicis. Regio prioribus tribus paulò amplior, in utroque latere fluvii

*Rupenſis Sedes.*

*Kisdenſis Sedes.*

*Scheſchburgum ſive Schegesvarum oppidum & Sedes.*

vii pagos habet. Contermina ab ortu ſolis, & ſeptentrione Udvarhelienſi; ab Auſtro Medienſi. Prædicto fluvio Cicello juxta latus Auſtralem adjacet quoque Media, Schegeſchvaro IIII. millibus Tranſſilvanicis ſita. In umbilico oppidi templum editiore in loco ad modum caſtelli munitum. Continet vinealem terram, quæ laudatiſſima eſt circa Birthalbinum. Perparum autem de vino Ungarico delibârint Hortylius, & Treſterus, qui terræ ejus merum æqvaverunt Tocaino. Terminatur Sedes Medienſis ab Aqvilone regione Schegeſchvarienſi, ab occiduo ſole, Kikellienſi, à meridie Cibinienſi, ab oriente Rupenſi. Biſtricium recedit in ſeptentrionem Coronâ, ùt prodit Treſterus, L. milliaribus Germanicis, XXVIII. Cibinio. Occupat bene amplum ſpatium in plano. Oppidum nitidum, at infreqvens: cives vitiis naturæ privitatéque corporum multi deformes. Sedes circumcluditur regione Dobocenſi, & Interiore Zolnokienſi; quamobrem ju-

*Media oppidum, & Sedes.*

*Vinealis Saxonum terra.*

*Biſtricienſium Sedes.*

jura permiſceri neceſſe eſt, jámque aliquorum Saxonicorum locorum incolæ profitentur apud præfectos Comitatûs Dobocenſis. Intermeant Sedem tres fluvii notabiles, Schajo, Biſtricius, & Samus major, quos fundit Carpatus. Confluunt hi fluvii infra Biſtricium, ſed extra fines Sedis. Contingunt Biſtricienſes cum Dobocenſibus, Siculos Maroſchienſes, ipſúmque fluvium Marum. Tractus Barcienſis, in quo eſt Coronenſium emporiũ, ex Germanico verbo, quod radicem valeat, vel ex rivo cognominatus, patet in longitudinem, ùt ajunt, quinque millia paſſuum, in latitudinem duo. Corona non longè diſtat ab Aluta; ubi is fluvius deſinit ferri in meridiem, & curvari incipit in Aquilonem. Confinem habet tractus ab Aquilone Triſedẽ, ab oriente ſeptem pagos Ungaricales, à meridie & reliquo oriente montes Tranſſilvaniam á Tranſalpina ſubmoventes, ab occiduo denique ſole tractum Fogaraſchienſem. Sedem Cibinienſem, & Biſtri-

*Biſtricenſis Sedis fluvii.*

*Biſtricenſis tractus.*

*Corona cum Barcia.*

ſtri-

ſtricienſem in ſua tabula *Geographica* fuſiùs expreſſit Joannes Treſterus, ceteras verò Saxonicas totámque Tranſſilvaniam leviter ac ſtrictim attigit, confinxítque & ingenio ſuo fabricatus eſt caſtella, à quibus Sedes Siculicæ Tſchikienſis, Orbaienſis, & Kezdienſis nomina traxiſſent. Treſteri veſtigia ad hoc tempus ſecuti ſunt *Geographi*, errores illius novis erroribus cumulantes. Jam de Siculis. Hi populi antiquitate, & libertate gloriantur; quatenus autem ea fruantur, ipſi meliùs noverunt. Majores eorum commilitones Attilæ fuiſſe, recentiores quidam neſcio, ex quo antiquo ſcriptore didicerint. Quod ſi ita ſe haberet, nullus profectò locus eſſet quæſtioni illi, an Hungari ſint Hunnica progenies? Siculi enim germaniſſimi ſunt Hungari; niſi tamen pagani ſermonem expoliant, riſum movent audientibus. Joannes Hortylius apud Joannem Maginum putat, Siculos appellatos ex compoſito vocabulo Ungarico *Székely*; in qua opinione

*Joannis Treſteri geographia Tranſſilv. & error in etymo trium Sedium Siculicarum.*

*Siculorum natio qualis?*

*Iidem unde cognominati?*

ne quosdam eruditiores quoque Siculos eſſe cognovi. Verba enim disjuncta *Szék hely* valent locum Sedis, vel judicii, ac proinde ſignificantur iis habitatores Sedis. At hoc etymon non ſatis eſt apertum ac planum, quando etiam Saxones territoria ſua, Hungari judicia, imò & terrena quædam Sedes nuncupant; neque tamen idcirco aliqui ipſorum Siculi ſunt. Rectiùs fortaſſe ſenſerit, qui *Székely* antiqvum vocabulum eſſe dixerit, quod cuſtodem ſignificet. Uſque hodie namque in quibusdam ſatrapiis Ungariæ, veluti in Regecenſi, cuſtodes montium, ac ſilvarum Sekelii vocantur. Et quemadmodum Saxones, ſic Siculi propter cuſtodiam regni immunes erant, & liberæ conditionis. Quam etiam ob cauſam Bela IIII. libertatem eorum approbavit, at generatim ſolùm. Ex antiqvis inſtitutis duplicis ordinis ſunt, eqveſtris nempe, quos primipilos appellant, & pedeſtris, ſive ſatellitum. Sermone quidem tritum eſt proverbium, *corvum*

*Siculi primipili* Lo Fő Székelyek, *pedites* Darabantok.

*vum corvo oculos non eruere*, de Siculis tamen Hortylius apud Maginũ in deſcriptione Tranſſilvaniæ hæc ad memoriam notavit: *Sunt etiam inter illos, quemadmodum & inter alias nationes nobiles ditiſſimi, ac magnæ exiſtimationis, qui alios ſibi in ſervitutem redegerunt.* Negant tamen id nobiliſſimi gentis, ſed ajunt, ſuperiores ſuos ex vagis, expoſititiis, & ſervis colonos multiplicâſſe. Tempore magnæ illius incurſionis Tartarorum Siculi latebris, alpibus, cavernis tecti, ſe integros incolumésque maximam partem ſervârunt, interdum armis hoſtilibus reſiſtentes. *Siculi an aliqui ſervi?*

# CAPUT XI.

## *Deſcriptio terrarum Siculicarum.*

SEdes Giergienſis (*Gyergyo*) ſub extremo Tranſſilvaniæ ſeptentrione undiq; cingitur montibus, & amne Maro ab Auſtro, qui quidẽ amnis profuſus ex latere occidentali montis Tarci (*Tarkô*) Sedis

*Giergienſis* (Gyergyo) *Sedes.*

*Mari amnis fons.*

dis Tſchikienſis, ab oriente labitur in occidentem uſque ad Tapolciam vicum, eíque vicinam quondam ferrariam, complectens flexu ſuo in meridiem curvato Sedem, quam explanamus. Conſtat ex octo pagis frequentibus, loco uno mercatûs, & caſtello Sarhegio (*Szárhegy*) Si arva ejus metiaris, parvam dices; ſin ſaltus & montes, ſatis amplam. Tanto enim ſpatio extenditur, quanto pars ſuperior, cui continens eſt, Sedis Udvarhelienſis, inſupérque ſupereminet latus occidentale Tſchikienſis. Ad modum ſemicirculi adjacent Maro Ferreus Pes (*vas Láb*) Nova Villa, Inferior Villa, Remetum, Gitrum (*Gyitro*) ſequitur Tapolcia extra terminos Sedis hujus. Inter Ferreum Pedem, & Novam Villam recedunt in Boream Niger Rivus, & S. Nicolaus, forum rerum venalium. Ad eundem ventum inter Inferiorem Villam, & Remetum removetur caſtellum, Sarhegium. Habet hæc regio rivum quendam, qui interfluit S. Nicolaum, & Inferiorem Villam,

*Giergienſis Sedis loca.*

con-

continuóque in Marum cadit. In montibus Clementinis (*Kelemen*) extremis illis atque arduis uros venari potes. Tſchikienſis regio, quanquam inter alpes poſita, patet quandoque Tartaris malevolentiâ hominum. Finitur ab Aquilone Carpati jugis, iisdémque, & ſuperiore parte Triſedis ab exortu ſolis; à meridie verò Triſede, ab occidente denique, ubi contermina eſt Sedi Udvarhelienſi, montibus, Mitacio (*Mitács*) Baroto, & Hargita qui inter fluvios Alutam, & Vargiaſchum rectà protenduntur in ſeptentrionem, & Sedem Giergienſem à pago Batzonio, qui adjacet fonti cujusdam rivi, Triſedem & Udvarhelienſem regionẽ dividentis. Tarcus mons adeò fœcundus eſt aquarum, ut etiam Alutam, alterum totius Tranſſilvaniæ clariſſimum amnem è latere meridiano profundat. Hic recto ferè curſu rigat agrum Tſchikienſem per ſpatium v. millium, tum illabitur Triſedi, ſupra Malnaſchum, cui in adverſa occidentali ora reſpon-

*Tſchikienſis Sedis limites.*

*Alutæ fons in monte Tarco.*

*Perlabitur Sedem Tſchikienſem.*

det Bibarcium, infra Batzonem ad prædictum rivum ſitum. In tractu Tſchikienſi Aluta de fonte effuſus, primùm intermeat Villas, S. Dominici, S. Thomæ, majorémque B. V. (*Nagy Bold. Aſzſzony*) infra quem olim fuit ferraria; deinde recipit duos rivos ab oriente; quorum unus ex Alpe Pulchra (*Szép Havas*) emanans, infra fonticulum interluit vicum D. Michaëlis, prope oſtium minorem vicum B. Virginis; alter autem, cui nomen Aqua Pulchra, villam cognominem, & Tſhitchſonem interfluit: tum ab eadem regione cœli alluit Aluta agrum arcis Miconis, contra hoſtes munitæ, & tenuibus præſidiis firmatæ; cùi confine eſt Mercurium (*Szereda*) locus mercatui deſtinatus, & Schomlovia (*Somlyo*) aliquantulum ab amne remota, villa domicilio Franciſcanæ Familiæ nota: dehinc in vicinia montis Baroti interſecat pagos S. Regis, & S. Emerici: poſtremò accipit rivum à Meneſchago, & ortu ſolis fluentem, qui intermeat villam S. Georgii;

*Aluta augetur rivis.*

*Aqua Pulchra* Szép viz.

*Arx Miconis* Miko vára.

gii, & infra S. Simeonem habet oſtium; infra quod è regione Mitaci eſt Tuſnadum, extremus pagus Tſchikienſis. In latere oppoſito adjacent amni Dani villa, Unroſia, & Madaraſchum. Dani villa ſita eſt è regione majoris vici B. Virginis, Madaraſchum prope minorem vicum B. Virginis, Unroſchia medium tenet. Habet hæc Sedes quatuor montes in finibus ab oriente; Gimeſchium (*Gyimes*) conterminum Moldaviæ ultra Pulchrã Alpem, in quo arx deſerta: Bordam ultra Pulchram Aquam, & S. Nicolaum; Schajum deinceps, & Aclã ultra Meneſchagum: ſub quo eſt Parva Sedes Caſſonia. Tres poſteriores montes ſunt confines montibus Triſedis, & Schajus quidem Nemero. Effundit præterea hæc regio fluvium Uzum, qui inter S. Georgii villam, & Sedem Caſſoniam ortus, poſtquam ex anguſtiis Acli, & Schaji eluctatur, juxta latus occidentale montis Nemeri currit in Moldaviam, recipitque fluvium Tatrũ (*Tatros*) à Pulchra Aqua de-

*Loca in occidentali latere Aluta.*

*Tſchikienſis Sedis præcipui montes ab oriente.*

*Caſſoniæ Sedes.*

*Uzus fluv.*

*Sedis Tſchikienſis memorabilia.*

demanantem, & Gimeſchum præterlabentem. A Tatro fluvio locus quidam in Moldavia nomen mutuatur. Inter naturæ prodigia referenda quædam. Ad Gimeſchium effodiuntur cotes, & ſulphur; in montibus Tuſchnadienſibus lacus altiſſimus S. Annæ nuncupatus, cujus nullum apparet effluvium; in territorio Divi Emerici juxta montem Barotum aqua medicinalis; falconum genus nominatiſſimum, in deliciis quondam nobilibus habitum; ex quo Conſtantinopolim cum muneribus, vel ſtipendiis annuis Turcarum Principi aliquot mittebantur. Ultra montem Tarcum in Moldavia ex quodam Carpati jugo prorumpit fluvius Tazlo, inter quem, & Tatrum

*Tazlo fluvius. Moldavici pagi.*

ſupra limites Sedium Tſchikienſis, & Triſedis villæ Godra, & Velcium. In latere Aquilonari Tazlonis ſupra fines extremos Triſedis Forro, & Terebeſchum: in latere meridiano Saloncia, & Inferior Pagus (*Alſalu*) in latere verò Boreali fluminis Tatri infra Velcium (*Vëlcsök*) Comani

ni vicus; & infuſo in Tatrum rivo Uzo in eodem latere Villa Lucæ, & villa Salinaria; infra quas Salina, & Tatrum, vel Tatroſchum reſpondens extremis finibus montibúſq; Triſedis. Orbaienſis, Kezdienſis, Schepſchienſis, ùt dictum eſt, Sedes c alescunt in unam, quam Triſedem appellavi. Quamvis certis terminis inter ſe differant, nuſquam tamen eos expoſitos reperio. Auditione illud acceperam, Orbaienſi attribui terram proximā tractui Coronenſi ſive Barcienſi, Kezdienſi finitimam Tſchikienſi; Sedi verò Schepſchienſi terram interjacentem inter Kezdienſem, & Orbaienſem agrum. Poſtea verò certis indiciis comperi, Kezdienſem Sedem explicari inter terminos Moldaviæ, Sedémque Tſchikienſem à ſeptentrione, intérq; Schepſchienſem, & Orbaienſem à meridie: Orbaienſium verò fines ſubjacere Oſchdolæ, villæ extremæ Sedis Kezdienſis, intérque montes Tranſſilvaniam à Moldavia, & Valachia dividentes, ac inter Caſſonum am-

*Triſedis geographia*

amnem dilatari, contingeréq; & ambire ab oriente Barcienſes: Schepſchienſes denique reliquam Triſedis terram, quam Aluta mediam interfluit, magnóque flexu infimam circumfundit, ſibi vendicare; nempe à territorio villæ Petheonis uſque ad fluvium, qui Udvarhelienſem Sedem à Triſede diſterminat. Locus conventûs, & princeps in Orbaienſi, videtur eſſe Papolcium, in Kezdienſi Forum, quod Kezdienſe nuncupatur (*Kézdi Vásárhely*) in Schepſchienſi S. Georgius. In his tribus regionibus ſunt campi patentiores, quàm in cetera Tranſſilvania; in qua clivi, & valleculæ continentes. Ubi ab occidente contingit Triſedes Udvarhelienſem, perquam anguſta eſt, rigatúrque rivo quodam; qui in monte Nemero ortus, influit in Caſſonum, apud Forum Kezdienſe. Curſus ejus excedit bis M. paſſus. In latere *orientali* non longè à fonte arx Ojtozia deſerta in jugo extremo infra Tatroſchum, duobus millibus diviſum. Infra ar-

cem

cem Ojtoziam ad M. paſſus Berecium (*Bereczk*) ubi tranſitus in Moldaviam, & munitum caſtellum; tum Martonoſchum, & Oſchdola in ſpatio M. paſſ. inter montes, & rivum. In latere ejusdem rivi occidentali, & infra juga montis Nemeri, Lemhenium, Nuitodum (*Nyujtod*) Lutoſa villa) *Sárfalva*) Æqvat autem poſitione mons Nemerus montem Schajum, & arcem Miconis Sedis Tſchikienſis. Propius Caſſonum flumen ſub montibus à regione Berecii Eſtelnecum, Polianum (*Polyán*) & in radice jugi infimi ad fluvium Caſſonum caſtellum Sancti Spiritûs. In latere occidentali ejusdem fluvii infra Magnum Caſſonum, quod parvæ Sedis caput eſt, Siccus Rivus (*Száraz Patak*) & Peſchelnecum; ad ipſum confluentem infra Sancti Spiritûs caſtellum Forum Kezdienſe Caſſono diviſum. Apud Siccum Rivum dilatatur in occaſum Triſedes tranſcurrendo Alutam ad Batzonum fontémque rivi; qui ab ipſa diſpeſcit Sedem Udvarhelienſem.

ſem. Inter Siccum Rivum, & Alutam antiquæ arcis Balvaniæ (*Bálványos*) territorium; per quod aditus in Sedem Tſchikienſem juxta novam Villam (*Ujfalu*) Sedis Casſoniæ, & montem Ephippiatum (*Nyerges*) prædictæ Sedis Tſchikienſis. Infra Forum Kezdienſe ad amnem Caſſonum Catolna (*Szent Katona*) ubi rivus Niger (*Feketeügy*) & Caſſonus confluunt. Tum Canta, & Imetſchum ex adverſo Gelenciæ, Sedis Orbaienſis. In vicinia ejusdem oppiduli ad fontem Torjæ rivi infra Peſchelnecum Futaſchum (*Futásfalva*) ſubter Torja, propior Foro in latere orientali rivi, & Petheonis villa Sedis Orbaienſis apud oſtium: in latere verò occidentali ejusdem rivi Tſchernatonum, vicinum Torjæ, & Marcoſchum (*Markosfalva*) Hactenus loca Sedis Kezdienſis ex deſignationibus Stephani Serarii eruta, ceterorum deſcriptio deſideratur. Infra Tſchernatonum apud alterum rivum Calnocum, apud tertium Maxa, & prope hujus oſtium Ereſvinum

(*Ereſz-*

(*Ereſzteven*)Fontes eorum rivorum ſpectant ad arcem Balvaniam, influúntque in Caſſonum, cadentem in Alutam. Cetera Sedis Schepſchienſis loca apposita flumini Caſſono, S. Joannes (*Szent-Iván*) Uzanum, & Cocosdum (*Kökösd*) ſupra confluentes. Orbaienſis Sedis loca paribus ferè ſpatiis diſtantia, enumerat Serarius, ſub Oſchdola Gelenciam (*Gelencze*) Hilibum, Zabolam, Papolcium (*Pápolcz*)Zagonũ, Nienum (*Nyén*) ſeptémque pagos ultra Coronam ſitos. inde inter Gelenciam, & Zabolam adjacens Caſſono, alitérve flumini nuncupato Haralum (*Haraly*) remotiora à flumine inter Zabolam, & Papolciam Covaſnam, inter Zajonum, & Nienum Biccũ (*Bik falva*)Sedis Schepſchienſis pagum, & Bodolam ſupra Praſmarum. Ad Oſchdolam anguſtus in Moldaviam, ad Nienum ſub monte Bozza facilior aditus in Valachiam. Redeo ad Schepſchienſes. In ripa *orientali* Alutæ infra Tuſchnadum interjectis ſilvis Malnaſchum, tum Gidonis pagus, ef-

fi-

ficiénſque cum his & Calnoco, arcéque Balvania triangulum Angelica (*Angyalos*) Infra Gidonis villam intercurrentibus rurſus ſaltibus ad ſpatium duum millium in angulo confluentium Caſſoni, & Alutæ dictum Cocoschdum. In occidentali Alutæ latere infra Malnaſchum Alutæ Oculus (*Olt Szeme*) ubi id flumen de anguſtiis emergit, rursúmque exiſtit. Tum Criſium) *Kőrős Patak*) non attingens cum Arcoſcho flumen: exin S. Georgius proximus amni, Illia villa (*Illye falva*) & è regione Cocoſchdi Dobolũ. Contra Illiam villam, & S. Georgium eſt vallis, quæ *Labor* dicitur. Tendit hæc à flumine Caſſono, & Sancto Joanne Gidonis villam verſus. Infra Malnaſchum Aluta declinat ad orientem; tum infra Cocoshdũ, & dictum confluentem amnium incipit reflecti in Auſtrum, poſt ferri in ſeptentrionem, reddens peninſulam duo milliaria latam, & paulò longiorem. Si autem addas flumen, quod Udvarhelienſes, & Schepſchienſes diſcriminat, patet pe-

peninſula in longitudinem quina, aut ſena milliaria. In ea ubi anguſtiſſima eſt, ad caput fluminis illius Batzonum reſpondens Malnaſcho, & Foro Kezdienſi; mox Bibarcium (*Bibartz*) poſt Barothum ſupra oſtium; ſub quo juxta Alutam arx Nicolai, Belenum (*Bölön*) Hidvegum è regione arcis terreæ. in imo peninſulæ ad Coronam Ara (*Ara Pataka*) Inde longiùs Dobolum. Intus inter Belenum, & Illiam villam, Magna Ajta, inter arcem Nicolai, & S. Georgium Media Ajta, ad Oculum Alutæ, & Criſium Sicca Ajta. In ripa *orientali* Alutæ *infra* Cocoſchdum ad oſtium rivi, à Bodola defluentis, Sciſſura Lupi (*Farkas Vágó*) uliginoſum, & arundinoſum terræ ſolum. De hac Triſede nulla mira prædicant. Seqvuntur in tractu Barcenſi Hermannum, S. Petrus ſupra Coronam, ubi maximè Aluta ſpectat in meridiem, incipitque in ſeptentrionem curvari apud oſtium rivi Barciæ, & Arcis terreæ (*Földvár*) ſive Mergenburgi. inde Vereſchmartum re-

remotiùs à flumine, Ermeſchũ(*ůrmôs*) propiùs, & Villa Auguſtini in ſummo flexûs Alutæ infra oſtium rivi, qui diſpeſcit Sedem Udvarhelienſem à Triſede. Hæc ubi perſcripſi, nihil dubitans de veritate, didici ex viro rerum gnaro Peſchelnecum, Siccum Rivum, Caratnam, Bodolam, Nienum, & ex parte Hidvegum eſſe jurisdictioni Comitatûs Albenſis: ſeptem præterea pagos ad Coronam, quos Siculis adſcripſit Serarius, eſſe Hungaricos in Barcia. Si autem ſic confuſa ſunt in Tranſſilvania loca, quis ea aptè, & concinnè exponet? Pergo tamen ad reliqua, quæ propoſui.

*Udvarhelienſis Sedis explanatio.*

Udvarhelienſis Sedes habet proprium fluviũ, quem Hungari *Vargyas*, Germani *Vargiſch* appellant. Rapidus eſt, dum exundat. Oritur prope montem Hargitam ſupra geminas villas Valachicas (*Oláh falva.*) Præterfluit montes Barotum, & Mitacium, dein in propinquo rivi diſpeſcentis Sedem Udvarhelienſem à Triſede decurrens illabitur Alutæ, ubi hic amnis adhuc ſeptentrio-

*Vargiaſchus fluvius.*

trio-

trionem verſus ſummè cuneatur. Inter ipſum ac Barothum Fundus Italicus (*Olaſz Telek*) ſuprà in ripa Vargiaſchum, Hermannum, ſuprà Batzonum. In latere occidentali prope oſtium Racoſchum ſuperius: quod poſitu exæquat Rupem, & Birthalminum, inde montes Cuſtal & Rica. Cuſtal Fundum Italicum, Rica Bibarcium deſpectat. Hactenus anguſtiæ tractûs Bardocienſis. Cuſtalem, & Ricam ab occidente præterfluit amnis Homorodus; in cujus latere *orientali* ſub radicibus montis Ricæ, eſt Schomborum; ſub radicibus verò Cuſtalis Micvaſcharum; ſuprà oſtium Inferius Racoſchum. Influit autem Homorodus in Alutam ab Aquilone in Auſtrum devexum. Schomborum, Micvaſcharum, & Inferius Racoſchum finibus Sedis Udvarhelienſis exceſsêre. Ultra montem Ricam ſeptentrionẽ verſus inter fluvios Homorodum, & Vargiaſchum mons Ceparius (*Hagymás*) in cujus convexis apud Homorodum Olcana: ſuprà conflu-

*Homorodus fluvius.*

unt duo rami Homorodi; ex quibus orientem ſpectans viciniórque Vargiaſcho flumini interluit villam Caratſchoniam, Almaſchum, Leveltum (*Lövelte*) duorúmque pagorum Valachicorum agrum, in quo oritur, rigat. Almaſchum ſitu reſpondet Udvarhelino, & S. Simoni in Sede Tſchikienſi ultra montem Barotum poſito. Per geminum pagum Valachicum, & radicem montis Hargitæ aditus in Sedem Tſchikienſem ex Udvarhelienſi. In latere occidentali Vargiaſchi ſupra montem Ceparium vicus Dobo æquans poſitione Tuſchnadum. In latere occidentali alterius brachii Homorodi S. Martinus, & pagus Maræ (*Maréfalva*) inter quæ loca ad fluvium majorem Cicellum Udvarhelinum, & Bethlehemum. Supra Maræ pagum, & fontes Homorodi, ac Vargiaſchi montes, & ſaltus ad Marum amnem, & Sedem Giergienſem porrecti. Fluvii illi à fontibus, qui admodum vicini ſunt, recto ferè curſu vadunt in Alutam, alluentes Ceparium,

*Aditus ex Udvarhelienſi Sede in Tſchikienſem.*

Ri-

Ricam, & Cuſtalem montes, de quibus dixi. Ad montem Ricam transgreditur Sedes Udvarhelienſis Homorodum, obliquè tendens in occidentem, & ſeptentrionem uſque ad minorem Cicellum, & Sedem Maroſchiensē curriculo VI. mille paſs. Inter Homorodū, & majorem Cicellum attingit territoria extranea, Darocienſe, Paloſchienſe, Saxonicum Budenſe, Muſchnenſe, Saxonicum Kisdenſe, Hejasfalvenſe; Albenſe (*Fejér Egybáz*) ſupra Scheſsburgum. Inter majorem, minorémque Cicellum ſita, Budenſe, Heturenſe, Cicmantorienſe, & S. Demetrii: deinceps major cum alveo minoris Cicelli coarctatur in orientem, & Aquilonem ad fines occidentales Sedis Giergienſis in vicinia Maroſchienſis. Cicellus major prorumpit in ſilvis Zetalakienſibus quidem, ſed procul à pago Zetalaca, prope montem verò, è quo etiam minoris Cicelli fonticulus exilit, ſupra Parajdum, & vicum Salinarium, qui ſubjicitur Remeto Sedis Giergienſis. Fluit

*Cicelli (Kükölö) majoris fons.*

verò Cicellus major ab occaſu primùm ſolis in ortum inter ſaltus, & montes, converſus deinde in Auſtrum perlabitur Zetalacam, & Duram villam (*Kemény falva*) quæ poſitione reſpondet villis Valachicis, & Mercurio in Sede Tſchikienſi; poſtremò allabitur Bethlehemo, & Udvarhelino. Infra hoc apud villam B. Virginis flecti incipit in occidentem, fertúrque ad eam cœli regionem uſque ferè Mediam, ubi rurſus deflectit curſum in meridiem. Infrà villam Salinariam Atyha, & Corondum orientem verſus; infrà ſub monte Pauli villa, infrà fonticulus cujusdam rivi; in cujus latere occidentali S. Spiritus, S. Michaël, Rugonfalva, & Kereſturum juxta oſtium. Inter eum rivum, & Majorem Cicellum Mons Rutenicus, ſitus ultra Zetalacam; tum S. Rex, S. Thomas, villa Polonica, & Vagaſchum, æquatum Udvarhelino. Infrà Parajdum ad meridiem, & Cicellum majorem verſus Kibedum, Etodum prope villam Pauli, dein Bezedum (*Bözöd*) Ter-

d tum, Abranum (*Abran*) Schandum inter Kereſturum, & Bunum. Inter Udvarhelinum, & Darocium prope S. Paulum, & fluvium Homorodum Bagium (*Bágy.*) Cicellus minor fontem habet in monte ſupra Parajdum, ùt dictum eſt; infrà quem vicum recipit unum rivulum è monte ultra villam Salinariam eminente defluentem, alterum verò à fonte ferè fluvii Naradi manantem; adjacent ei in ripa occidentali Sovata, Varallia, Mantellum, & S. Stephanus; in contraria ripa è regione Manteli Solocma, & S. Georgius conterminus S. Demetrio. Mantelum, Solocma, & S. Georgius ſunt ditionis Udvarhelienſis, duo alia loca Maroſchienſis. Atque hæ ferme ſunt regiones Sedis Udvarhelienſis. Ad vicum Salinarium, & Parajdum non minore naturæ beneficio, quàm artificio aſſurgunt colles ſale fœti atque inexhauſti. Apud Almaſchum ſpeluncæ longè latéque patentes, in quibus aqua lapideſcit. Ad pagum Hermannum quondam ferraria.

*Cicelli minoris fons, & curſus.*

*Udvarhelienſis Sedis memorabilia.*

ria. Mons Hargita herbis raris ac ſalubribus commendabilis. In territorio Udvarhelienſi creta colori idonea. Sedes Maroſchienſis à montibus ſilvíſque villæ Tapolciæ, & antiquæ ferrariæ ſubjectis juxta agrum arcis Gergeniæ bene longum porrigitur ab oriente in occidentem. Infra Regenum tranſit Marum, ubi quemadmodum etiã à ſeptentrione circumfunditur regione Dobocenſi. Infra S. Demetrium finitur alveo minoris Cicelli, donec jungatur fluvio Narado; inde tendit ad amnem Marum. In his terminis atque ab Auſtro finitima Sedi Schegeſchvarienſi, & Comitatui Kikellienſi. In parte orientali rigatur fluvio Narado (*Nyárád*) qui cum minore Cicello facit peninſulam, longam III. M. paſſ. latam M. Decurrit is ex monte quodam veteri ferrariæ ſubjecto, perfluítque Remetum, & Michazam. In ripa occidentali ſupra Michazam pagus Podagricus (*Kőſzvényes*) infra verò Miſerum Mercurium (*Szegény Szereda*) In *orientali* infra Michazam

*Maroſchienſis Sedis deſcriptio.*

Da-

Damiani Domus (*Demien háza*) Teremium & Naradum (*Nyárád tő*) Intus prope Michazam mons Bekeſſus: ſub cujus radicibus Schallum (*Sallyo*) Kereſturum, & pagus S. Annæ, propinqvus Mantello. Supra Michazam ad ſeptentrionem verſus, & arcem Gergeniam Hodoſchum, & Coloni Fundus (*Jobbágy Telke*) Ultra Michazam, & Miſerum Mercurium in occidentem inter Naradum, & Marum amnes locus frequentior Callum (*Káll*) In latere Boreali minoris Cicelli, loca hujus Sedis infra S. Stephanum Sanctorum Pernicies, Ballæ Forum, Udvarhelinum, conterminum Narado. Vicum Sanctiſſimæ Trinitatis poſtremi quidam homines cognominaverunt Sanctorum Perniciem. In latere Auſtrali loca extranea, S. Demetrius, Zagor è regione Ballæ Fori, Galli Pagus (*Gál falva*) infra confluentem Cicelli, & Naradi. Hactenus curſus horum fluminum v. M. paſſuum. Inter dictum aliquoties Cicellum, & Marum, loca finitima huic Sedi, S. Ladislaus, &

S. Paulus; hic juxta Marum, ille juxta Cicellum. Trans fluvium Marum circumjecta regione Doboconſi loca ex adverſo Mari Fori (*Maros Vásárhely*) Bundum, Campeſtris Auceps (*Mezö Madaráſz*) & S. Petrus extremus. Mari Forum negociatione, mons Bekeſſus glandibus memorabilis. Sedes Aurata, parum juris ſui ac dignitatis retinens, quia à ceteris Siculis avulsa eſt. Nomen ducit à cognomine fluvio aurifero. Pars erat quondam Comitatûs Tordenſis: dein Siculis Kezdienſibus, qui eam à populationibus Tartarorum defenderant, data eſt à Bela IIII. ejus nominis Rege. Finitur duobus tribúſve millibus paſſuum Tranſſilvanorum. Transeo loca, quorum poſitionem nemo adhuc rectè expoſuit: ſola nomina referre nîl juverit. Operæ autem precium me facturum puto, ſi curſum Mari amnis, uti eum expreſſit Serarius Albam uſque perſcripſero. Ac de fonte quidem ejus, curſúque uſque ad Ferrariam, ubi maximè vergit ad Boream, jam dictum eſt.

*Sedes Aurata.*

*Amnis Mari, ùt eum vocat Herodotus, curſus uſque Carolinam.*

eſt. A Ferraria uſque ad oſtium rivi, è lacu Gerebeneſchio effluentis, arcuatim fertur. Is lacus eſt in provincia Dobocenſi, in ejúſq; inſula, ùt memorant, ſunt pagi, arva, ſilvæ. Infra Ferrariam itaque in ripa Aquilonari ſunt loca paribus prope intervallis diſcriminata, Mortuus Marus (*Hólt Maros*) arx Vetſchia (*Vécs*) ſuperior Pagus, Regenum: inde in ripa occidentali S. Joannes(*Szent-Iván*)& Cœni Rivus (*Sár Patak*) interjectíſque ſilvis Bundum; uterque locus Sedis Maroſchienſis: deinceps Gerebeneſchũ ſupra oſtium rivi lacu effuſi. Interpoſito monte, vel colle quodam Bogotum; tum Ludaſchum(*Ludas*) Cotſchardum, Ketſchum (*Kecſe*)& Bogatſchum in propinquo S. Regis ad oſtium Aurati fluvii. Infrà Calenberga, Cotſchardum, Gerendum, Felvincium, Mirislo, Eniedum (*Enyed*) ad oſtium rivi à Ferraria Torotzkenſi defluentis; dein S. Emericus ex adverſo oſtii Cicelli; dein Teviſchum (*Tövis*) ad rivum ab argentaria Kereſchia(*Keres*

*res bánya)* decurrentis. ſequitur Alba. In contraria Mari ripa uno amplius milliari diſtans ab amne, infrà Vetſchium, & ſupra Co oni Fundum ruinæ arcis Gergeniæ in monte quodam poſitæ. Intermeat agrum arcis, & Fundi rivus quidam, qui in eodem monte fontem habet; in quo fluvius Naradus. Infrà ejus oſtium apud Marum Pirium *(Kôrtvély fal)* è regione S. Joannis; è regione verò Cœni Rivi Gerneſchagum (*Gernyeság*) deinde S. Georgius, Forum Mari, & Media Villa Sedis Maroſchienſis; tum S. Paulus *(Kerelô Szent Pál)* & Radnotum oppoſitum oſtio lacûs Gerebeneſchii; contra Ludaſchum Cuttia villa (*Kutyfal*) Tſchutzum ex adverſo Ketſchi; Bogatum ſupra Bogatſchum; ad mille paſſus Nova arx (*Maros Ujvár*) tum Teredum, & Hungarica Tſcheſtva, in angulo confluentis Mari, & Cicelli: infra Valachica Tſcheſtva (*Oláh Cſeſztve)* deniq; Mihatſchii pagus (*Mihács falva)* oppoſitus Albæ. Cicellus minor ſimiliter atque Marus à termi-

*Cicelli minoris curſus ceterus.*

minis Sedis Maroſchienſis curvatur in occidentem. Termini autem illi reſpondent lacui Gerebeneſchio. Infra confluentem ejus, & Naradi, in ripa occidentali S. Ladislaus, Dombo, S. Benedictus, nec plura loca prodit Faber in ſpatio trium milliarium: Treſterus verò Schinenum, & Zomborum. In adverſa ripa intra eosdem fines Galli Villa, Bogotum, Adamoſchium, Cuttiam Villam, & arx Cicellia (*Kikellő vár*) Tſchutzum apud Marum poſitu exæquantes. S. Nicolaus ex adverſo S. Benedicti, Langtallum ſive Longodartum reſpondens arci Novæ ad Marum, Blaſii vicus ſupra confluentem Cicellorum. Major Cicellus ab Udvarhelino ferè inter ſeptentrionem, & meridiem fertur præterquam ad extremum apud Mikesaſſum, ubi magis flectitur in Auſtrum. In latere Aquilonari appoſita ſunt ei loca, Columbarium (*Galambfal*) Kereſturum, Udvarhelino II. Millibus diſcretũ, & Schandum ditionis Udvarhelienſis. Infra Bunum, Ebeſchfalva, Lunium

(*Hold*

(*Hold világ*) Almaſchium, Darlazū, vel Durlazum, Campus Parvi Aratri (*Kis Eke Mező*) Campus Magni Aratri, Ludaſchum, Mikeſaſſum (*Mikeſzaſza*) In latere Auſtrali infra Udvarhelinum B. Virginis vicus, Limi vicus (*Agyag falva*) Fiadi vicus (*Fiad falva*) prope Kereſturum, & Schandum in Sede Udvarhelienſi: deinde in Sede Schegeſchvarienſi Alba Eccleſia, ipſum Schegeſchvarum, Danoſchum Germanicè Dunesdorffum; tum Media longulè ſita, Reichesdorffum, Frauendorffum, Eibisdorffum, Minus Schelcum, Apesdorffum, Scharſtenum. Subter confluentem Cicellorum Tſchanadum, Baniadum (*Banyad*) & Valachica Tſcheſtva. De ora fluminis Homorodi, & flexuoſi Alutæ donec Fogaraſcho allabatur, reliqua ſunt; in latere *orientali* Homorodi ſub radicibus montis Ricæ prope Darocium Schomborum, ſub radicibus autem Cuſtalis Michvaſcharum, ſupra oſtium Inferius Racoſchum; in latere verò occidentali non longè Rupe diſtantes Cotza,

*Homorodi fluminis curſus ceterus.*

za, & S. Petrus. Apud Alutam verò ſubter inferius Racoſchum, & oſtium Homorodi ſpectans Felmerum Ugra; infra Tumulus Regis, & Galatshium è regione oſtii rivi Fogaraſchum præterlabentis. Inter Ugram & Tumulum Regis (*Királyhalma*) Minori Schenko propinqvum Tiucodum (*Tyukod*) In interiore parte flexûs Alutæ ſupra Mergenburgum ſub monte Monachæ Vereſchmartum, Ormoſchium vicinius amni ex adverſo Boloni; in ſummo infra Barothum vicus Auguſtini (*Agoſton falva*) E regione gemini Racoſchi præcipiti jam amne montes & ſaltus, tum Thermæ (*Hévizַ*) & Comana, villæ oppoſitæ Ugræ, & Galatſchio. Sequitur Fogaraſchum. In Umbilico regionis Monachæ (*Apácza*) mons; ſub cujus radicibus Olteva (*Olteve*) & Niger Tumulus (*Fekete Halom*) vicus inter Fogaraſchum, & Coronam longioribus intervallis ſitus. Pleraque omnia, quæ adhuc attuli, ex deſignationibus Stephani Serarii depromſi; qui cum errare malui, quàm

*Aluta curſus ſupra Fogaraſchū*

*Loca inter Alutam ab Auſtro in ſeptentrionem ſupra Coronam reflexi.*

quàm multa tacitus præterire. Fuit vir ille omni laude dignus curio quondam in Sede Udvarhelienſi. Comitatuum deſcriptionem prætermittere cogor, quia pauca de iis cognita, & comperta habeo. Rogati amici, nihil ſuppeditârunt. Silvam rerum comparare, & notitiam aliunde haurire non potui. At non deerunt aliquando, qui totam illuſtrent Tranſſilvaniam, atq; Ungariam.

# CAPUT XII.

## *Series Principum, & Invaſorum Tranſſilvaniæ.*

*Tranſſilvaniæ Principum ſeries.*

1574. STephanus Bathorius ex Vajvoda Maximiliani II. Imperatoris; poſtea Rex Poloniæ. Naturæ conceſſit 1586. ſub eo Vajvoda Chriſtophorus Bathorius, mortuus VI. Calendas Jun. 1582.

1582. Sigiſmundus Bathorius primùm adnitentibus Chriſtophoro patre, & Stephano patruo novennis in comitiis Claudiopolitanis deſignatus.

1598. Rudolphus II. Imperator primùm

mùm provinciâ ſe abdicante Sigismundo.

Sigiſmundus Bathorius ſecundùm. 1599.

Andreas Bathorius Sanctæ Romanæ EccleſiæCardinalis VI. Nonas Martii cedente Sigiſmundo declaratur. In ſignum poteſtatis eodem anno à Turcarum Principe vexillo donatus. A Michaële VajvodaValachiæ exercitu Tranſſilvano ad Cibinium V. Calendas Novembris fuſo, in fuga occiditur Calendis Novembribus in regione Tſchikienſi ſupra pagum S. Dominici.

Eodem año XIIII. Calendas Decembris Michaël Vajvoda occupat tyrannidem. Poſt plura prælia malè pugnata in variis provinciis, in ſpeciem gratiam Rudolphi Cæſaris aſſecutus, juſſu Georgii Baſtæ año 1601. V. Idus Auguſti in caſtris cæditur.

Sigiſmundus Bathorius tertiùm 1601. Princeps. Ingreſſus Claudiopolim XVI. Calend. Aprilis: ſacramentum dixit IIII. Nonas Aprilis.

Eo-

Eodem anno Rudolphus Imperator ſecundùm, à Georgio Baſta reſtitutus. Sigiſmundus Bathorius 1602. in perpetuum deſerit Tranſſilvanos, egreſſus è provincia VII. Calendas Auguſti. Obiit diem ſuum Pragæ anno 1613.

1603. Moyſes Siculus occupata tota ferè regione ſub finem Maji involat in Principatum. IIII. Idus Auguſti cum Radulio Vajvoda Valachiæ, à Baſta accito, prope Coronam manu confligit, ac in acie à Pana Græco globo *bombardæ* interficitur.

1605. Stephanus Botſchcaius XVIII. Calendas Octobris in civitate Media præſens renunciatur. Fabulam ætatis peregit Caſſoviæ XXIX. menſis Decembris anno 1606.

1607. Sigiſmundus Racocius III. Idus Februarii à provincialibus creatur, IIII. Nonas Martii à Turcis recipitur. 1608. in templo majore Claudiopolitano D. Michaëlis, in quo aſſumptus erat, provinciam deponit. Nonis Decembribus in ſuperiore Vadaſſo(*Felsö Vadáſz.*)pago regionis Abaujvarienſis fato functus.

Ga-

Gabriel Bathorius pridie Calend. Aprilis ad D. Michaëlis Claudiopoli pronunciatur, XVIII. Calend. Septembris ab Achmete admittitur. Anno 1613. interficitur Varadini in platea Italica, paucis antè diebus exauctoratus à Turcis. 1608.

Gabriel Bethlenius primùm volente Serdaro Skendere Mahomete Aga ad vicum Zajcanum armis Turcicis ſuccinctus, deinde à Provincialibus tertium, & vigeſimum circiter diem Octobris renunciatus: nam quarto & viceſimo jurejurando devinxit auctoritatẽ ſuam; poſtridie verò ſceptrum, & vexillum apud Tordã à Turcis accepit. 1629. XVII. Calend. Decembris hydrope abſumptus altero, quàm ex Ungaria redierat, die, annos natus unum & quinquaginta. 1613.

Catharina Brandeburga ante triennium vivente marito Gabriele deſignata, VI. Idus Decembris à Vezirio Budenſi ſtabilita, nec annum provinciæ præfuit. 1640 cum altero conjuge Franciſco Carolo Saxoniæ &c. Duce divenditis in Unga- 1629.

garia, & Tranſſilvania bonis revertit in patriam.

1630. Stephanus Bethlenius univerſis nationum ſuffragiis, unáque voce declaratus vix unius menſis Princeps. Territus enim metu tumultûs ceſſit Racocio. Fruſtra poſtea conatus recuperare dignitatem.

Eodem año Georgius Racocius ex Ungaria accerſitus Principatum obtinuit. Poſtero verò año die memoriæ Divi Georgii Martyris ſacra per literas Turcarum Principis, & conſenſſum nationum in gradu firmè collocatus eſt. Exemptus rebus humanis, quas ſummè concupiſcebat, anno 1648. Menſe Octobri.

1648. Georgius Racocius minor ſucceſſit in locum patris. Anno 1642. à Provincialibus nominatus, IIII. Nonas Martii accepit à Turcis inſignia Principatûs. 1657. Ab iiſdem movetur Magiſtratu. Obiit 1660. Varadini, VIII. Idus Junii ex accepto vulnere in prælio cũ Turcis commiſſo menſe Majo.

1656. Franciſcus Racocius Georgii II. fi-

filius appellatus à nationibus. Ob adverſam patris fortunam ſolum vertere coactus. Fuit igitur Princeps titulo tenus ad annum 1676. quo vitam poſuit VIII. Idus Julii.

Franciſcus Redeius in locum Georgii II. exacti urgentibus Turcis ſublegitur Albæ tertia luce Novembris. Miſſos fecit honores XXIX. Decembris, ac in Ungariam conceſſit. 1657.

Acatius Bartſchaius impetravit à magno Vezirio Principatum. Receptus à Tranſſilvanis Schesburgi ea lege, ſi Georgius II. in antiqvum honoris locum non reſtitueretur. 1661. menſe Majo, vel Junio ob tyrannidem in fruſta ſectus. 1658.

Joannes Kemenius exauctorato Bartſchaio Calendis Januariis à Provincialibus declaratur. 1662. apud majus Vinarium (*Nagy Szölös*) in prima impreſſione à Turcis facta pedibus eqvorum obteritur. 1661.

Franciſco Redeio, Stephano Petkio, & Paulo Beldio moleſtam provinciam declinantibus ante interitum Kemenii in caſtris ab Alipa- 1661.

ſcha, Boſnenſi Vezirio, appellatur Michaël Apafius XVI. Novembris; inde à Provincialibus receptus, XXIX. menſis Decembris in minori Schelco ſacramentum dixit. 1690. exceſſit Fogaraſchi, ubi conventum agebat, XVII. Calendas Majas.

1681. Filio ejus Michaëli defertur Principatus à Provincialibus 1684. à Turcis recipitur, & inſignibus ornatur Albæ Juliæ. 1693. Tranſtulit domicilium Viennam, ubi defunctus eſt anno 1714. Nunquam geſſit rempublicam.

1687. Leopoldus Imperator pedē tulit in Tranſſilvaniā, firmiùs fixit 1692. quo Princeps dici voluit.

1705. Joſephus Imperator.

1707. Franciſcus Racocius, Franciſci extorris filius, à quibusdam turbatis rebus contra Joſephum Cæſarem appellatus in Foro Mari (*Maros Vásárhely*) anno 1711. excluſus Hungaria & Tranſſilvania, reſpuens gratiam Auguſtæ Eleonoræ, dein & Caroli VI. Imperatoris.

1711. Carolus VI. Auguſtus, jure patrio, tum ſuffragiis Provincialium. Perennet! CA-

# CAPUT XIII.

## De regnis, Galliciæ, & Lodomeriæ.

REgnum Galliciæ, cujus nomen Hungariæ Reges titulis ſuis inſerunt, confine eſt Comitatibus Beregienſi, & Maramaroſchienſi atque adeò Ungariæ. Nam civitas Halicienſium, unde regio appellationem obtinuit, eſt apud amnem Nieſtrum, quem Ptolemæus Tyram vocat. Hungari, neſcio, cur maluerint exprimere Galliciam, quàm Haliciam. Regionem hanc per Ungaros partam eſſe, dum primores Ruſſorum contentione, & ambitione inter ſe diſſiderent, jam pridem docui in *Synopſi Rerum Ungaricarum.* An autem Andreas II. antequam regni potiretur, copias duxerit in Haliciam, nunc ſubdubito. Bela III. pater ejus, priuſquam Hungaris redditus Rempublicam capeſſiviſſet, plures annos nuptiis cum Maria Manuelis Græcorum Imperatoris filia alligatus erat. Regnavit tres

*Gallicia ſive Halicia regnum. ubi?*

*Gallicia quando facta juris Hungarici?*

*Bela III. R. obiit 1196.* & viginti annos, exceſſitque de medio CIↃCXCVI. qua in re me revoco; notaveram enim eum fato perfunctum tribus ante annis. Quorſum verò hæc? Quamvis forſitan Andreas año CIↃCLXXXVI. per ætatem, in Haliciam ducere, eámque ſubigere potuiſſet, ſi tamen regio illa peculium ipſius fuiſſet, vix rem adeò jucundam ſibi, plauſibilémq; ſilentio tranſmiſiſſet iis literis, quas anno CIↃCCXIIII. ad Innocentium Pontificem Max. ſcripſit, cùm Halicienſes Colomanum filium ejus ad regnum accerſebant. Fecit autem de illorum poſtulatis certiorē Innocentium tali oratione: *Noverit igitur Sanctitas veſtra, quòd Haliciæ Principes, & populus noſtræ ditioni ſubjecti, humiliter à nobis poſtulârunt, ut filium noſtrum Colomanum ipſis in Regem præficeremus, in unitate, & obedientia Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ perſeveraturis in poſterum; ſalvo tamen eo, quòd fas illis ſit aliàs à ritu proprio non recedere.* Sic ille. Totam epiſtolam reperies apud Odoricum Raynaldum, alióſque. Quantus

*Gallicienſes ab Andrea II. Rege Colomanum filium poſcunt ad regnum.*

ve-

verò Rex Eccleſiam Romanam Sacroſanctam vocat? quam hoc ſeculo quiſquiliæ plebis, teterrimíque hominum execrari non reformidant. Donec omnis Hungaria Romanam Sedem venerabatur, quis neget eam omni gloriâ floruiſſe? Vix guſtavit virus, interiit Ludovicus Rex, & ipſa penè elata eſt. Ne plura de hoc, deinde uſque ad ætatem Ludovici I. Regis præficiebantur Haliciæ indegenæ, ſummo loco nati, imò à veteribus provinciæ dominis genus ducentes. Ducum enim honore ornabantur. Et Colomano quidem Regi, ùt auctor eſt Turocius, vicariam operam apud Halicienſes impendebat Daniel; eo verò defuncto Belæ IIII. gener Ratislaus. Dum bella genti cum vicinis intercedebant, ſuppetias ei ferebant Ungari. Quæ omnia ut conſtent, partem literarum Belæ IIII. ubi laudes Laurentii illius, aulæ ſuæ judicis orditur, ſubjungo, quæ hujuſmodi eſt: *Primo ſiquidem, cùm adhuc in numero, ſeu collegio domûs noſtræ, famam pol-*

*Galliciæ præfecti ſub Regibus Hungariæ.*

*Pro Gallicienſibus Hungarorũ expeditiones.*

*lentem, & nomen duceret glorioſum, ipſum cum chariſſimo genere noſtro, Ratislao Duce Galliciæ, in partes Ruſciæ cum ceteris regni noſtri magnatibus duximus tranſmittendum; qui ſub caſtro Iroslo Ruthenis quamplurimis in perniciem ipſius generi noſtri exeuntibus, de eodem, & armatam in expeditionem noſtram dirigentibus aciem, Zelo devotæ fidelitatis armatus, volens potiùs poſt mortem vivere per famæ gloriam, quàm tergum hoſtilitati hujuſmodi vertere, ſe objecit, ubi transfoſſo hoſtili lancea crure ſuo extitit lethaliter vulneratus. Deinde cicatrice ſui vulneris nondum obducta, cùm Daniel Ruthenorum Rex ad campeſtre prælium contra ipſum noſtrum generũ prodiiſſet, ſtrenuitas ejusdem Magiſtri Laurentii deſidiæ obſcuritatem abhorrens in lucem prodiit probitatis, & ſingulariter hoſtili ſe immiſcens aciei, quendam de Ruſciæ Baronibus impulſu dejecit lanceali; quem ſupradictus gener noſter fecit capite detruncari. In quo conflictu cùm equus ſæpe dicti Ducis, generi noſtri perdilecti, fuiſſet interfectus, idem Magiſter Laurentius ſolitæ fidelitatis inſiſtens fer-*

*Ad Jaroſlaviam pugna.*

*Danielis, Ruthenorũ Regis, cum Ratiſlao Duce & Ungaris pr[æ]liũ.*

fervori, vitámque jam dicti Ducis præferens vitæ ſuæ, equum, quo vehebatur eidem Duci tradidit, & ſe inter hoſtes confertiſſimos poſuit, variis periculorum fluctibus involutum, ſicut præmiſſa ſupradicti Ducis, & multorum fidelium, ac fide dignorum nobis relatio patefecit. Hactenus Bela. Danielem Regem Ruthenorum, qui cum illud bellum geſtum eſt, ferunt domicilium Moſcuæ collocâſſe, titulúmque Tzari ſumpſiſſe. Flagrabat autem bello illo Ruſſia circiter annum CIↃCCXL. Nam continuò ſubjungit Bela prælium cum Friderico Auſtriæ Duce commiſſum, quod incidit in annum CIↃCCXLVI. deinde memorat bellum Bohemicum, poſtremò Bulgaricum, quod jam pertigi. Demortua ſtirpe Ducum, & concuſsâ ſub annum CIↃCCC. ſeditionibus Ungariâ, Poloni in Haliciam pedem intulerunt, expugnata antea, vix dum condita ab Leone Danielis illius filio Leopoli. Verùm fines regionis ab excurſionibus Litvanorum non ſatis tuebantur. Addito ergo tempore rurſus,

*Daniel Rex Ruthenorum primus Tzarus.*

*Belæ IIII. bella.*

ſus, ùt prodit Turocius (vel potiùs Joannes Archidiaconus, cujus ſcrinia Turocius compilavit) in geſtis Ludovici I. Cap. XXV. auxilio fuêre Hungari Halicienſibus. Gemino enim exercitu Ludovicus Rex, illorum ſaluti fortuníſque ſuccurrit, Lithvanorum incurſantium impetum cohibuit, complura loca provinciæ præſidiis firmavit, præpoſuítque legionibus, ac populis Hungaros genere, artéque armorum inſignes; quorum nomina iidem hiſtorici ordine referunt. At enim neſcio, quibus rationibus adductus idem Ludovicus Rex, multum de ſuo regníque jure detraxit, quando Haliciam à majoribus acceptam, per ſéque defenſam Polonis conceſſit, fundos bonáque regia in clientes ſuos, inter quos Ungari quoque fuerunt, diviſit. Maximè autem divitiis auxit Ladiſlaum, Oppuliæ, in Sileſia Ducem, propinqvum ſuum. Hunc Ladiſlaum ego in *Synopſi* ſcribas regios ſequens exiſtimabam fuiſſe Ducem Apuliæ, regionis Italicæ. At ejus no-

*Gallicienſes à vexatione Lithvanorũ vindicat Ludovicus I. Rex.*

*Haliciam Ludovicus abalienat.*

*Ladiſlaus Dux Oppuliæ, Hungariæ Palatinus.*

nominis ætate Ludovici I. Dux Apuliæ nullus fuit. Adi Mathiam à Michovia *Rerum Polonicarum* Lib. IIII. Cap. XXXI hæc pertractantem. Veruntamen abalienatio iſta fidem ſuperare videtur, & meritò cuique prudenti atque callido ſuſpecta eſſe debet. Conceptis enim verbis Reges Hungariæ jurant, ſe nullas Hungaricas terras diſſipaturos eſſe. Indignum quoq; eſt regia majeſtate rem diſperdere, & nomen retinere. Ludovicus præterea I. eo ingenio Princeps fuit, ut augere potiùs, quàm minuere terminos regni ſtuduerit. Sæpè tamen Principes ea agunt, quæ ſubjecti volunt, ac è re publica futura arbitrantur. Poterat etiam omnis cura Haliciæ abjici, memoriáque deleri, cum à morte Ludovici illius longo tempore vario tumultu cuncta in regno turbabantur. Non prætermittendum, ab Ladislao illo Oppuliæ Duce, & Ungariæ Palatino in monte Tſcheſtochovio anno circiter CIƆCCCLXXXIV. collocatos eſſe Divi Pauli primi *eremitæ* Alumnos. Ad con-

*Tſcheſtochovium inducitur Ordo Ungaricus S. Pauli primi Eremitæ, poſita in templo imagine ſervatricis MARIÆ.*

conciliandam verò loco celebritatem, ac venerationem ab eodem ſtatutam eſſe in æde picturam Mariæ ſoſpitæ, in prædicta Ruſſia Belcii repertam. Divi Lucæ Evangeliſtæ opus eſſe dicitur. Delicium eſt, & theſaurus Polonæ gentis. Ornatur ab hac identidem, & coronatur. Hodie Polonia tanta eſt cultrix nominis, ac numinis Mariani, ut ſi nomen mutaret, Mariana vocanda eſſet. Excitavit verò ignem hunc Ladislaus, alit Societas Jesu.

*Lodomeriæ regnum an Vuladimiriæ?*

Revertor ad propoſitum. De Lodomeria tacent annales, ſilent diplomata. Quidam opinantur, eã eſſe Vuladimiriam regionem nimirum Volgâ, & Occâ amnibus incluſam; cujus oppidum Princeps, à quo nomen habet, ajunt Moſcuâ diſtare XXXVI. milliaribus Germanicis. At uſque illò Ungaros protuliſſe imperium procul verò eſt; cùm nulla res indicio ſit.

*Videtur eſſe vicinum Galliciæ.*

Exiſtimo proinde, Lodomeriam Hungaricæ ditionis eſſe partẽ Ruſſiæ, confinem Haliciæ, hæreditatem Volodomiri quondam Princi-

pis;

pis; qui, ùt Poloni ſcriptores tradunt, dum præſidium, apud Belam III. quæſiſſet, vincula invenit. Uno enim eodémque temporis momento Andreas II. dictus eſt Rex Galliciæ, & Lodomeriæ, hæcque illi utpote minoris censûs, atque amplitudinis in titulis regiis poſtponebatur. Ceterùm confiteor, me cujusdam auctoritate inductum in *Synopſi* prodidiſſe, Belam III. adhibere cœpiſſe titulum Regis Galliciæ, quo tamen neque primogenitus ejus Emericus uſus eſt, quamvis jam terram illam in ſua ditione tenuerint. Emericus enim (ùt de Bela taceam) taliter inchoabat literas: *Hemericus Dei gratiâ Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Ramæque Rex.* Inde dilatato in Servia dominatu, ejus nomine auxit titulos. Andreæ verò II. Emerici germani caput literarum eſt ejuſmodi: *Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Ramæ, Serviæ, Galliciæ, Lodomeriæque Rex.*

*Galliciæ, & Lodomeriæ primus Rex Andreas II.*

*Emerici & Andreæ II. Regum tituli.*

CA-

# CAPUT XIV.

## *De Cumania, ſive Moldavia.*

*Chuni Ponti Accolæ. Iidem Cumani.*

CHuni, progenies Hunorum, contingentes Ruſſos, vel Beſſos jam olim ante ætatem Claudii Ptolemæi accolebant Pontum. Inter multas viciſſitudines rerum, migrationéſque Romanorum, Gothorum, Hunnorum Sclavorum, permanſerunt ſalvi, atq; invicti in ſua Dacia, vel ùt Ptolemæo placet, Sarmatia. Hungaris vernaculâ lingvâ Cuni (*Kunok*) Latinis Cumani appellati. Sacri quoque Romani, aliíque faſti compluriùm Chriſti athletarum apud Cumanos in Ponto meminêre. Genus Hungaricum, quis eos fuiſſe neget? quando oppidula, ac villæ regionis uſque adhuc Ungarica retinent nomina. Dum à Tartaris circa annum Chriſti CIↃCCXL. bello preſſi in ſummum deveniſſent diſcrimen, pars victoribus ſe ſubjecerunt, pars in fidem, & clientelam Ungarorum ſe contulerunt. At receptio eorum

*Cumani Hungaricæ ſtirpis populi.*

*Impugnantur à Tartaris.*

*Cumaniæ Regis titulus Belæ IV. oneroſus.*

rum in anguſtum adduxit Belã IIII. Regem, & Ungariam. Multo ſanè ſangvine ſuorum Regi illi titulus Regis Cumaniæ ſtetit, quamvis ipſe exitii cauſam in conſceleratos indigenas derivârit. Extenditur regio à Ruſſis inter Tyram, & Pontum Euxinum, à Tranſſilvanis ad Iſtrum, rursúmq; ad mare nigrum in vicinia Tranſalpinæ. Turcis Carabogdania, id eſt, Nigra Bogdani Terra dicitur, quia nigri cujusdam frumenti ager illius ferax eſt. Incolæ Valachi, Saxones, Hungari, Judæi, variique convenæ. Armenii in Tranſſilvanos conceſsêre. Rigatur fluvio claro Pruto, ſi Latinè verbum reddas, Virga; qui Ptolemæo eſt Hieraſus. Eſt autem regio plana ex parte maxima ac fertilis, ſed infrequens, ſilvíſque, ſi montana excludas, defecta. Abundat equis valentibus, nativo ſale, bobus magnis, aurariis atque argentariis; has tamen ob metum Turcorum jacere, memoriæ proditum eſt. Quin & fluvios auro ſcatere memorant. Plus centum annos ta-

*Cumaniæ fines.*

*Cumania Turcis Carabogdania.*

*Cumaniæ incolæ.*

*Cumaniæ qualitas & fertilitas.*

*Cumania diu deſerta frequentatur à Bogdano, Maramaroſienſi Valacho, ducente colonias circa añum 1350.*

tacuit ager Cumaniæ, præterquam oræ extremæ, ubi veterum colonorum erant reliqviæ. Inde Ludovico I. regnante Bogdanus, Valachorum Maramaroſchienſium coryphæus, amore terræ, & viciniæ, & fœcundæ captus, relicto clam ſterili natali ſolo multis cum familiis tranſgreſſus alpes eam occupavit, ùt refert Joannes Archidiaconus, in geſtis Ludovici Regis, cui erat à ſecretis, apud Turocium Cap. XLVIII. Creſcente ſenſim numero incolarum, ut in gente immuni, pacéque diuturna fieri amat, regio aliquantùm frequentata eſt. Ludovicus ergo gnarus eam ditionis Ungaricæ eſſe, ne à ſuo jure abiret, non deſtitit Valachos, novos Cumaniæ incolas, uſque adeò minis, armíſque territare, donec eos in ditionem impelleret. Nihil autem ſanctius, & antiqvius habuit, quàm ſalutem gentis ſempiternam. Miſit enim ad illam Chriſtianæ ſapientiæ doctores, piéque vivendi præceptores; qui non minore alacritate officium ſuſceperunt, quàm exe-

*Ludovicus ſubigit Valachos in Cumania.*

*Myſteria Chriſtiana genti aperiuntur.*

executi ſunt. Id verò ubi à tabellariis, aut fama accepit Clemens VI. Pontifex Max. Strigonienſi, & Colocenſi *Metropolitis* per literas ſignificavit, mandavítque, uti capita inter ſe conferrent, conſiliúmque ipſius de deſignando nationi Antiſtite, qui lingvam Valachicam luculenter calleret, Ludovico aperirent. Conſultarent inſuper cum illo de domicilio Epiſcopi, déque terminis jurisdictionis ejus. Super hæc diſpicerent, deliberaréntque, cuinam Metropolitæ ſubjiciendus eſſet? Enunciarent denique, an Antonius Franciſcanus, qui plurimam jam apud nationem operam navârat, tanto muneri par eſſet? Fuſiùs de his in rebus anni CIϽCCCLXXIIII. Odoricus Raynaldus. Ea autem de Valachis Moldavicis Clementem ſcripſiſſe, liquet; ſiquidem Valachiam Tranſalpinam ne Ludovicus quidem ille, quantumvis plurimarum palmarum Rex, victórque plurium gentium ſatis perdomare potuit. Ad rem quoque pertinet, ab eodem Rege proviſum eſſe, ut

*De Epiſcopo genti dando laborat Clemens VI. Papa.*

*Cumanorũ reliquiæ inſtituuntur ad Chriſtianorum inſtituta.*

Cumanorum reliquiæ, Tartarorum ritibus viventes, Chriſtianis præceptis imbuerentur, ùt tradit Joañes Archidiaconus apud Turocium in geſtis ejusdem Ludovici Regis Cap. XLV. Qui enim in Ungaria vitam degebant, jam pridem Chriſtiana ſacra receperant, ſuúmque peculiarem, dum miteſcerent, habebant Præſulem. Ad hæc Joannes XXIII. Pap. Epiſcopo Placentino, ſuo apud Sigiſmundum Ungariæ Regem nuncio, anno CIↃCCCCX. mandavit, ut apud Cumanos, Philiſtæos, & Tartaros recens Chriſtianis adjunctos, ac infra circáque fines Hungariæ commorantes parœcias conſtituat. Qui autem fuerint, qualéſve populi Philiſtæi in confinio Ungariæ conſiſtentes, difficile eſt dicere: ſiquidem Philiſtæi, quos recentiores appellavêre Jazyges, Cumanis finitimi, in medio agitant regno. Ad poſteros Cumanorum anno CIↃIↃCCVI. in Beſſarabiam miſſus fuit Tirnaviâ ſacerdos. Sunt enim latinarum ceremoniarum obſervantes ac percupidi, à quibus Valachi receſſe-

*Tartari aliqui Chriſtiani facti.*

*Cumani Latini ritûs retinentes.*

ſerunt. Ex illo itaque tempore incolæ Cumaniæ facti ſunt Regibus Ungariæ vectigales, ipsáque regio Moldavia cognominata. Quoniam verò quandoque ſegnes erant ad pendendum tributum, armis ab Sigiſmundo, & Mathia Corvino extimulati ſunt. Manſerunt in clientela Regum Ungariæ utriuſque Valachiæ populi ad cladem Mohatſchienſem uſque: nam & Ludovicus II. in fœdere, quod anno CIↃIↃXIX. cum Selimo percuſſerat, & pater ejus Vladislaus multò antè in ſuo præſides utriuſque provinciæ incluſerat, caſtellíſque & poſſeſſionibus in Ungaria, & Tranſſilvania eosdem donaverat, quò fortè à Turcis pulſi certum haberent locum, in quem ſe reciperent. Fruſtra porrò blandiuntur Polonis ſcriptores illi, qui ad memoriam propagârunt, curatores vel utriuſque, vel alterutrius Valachiæ, fuiſſe Poloniæ Regibus vectigales; ſiquidem anno CIↃIↃIII. Vladislaus Rex Ungariæ legavit in Moldaviam Stephanũ Telegdium, Franciſcum Balaſſam, & Emericum Czo-

*Cumania Moldavia dicta.*

*Valachi Hungariæ Regum dedititii usq; ad cladem Mohatſchienſem.*

*Hungariæ & Poloniæ Regum ob limites ad Moldaviã diſſidium.*

borium, ad componendum jurgium, ob quoddam territorium excitatum, quod Poloniæ Rex pro ſuo vendicabat. Extant literæ de hac legatione, die Divi Galli memoriæ ſacrata Budæ conſcriptæ; extant autem in libro tabularii Qvæſturæ regiæ Scepuſienſis illo, in quẽ congeſtæ ſunt, multæ literæ rebus Tranſſilvanicis refertæ. In iis Vladislaus Rex Stephanum præfectum Moldaviæ ſuum Vajvodam appellat. Valachiæ autem alterius curator multò minùs poterat eſſe obnoxius Polonis. A dicta itaque clade ferè continenter utriuſque Valachiæ populi fuerunt, súntque ad hanc uſque memoriam Turcis vectigales; quamvis non negaverim; eos antea Turcica calamitate afflictos fuiſſe. Extrema pars Moldaviæ, quam Beſſarabiam quaſi Beſſothraciam quidam recentiores nuncupaverunt, Turcis quoq; habitatur. Moncaſtrum in hac celebre. Tartari quoque non exiguam partem Moldaviæ vel uſurpaverunt, vel rapuerunt. In cetera provincia oppida nobiliora Jaſſii, & Sociavia;

*Beſſarabia pars Moldaviæ Tartaris, & Turcis inhabitatur.*

Se-

ſedes præfectorum, quos populares *Hoſpodaros*, id eſt, Patresfamilias vocant.

# CAPUT XV.

## *De Tranſalpina, ſive Valachia.*

VAlachos populos abhinc annis amplius quingentis Blachos, & Balachos nuncupatos fuiſſe legimus apud hiſtoricos; ac primùm quidem apud Ciñamum, ſcriptorem Græcum, circa annum CIƆCLXVIII. eo loco, quo bellum Manuelis, Græcorum Imperatoris, & Ungarorum perſcribit, aítque Blachos è locis Ponto vicinis contra Hungaros concitatos fuiſſe. Rabbinus Benjaminus, qui itinerarium Hebræo ſermone anno CIƆCLXXXIII. edidit, regionem hanc Balachiam, Innocentius III. ſummus Pontifex apud Raynaldum anno CIƆCCIII. & ſequenti Blachiam; Andreas II. Rex Ungariæ in diplomate Saxonibus Tranſſilvanis dato populos Blacos nominat. Dum Carolus I. Rex Ungariæ gubernacula teneret, quibus-

*Valachi antea Blachi, Balachi & Blaci.*

*Iidem dicti Olachi poſt añum cIↄ. ccc. aliquamdiu.*

dam Hungaris in ſcriptis Latinis dicebantur Olachi, vel Olahi ex vocabulo Hungarico *Oláh*, aliis verò appellabantur Valachi, ex verbo Sclavonico Wlach, quod Italum ſignificat, horúmq; nomenclationē uſus comprobavit.

*Flaccus Romanus an parens Valachorum? & an Flacci dicti Valachi?*

Æneas Sylvius à Flacco illos originem ducere ſcripſit; quamobrē Georgius Reychersdorffius Flaccos primùm fuiſſe vocatos ratus eſt. At enim quo argumento hæc firmari poſſint, non perſpicio. Nuſquam enim hiſtorici de Flaccis populis meminêre. De Flacco Mœſiæ præfecto, qui Getas ſive Dacos à finibus Romanis impigre arcebat, fudit quidem quosdam verſus Poëta exul Lib. IIII. Eleg. IX. ſed eo tempore Valachorum natio nulla fuit, utpote poſt multos annos Romanis prognata.

*De etymo vocabuli hujus Valachus Bonfinii opinio.*

Bonfinius exiſtimavit, à Græcis illis nomen Valachorum inditum eſſe de cuſpide ſagittarum, eò quòd arcu valerent. Verùm hanc conjecturam imbecillem, imò nullam eſſe oſtendit Cinnamus. Quandoquidem ipſi ſe pro Romanorum ſobole gerunt, exteríſque nationi-

bus

bus venditant, veritati proximum eſt, illos ex dicto vocabulo Sclavonico ſic nuncupatos eſſe. Atque hæc eſt plurium, qui ante me ſcripſerunt, auctorum ſententia. Sæpe cum Sclavis commercium, vicinitáſque iis ſuit, quocirca multa vocabula ab iis mutuati ſunt, pagíque non pauci in Valachia Sclavonica nomina habent. Hoſpitalem gentem fuiſſe neceſsè eſt, quia Gotho, Hunnos, Sclavos, ſedes quærentes hoſpitio acceperunt. Fœcundam quoque fuiſſe oportebat, quæ Hungaris in Tranſſilvania, húcque finitima Hungaria exciſis, terras implevit. In Tranſſilvania tamen jam uſq; ab avorum temporibus aliqvos fuiſſe, docet diploma ab Andrea II. Rege Saxonibus datū. Populus multus, hodie pacis cupidior, quàm belli. Regio dicitur ſine additamento Valachia, aut Tranſalpina, aut Valachia minor. Aſpera eſt rupibus, & alpibus quà Ungariam, & Tranſſilvaniam contingit, quamobrem ab Hungaris vocatur Nivalis Inferior terra (*Havas Alföld*)

*Valachi Romanorū progenies.*

*Valachi poſt exciſos à Tartaris Hungaros implent Tranſſilvaniam, & huic circumjectam Hungariam.*

*Valachiæ nomina & qualitates.*

*Valachi Vectigales Ungaris.* Vectigalis fuit Ungaris ante regnum Caroli I. vel certè facta eſt primùm, cùm ipſe Uroſium, Raſciæ tyrannum, pugnâ fregit; quæ victoria cecidit in annum CIƆCCCXX. Quippe Annalium monumentis traditũ eſt, Baſſarabum Vajvodam Carolo illi Regi fideliter tributa penſitâſſe. *Tergoviſtũ, & Bucoreſtum.* Oppida frequentiora in hac Valachia ſunt, Tergoviſtum, & Bucoreſtum; hoc à bubus ex Latino, vel Græco ſermone nomen reperit, illud Sclavonicâ lingvâ Forum rerum venalium valet. Præſtat alteri Valachiæ vino. Cis Alutam cœlo gravi, & advenis nocivo. *Milco rivus dividẽs Valachias.* Utramque Valachiam ſub alpibus diſcriminat rivus Milco; in cujus lateribus geminum jacet Foxinum, alterum Moldavicum, alterum Tranſalpinum. *Dracula Valachorũ præfecti cur appellati?* Videntur hujus regionis incolæ præſides ſuos tyrannicè ſe in munere tractantes, per ſummum dedecus Draculas appellâſſe. Dracul enim lingva eorum cacodæmonem valet. Quamobrem ille quoq; Vladus hominum, ùt hiſtoriæ ferunt, teterrimus, quem año CIƆCCCCLXII Turcæ jugulârunt,

Dra-

Dracul dicebatur. In provincia hac vetuſtum eſt ſacerdotium Argenſe, unde mediterranei quoque Daci doctrinâ ſacrâ illuſtrabantur, antequã à Divo Stephano Rege proprium accepiſſent Præſulem. Poſtea Argenſes Epiſcopi, ùt quædam monumenta docent, vicarii fuêre Hungaricorum. Nonnulli non ſatis periti rerum confundunt eos cum Agrienſibus, veluti conditor *Annalium Ordinis Divi Pauli primi Eremitæ*, qui paginâ 286. ſcribit, *Reverendiſſimum Dominum Dionyſium Agrienſem Epiſcopum, Suffraganeum Tranſſilvanienſis, ſacrum Ordinem in Monaſterio B. V. Tranſſilvano anno* CIƆIƆXX. *ingreſſum eſſe.* Nunquam enim Agrienſes Præſules, utpote majoris cenſûs, fuerunt adjutores Tranſſilvanienſium. quin ipſi ſuos in rebus Pontificalibus felicioribus illis Hungariæ temporibus habebant vicarios, habéntque rurſus ab anno CIƆIƆCCXXX.

*Argenſis Epiſcopatus antiquitus.*

CA-

# CAPUT XVI.

## *Res memorabiles Valachiæ, Moldaviæ, & Tranſſilvaniæ ab anno* CIƆIƆ *ad* CIƆIƆC. *quæ faciunt etiam ad cognoſcendos fines earundem regionum, & ſupplendam Nicolai Iſtvanfii Hiſtoriam.*

*Vajvoda Valachiæ Michaël occiditur.*

ANno CIƆIƆX. Michaël Vajvoda Tranſalpinus artificio Demetrii Jaxitii per inſidias interficitur Cibinii. Ea res ingentem in provincia tumultũ excitavit. CIƆIƆXXIX Petrus Vajvoda Moldavienſis XXII. menſis Junii prælio decertans Tranſſilvanorum X. MM. delevit. CIƆIƆXXX. Joannes Rex mandavit Stephano Bathorio Schomlovio, Vajvodæ Tranſſilvanienſi, & Comiti Saboltſchenſi, ut ex reditu ſalis ſatisfaceret in pecunia Petro Moldaviæ præfecto, quia Tranſalpinæ præſidi laboranti opem tulit. Literæ ſcriptæ Budæ IX. m. Julii. Anno CIƆIƆXXXVIII. Idem Moldavus à Turcis pulſus perfugio uti volens apud Tranſſilvanos in arce ſua Tſchitſchovienſi aliquamdiu clauſus tenetur,

*Vajvoda Valachia Petrus vicit Tranſſilvanos.*

*Vajvoda Valachia Petri geſta.*

tur, tum jubente Joanne Rege Turcis traditur: rurſus tamen ſibi redditur. Anno CIↃIↃXLI veteris non immemor injuriæ Stephanum Majlathum, Vajvodam Tranſſilvanienſem, perfidiosè tempore induciarũ capit, & Conſtantinopolim ablegat, ubi ærumnis confectus poſt decennium captivitatis obiit. Anno CIↃIↃXLIII. Petrus tertio irrupit in Tranſſilvaniam, agrúmque Rupenſem, Scheſpurgenſem, & Biſtricienſem evaſtavit, ac per ſalebras erupit. Anno CIↃIↃL. Elias ſucceſſor Petri cum Turcarum auxiliis in terram Siculicam illætus ſub initium hiemis V. MM. hominum abripuit. Eodem anno Valachi incurſabant fines inferioris Tranſſilvaniæ propter diſſidium Iſabellæ Reginæ, & multorum commentationibus celebrati Fratris illius Georgii. Anno CIↃIↃLIII. Alexandri præfecti Moldavienſis copiæ obſederunt Praſmarum, ſive Tartlenum in Barcia: in prima oppugnatione cum clade rejectæ abſceſſerunt. Coronenſes territi periculo ad defendendum oppidum

*Vajvoda Tranſſilvaniæ Majlathus Conſtantinopolim relegatur.*

*Vajvoda Moldaviæ Eliæ, & Tranſalpinorum incurſationes in Tranſſilvaniam.*

*Coronenſe caſtellum ædificari cœptum.*

dum, & portam cumprimis caſtellum excitaverunt. *Valachiæ Vajvoda Alexander, ſucceſſor Baſſarabi, Magiſtratu movetur ſuccedente Petro.* Solymanus verò Alexandro Præſidi Valachiæ, qué aliqui Meircham, vel Michnam vocant, homini tyrannicè ſe gerenti, provinciam abrogavit, eámque tribuit Petro Petraſchoni. Anno CIↃIↃLIIII. In Tranſſilvania peſtilentia ſæviit, quâ extincta eſt Deſpina Baſſarabi Vajvodæ Valachici quondam conjux. Año CIↃIↃLVI. *Tranſſilvani advocãt Moldavos, & Valachos.* Tranſſilvani vel minis, & terrore Turcorum commoti, vel Germanorum dominationis pertæſi ad vicinos Vajvodas legatos miſerunt de auxiliis. Moldavi priores advolârunt ad arces, Novam & Bethleniam. Hi conatus Stephani Dobonis prohibebant, dum Alba Julia caperetur. *In Tranſſilvaniã aditus Radnenſis, & Coronenſis.* Inde Alexander Moldavus per aditum Radnenſem, Petrus verò Valachus per Coronenſem in Tranſſilvaniam delatus eſt. Paucos dies conceſſa militi quiete uterq; Satmarinum verſus contendit, ad iter Iſabellæ Reginæ cum filio Joanne Sigiſmundo reduci tutum præſtandum; ſiquidem Tibiſci oram Cæſariani inſedeꞃant.

Mo-

Moverat ſe Iſabella Leopoli, oppido Ruſſiæ, tertio & viceſimo die Septembris. Excepta à Tranſſilvanis, & auxiliaribus copiis in Carpato Maramaroſchienſi, tum ingenti comitatu imò exercitu Moldavorũ, Transalpinorum, Polonorum, Ungarorum, Raſciorum, & Tranſſilvanorum vallata die altero & viceſimo menſis Octobris deducta eſt Claudiopolim. Anno CIↃIↃLVII. Franciſcus Bebecius (*Bebék*) obtendens Iſabellæ imbecillum ingenium, & Joannis Sigiſmundi immaturam ætatem à Solymano impetravit præfecturam Tranſſilvaniæ. Valachorũ præſidio tectus revertit in provinciam. Verùm ſimul ac eam tetigit, in cuſtodiam datus eſt. Vix multis Moldaviæ præſidis precibus libertatem ad breve tempus conſecutus. Sequenti enim año nihilo minùs quàm antea ſuſpectum eum habens Iſabella, unáque Kendios Antonium, & Franciſcum, pridie Calendas Septembris convivio, quod in multam noctem extractum erat, acceptos, poſt mediam noctem in ſuo quemq; ho-

*Iſabella cum filio reducitur in Tranſſilvaniam.*

*Bebecius Franciſcus obtinet præfecturã Tranſſilvaniæ.*

*Traditur in cuſtodiã muliebri fraude, & ſævitia, cũ ſociis indemnatus denique occiditur.*

*Iſabellæ Reg. deceſſus.*

*Vajvoda Valachiæ Petrus obit, Alexander in locum unde deciderat, reſtituitur.*

*Jacobus Heraclides, homo arrogãs Alexandrũ Vajvodam Moldaviæ prælio ſuperat & provinciam occupat.*

hoſpitio fruſtrà Deum hominéſque, & omne jus appellantes, interficiendos curavit. Ipſa deinceps ſemel in publico viſa variis doloribus contabuit, ac vertente anno XV. Septembris luce ex vita demigravit. Eodem anno CIƆIƆLVII. Petrus Vajvoda Valachiæ IX. Calendas Januar. potionatus, ùt fama ferebat, deceſſit Bucoreſti. Nobiliores gentis (quos Valachi lingvâ ſuâ Bojeros vocant) ubi reſcierunt, Meircham honori priſtino reſtitutum iri, cum omnibus, quæ pretioſiſſima in rebus moventibus habebant, in Tranſſilvaniam celerrimè ſe receperunt. Commendatione itaq; Ruſtani Paſchæ Alexander reſumpſit provinciam die V. & XX. menſis Januarii anni ſequentis; quam à ſuppliciis, & direptionibus auſpicatus eſt. Anno CIƆIƆLXI. Jacobus Heraclides, Baſilius Deſpotes, immodicus ſui æſtimator, ferens ſe Inſularum Phari, & Doridis verum hæredem, dominum regni Moldaviæ, & *Palatinũ* finium terræ Tranſalpinæ, ac patriæ vindicem contracta CIƆIƆ. pugnatorum

rum manu Moldaviam invaſit. Alexandrum ſatrapam ad pagum Verbium Sociaviâ ſeptem millibus diſtantem, caſtris, & dominatu exuit. Victus primùm ad Joabum oppidulum, deinde Nuſtum, tum Kiliam, poſtremò Conſtantinopolim evaſit. Ineunte anno CIↃIↃLXII. feriis Epiphaniæ Deſpotes more regio diademate redimitur, appellatúrque Joannes. Primus in ea provincia numos argenteos, quos *Talleros* dicunt, percuti juſſit. Hactenus felix. Verùm quia profanavit, vel certè immutavit quædam ſacra, anno CIↃIↃLXIII. in odia provincialium incurrit: rem tamen ſuam in vado eſſe ratus, nuptiarum ſolennibus adornandis occupabatur, volens in matrimonium ducere Zborovii, Cracovienſis Palatini filiam. Provinciales ergo viſa converſione rituum ac ceremoniarum primùm Demetrium quondam, qui cum Alberto Laskio jam ante in Deſpotam conſpirârat, ex Ruſſia evocant, deinde rumorem ſpargunt, Tartaros in provinciæ fines incurſionem face-

*Imponitur illi diadema.*

*Odium ſibi conciliat mutatione ſacrorum.*

*Moldavorum doli ad perdendum Deſpotam.*

ce-

cere. Deſpotes ad propulſandos hoſtes confeſtim trecentos levis armaturæ equites, quorum præſidiis maximè fidebat, cum duobus millibus Valachorum miſit. Trecenti illi equites quoniam neque motum, neque famam Tartarorum audierunt, ſecuri omníque cura ſoluti nocte concubia quieti ſe tradiderunt. Moldavi autem in perniciem illorum vigilantes, collatis inter ſe conſiliis, ſomno oppreſſos invaſerunt, vitáque expulerunt, præter paucos admodum ſociorum cadaveribus tectos. Patrata atroci cæde Stephanum quendam Vajvodam renunciârunt. Hinc cuncta in provincia tumultu ſtrepere, plerique Deſpotæ imperium ex animo averſari; in fidos illi, familiares ac domeſticos ſævire. Filiam enim ejus ex pallaca natam ſtrangulaverunt, matrē verò in *cœnobium* contruſerunt. Paucis poſt diebus Sociavia, in quam ſe cum non multis Ungarorum, Moldavorum, & Græcorum Deſpotes abdiderat, extremo Julio à Demetrio Patſino, & Piaſovio Laſci emiſſa-

*Moldavi cohortem prætoriam Deſpotæ de nocte ſomnū capientem concidunt.*

*Moldavi Stephanum quendam Vajvodam appellant & ſæviunt.*

*Demetrius Patſinus oppugnat Sociaviam. Ipſe impugnatur à Stephano Vajvoda. vincit, & vincitur. &c.*

ſario atq; excurſore obſidione cingitur. Re cognita Stephanus, nuper Vajvoda dictus, poſitis ad Seretum flumen caſtris Demetrium in oppugnationem inſiſtentem à tergo adoritur. Quot viciſſitudines in uno motu? Demetrius toto robore copiarum emiſſo cruentâ pugnâ non modò gradu movet, ſed propulſat hoſtem. Moldavi, qui in caſtris reliqui erant, commilitones ſuos fugere rati, ſtationem, ducémq; deſeruêre. Stephanus accepta clade mœſtus quidem collem quendam conſcendit; at conſpecta hoſtium paucitate (vix enim centum reſidui fuerunt ( rurſus in aciem lætus deſcendit, victoréſque cædit ac pellit. Demetrium pernicibus quadrigis (erat enim paralyticus) fugam molientem cum altero Laici excurſore Plaſcovio comprehendit, ſubindéque Conſtantinopolim deportavit; ubi non multò poſt uterque unco ferreo per latera inſerto reſte è ſublimi ſuſpenſus miſerè finivit. Scilicet non omnibus conceditur graſſari ad hono-

*Stephanus Vajvoda continuat obſidium Sociaviæ.* res. Stephanus eo ipſo horæ momento, quo victoriam adeptus eſt, Sociaviæ oppugnationem quaſi ſuam proſequitur, auxiliáque tum ab Joanne Sigiſmundo, tum à Tranſalpinis petit. *Accipit auxilium à Tranſſilvano.* Miſit illi ſubſidio Tranſſilvanus aliquot equitũ, peditúmq; cohortes ſub ducibus Michaële Patſio, & Thoma Dacione (*Datzo*) Ducebatur obſidio in quartam decimã hebdomadem, cùm ad oppidum Cotharum VI.M. paſſ. Sociaviâ remotum, advenit nuncius Turcicus. *Deſpotæ incolumitatẽ promittit nuncius Turcicus.* Is Deſpotæ incolumitatem ſanctè polliceri, ultróque offerre, ſi ſponte ſeſe dederet, arcéque excederet. Dum de deditione deliberatur, Petrus Devaius, Hungarus centurio, ſermonem quendam cum obſidentibus miſcuit; *Deſpota Devaium centurionem Ungarum interimit.* quod ubi ad aures Deſpotæ accidit, quàm occultiſſimè hominem forſitan inſontem, ope, atque opera cujusdam Græci atrienſis vulneribus confodit, & occidit, cadavérque aulæis ſatis dextrè contexit: guttæ tamen quædam ſangvinis non bene abſterſæ cædis indicium fecêre. Comperto exinde

*Detecta cæde Deſpotes in periculum capitis venit.*

de ac manifeſtè deprehenſo facinore atroci, præſidiarii in furorem acti, injuriámque ulturi optionem Deſpotæ permiſerunt, mallétne vivus hoſti in manum tradi, an contrucidatus, minutatímque conciſus ex muro præcipitari. Ille primùm cunctari, ac tergiverſari; deinde cùm in prima ſententia perſeverantes neque precibus, neque promiſſis flectere poſſet, ea ipſa veſtimenta, quibus ad ſolennes feſtáſque dies uti erat ſolitus, indutus, eqvum pari ornatu inſtratum conſcendit atque in conſpectum oppugnantium prodiit. Juſſus deſcendere ex eqvo, cunctanter paruit. Pertentatis, excuſsíſque indumentis, nequa fraus ſubeſſet, ad Stephanum Vajvodam deductus eſt; à quo humerum primò, mox pectus ictus humi ſternitur, tum veſtibus exuitur, nullóque invento carnifice ad extremum à Tartaro quodam gladio Nonis Novembribus jugulatur. Cadaver præciſis manibus pedibúſque triduum jacuit in publico. Caput detracta pel-

*Fœdè trucidatur.*

le dono datum Solymano. An non hic vir fuit verum fortunæ ludibrium? ſubnecto verſum *chronicũ* quo Michaël Siglerus, Saxo Cibicienſis, diem & annum necis ejus bellè expreſſit:

Deſpota sVb Nonas hoſtILI obIt
enſe NoVeMbres.

Primam narrationis partem longè aliter cum Iſtvanffio expoſueram *in Synopſi Rerum Hungaricarum.* At Siglero, qui eo tempore in Tranſſilvania vitam degebat, & hiſtoriam ſcribebat, major fides habenda eſt. Incertum quoque eſt, an unquam poſtea Alexander in priſtinũ honoris locum reſtitutus fuerit: ſiquidem Siglerus ea de re omnino tacet, & Stephanus ſe in præfectura firmâſſe videtur. Anno CIↃIↃLXVI. Joannes Sigiſmundus Solymano, exercitum ad oppugnandũ Sigetum ducenti Belgradi occurrit, exceptus omni benevolentiæ, & honoris ſignificatione. Circumſtantibus ſatrapis in primo congreſſu Solymano aſſedit, ſed ſellâ humiliore. Poſtero aut perendino

*Solymanus Joañem Sigiſmundũ Belgradi Regẽ dicit.*

no die in convivium adhibitum tyrannus adoptavit, Regémque nominavit. Unde contentio major inter Joannem Sigiſmundum, & Maximilianum II. Auguſtum exarſit. At Turcæ amant Chriſtianos, ut demum perdant. Anno CIↃIↃXCV. vixit quidem Alexander, famoſus ille Vajvoda Valachiæ, ſed poſtquam Chriſtianum exuit, apud Turcas commorabatur, tanquam adjutor Sinanis in conſiliis capiendis, agendíſque, provinciam verò ad annum CIↃIↃXCII. adminiſtravit Stephanus quidam, vix boni æquique tenax. Stephanum excepit Michaël: qui intolerans ſervitutis cum tota gente ab imperio Turcarum defecit, faſcéſque ſubmiſit Principi Tranſſilvanorum, Sigiſmundo Bathorio. Literæ de hoc negotio confectæ, & conſignatæ anno CIↃIↃXCIIII. XI. Calend. Junii. Conditiones erant: Michaël cum Valachorum primoribus jurabit in verba Sigiſmundi, & ſucceſſorum: Sigiſmundus eos provinciæ præficiet, vicarióſque ſuos decla-

*Valachiæ Vajvoda Stephanus.*

*Valachiæ Vajvoda Michaël deſcivit à Turcis, & Sigiſmundo Bathorio ſe ſubjecit.*

*Conjunctionis Conditiones.*

rabit, quos provinciales elegerint, Valachicæ lingvæ non ignaros: in creatione tradet Vajvodæ vexillũ, clavam, frameam; conſiliarios dabit ei decem Bojeros; cum quibus conventibus Tranſſilvanorum intererit honeſto loco conſeſſurus: tributa definita iidem Bojeri ſermonibus, aut literis divulgabunt, exigéntque. Reditum censúmque Vajvodæ Bathorius aſſignabit: ſuperiorum temporum donationes, ac largitiones ratæ ac firmæ habebuntur: deinceps verò donationũ tabulæ ſigno Bathoriano conſignabuntur: jus dicent, forúmq; agent Bojeri præſidente Vajvoda: termini Tranſalpinæ conſtituti à Moldavia, & Alpibus ad medium Danubii alveum, à Brailla uſque ad oppidulum Reſſava; quibus vicinæ terræ ditioni Tranſſilvanicæ ſubjicientur: ordo Eccleſiaſticus in antiquo ſtatu conſiſtet: in Valachos, Tranſſilvaniam colentes, jurisdictionem habebit *Archimyſtes* Tergoviſtienſis: epiſtolas Bathorio ſupplicéſque libellos ad hunc modum Valachi inſcri-

*Valachiæ limites.*

ſcribent: *Sereniſſimo Principi, Domino Sigiſmundo Dei gratiâ Tranſſilvaniæ, Moldaviæ, Valachiæ, Tranſalpinæ, & S. Romani Imperii Principi, Partium regni Ungariæ Domino, & Siculorum Comiti.* Vajvoda in titulo ſuo omittet verba hæc *Dei gratiâ*; loca, in quibus ſcribet literas, non ſignificabit eſſe ſua: ſigillo utetur non publico, ſed privato familiæ ſuæ, ceram tamen rubram adhibebit: ſignum autem provinciæ ſervabitur apud Tranſſilvanum: inſcio eo Valachus cum exteris nulla negotia tractabit: ſi Ungari vexaverint Valachos, cognoſcet cauſas Ungarus tribunus. Promiſit ad ultimum Bathorius Tranſalpinis omne præſidium. Similem pactionem fecerit cum Moldavis, at hujus exemplum nondum reperi. Per eos dies Raſcii quoque, Danubii accolæ, literis datis ad Moyſen Siculum fidem ſuam Bathorio obſtrinxerunt, Regem eum appellantes, promiſerúntque ſena militum millia in auxilium. Dedititii dehinc Tranſalpini miris, & egregiis domi, fo-

*Sigiſmundi Bathorii Tranſſilvaniæ Principis titulus.*

*Raſcii Sigiſmundo Bathorio ſe ſubjiciunt.*

foriſque geſtis aliquamdiu famam extendêre. Nam primùm quidem nihil animis ob caſum Jaurini fracti, à cæde Turcarum, qui apud eos quacunque de cauſa diverſabantur, defectionem orſi ſunt: deinde contractis copiis cum auxiliis Bathorianis Aaron Moldavus in Turcas & Tartaros, Baſſarabiam tenentes, incurrit, ex fortuniſque eorum maximam prædam cepit. Caſtella tamen, quòd tormentis carebat, non tentavit. Haud ità multò poſt Michaël Tranſalpinus eodem ſucceſſu, ſed majori alacritate, & gloria Cazikereio, Tartarorum duci, ab Jaurino reduci, reditum præcluſit. Ano verò CIƆIƆXCV. è provincia ſua exercitum Tartarorum propulit multis Chriſtianorum in libertatem aſſertis. Victi hoſtes, vel potiùs terrore exanimati, tranſito Iſtro, qui frigore conglaciârat, apud Oroskinũ reſpiraverunt; inde accelerato per Bulgariam itinere in terram ſuam redierunt, duce Kazikereio multa de Sinane querente, quòd non paucis ſuorum amiſ-

*Moldaviæ Vajvoda Aaron in Turcas, & Tartaros incurrit.*

*Valachiæ Vajvoda Michaël Tartarorũ vim reprimit.*

amiſſis ſinè laude, ſinè palma domũ repeteret. Michaël fugientium veſtigia premenda ratus, ſinè cunctatione Iſtrum tranſiit. Ubi verò hoſtes longiùs proceſſiſſe comperit, ad diripiendum Oroskinum, opulentum ea tempeſtate oppidũ, animum adjecit. Turcæ rem odorati, ad ſeptem millia concurrêre, adjunctíſque Bulgaris acceſſum ad oppidum Valachis præpedire incaſſum conati ſunt. Comiſſo quippe prælio pars effusâ fugâ ſaluti proſpexerunt, pars in caſtellum ſemet abdiderunt. Victores adhuc pugnâ feroces in oppidum illati, nulli ætati parcentes cædem atrocẽ fecerunt, cunctáque diripuerunt, aut corruperunt. Nocte ingruente, ne Valachi, ac Siculi temeto ſomnóque obruerentur, Michaël omnia vinaria dolia in imo perforari juſſit. Poſtridie collectis ſpoliis, quæ opima erant, incensóque oppido læti in Tranſalpinam reverſi ſunt. Quoniam verò felici adeò expeditionis exitu animi eorũ mirum in modum ad quidvis audendum

*Ad Oroskinum ſive Orſovam Turcas fugat, oppidũ exſcindit, & deſpoliat.*

*Providit ne Valachi, & Siculi ebrii fierẽt.*

*Girgioviũ oppidũ &c. Hungari & Valachi depopulantur.*

 dum

dum inflammati ſunt, eadem hieme Girgiovienſi arci oppidum circumjacens, Dresloviam, & finitimos pagos injectis ignibus fœdaverunt, ac Nicopolim uſque in omnia ſævierunt; quibus quidem in excurſionibus Martini Horvathi, perditum volonum ductoris, virtus in primis enituit. Is enim Hæmum

*Hæmum tranſeunt.*

tranſgreſſus, circa Sophiam ærarium quoddam occupavit, exhauſitque, quatenus potuit. Dum

*Amurates III. decedit ſuccedente Mahomete.*

hæc geruntur, Amurates III. Turcorum Imperator partim mœrore, quem ex defectione Dacorum perceperat, partim febre abſumptus eſt. Capeſſivit imperium primogenitus ejus Mahometes; annum agens tertium & triceſimum; qui vix adduci poterat, ut in duodeviginti fratres ſubſcriberet. At

*Moldaviæ Vajvoda Aaron in fide nutat.*

Aaron Moldaviæ præſes non contentus iis, quos Bathorius ei attribuerat, reditibus, imprudens propenſiorē in Turcas animum oſtenderat. Suboluit ea res Hungaris, qui ad præſidium provinciæ Moldavicis militibus adjuncti fuerunt,

nec

nec diu latuit Bathorium. Miſſi ſunt igitur in eam provinciam Caſparus Cornifius, & Franciſcus Dacio cum legionibus merentibus, Siculorúmque agminibus ad capiendum hominem inconſtantem ac dubiæ fidei. Imparatus ille erat, nec circa ſe multos fidóſque ſtipatores habebat. Nullo itaque negotio comprehenſus Vincium, ut imperatum fuit, vinctus ad Bathorium adductus eſt. Id ubi è ſententia, ùt Tranſſilvani exiſtimabant, proceſſit, rebus Moldavicis præſidere juſſus eſt Stephanus Hofſmannus, vir quidem obſcuris natalibus, ſed ſcientiâ multarum lingvarum, rerúmq; experientiâ præcellens ac militaris. De miſerando ejus occaſu dicetur aliàs. Ordinato Moldaviæ ſtatu Bathorius Pragam legavit Stephanum Botſchcaium, & Gregorium Tſchakium, causâ fœderis adverſus Turcos, quo nihil fuit Rudolpho Cæſari optatius, jungendi. Percuſſum itaque eſt celerrimè conditionibus utriq; parti expetendis. Multa de iis tabu-

*Comprehenditur, & in carcerem includitur.*

*Vajvoda Moldaviæ creatur Stephanus Hoffmannus.*

*Legatio Tranſſilvanorum ad Rudolphum Imp.*

*Sigiſmundo Bathorio deſpondetur Maria Chriſtierna.*
*Comitatus Chriſtiernæ in Tranſſilvaniam.*

bulæ regni. Iisdem oratoribus procurantibus deſponſa eſt Bathorio Chriſtierna, Caroli Archiducis, in Styria dominantis, filia, ritéque in matrimonium ſubinde collocata. Deduxerunt eam in Tranſſilvaniá Mater, Maximilianus Archidux, Epiſcopus Lavantinus, Martinus Petheus (*Pethe*) Varadienſis Præſul, & Præpoſitus Jaſſovienſis, Franciſcus Dersſius, Demetrius Napradius, Præpoſitus Agrienſis, Sebaſtianus Tekelius, Ladislaus Homonnaius, Nicolaus Czoborius, Ladislaus Petheus, pluréſque alii nobiles Hungari.

*Conjugium illud cur inauſpicatum?*

Ob præſtigias, & faſcinum non diu eandem in oculis tulit maritus; in cujus animo apparatu nuptiarum belli ſtudia nonnihil deferbuerant.

*Tranſſilvanis quatuor religiones permiſſæ.*
*JEſuitæ in Tranſſilvaniam revocantur.*

In conventu deinde Albenſi Tranſſilvani pacta fœderis cum Cæſare icti rata habuerunt; ritibus Catholicorum, Lutheranorum, Calvinianorum, & Arianorum ſuperos colere fas eſſe, edixerunt; Jesuitas Albam, & Monoſtram abrogatis prioribus ſcitis reducendos cenſuerunt, ac decreve-

verunt. Stephanus & Balthaſſar Bathorii, Lupus Covaſchocius *Cancellarius*, Joannes Juvenis (*Iſſiu*) Franciſcus, Alexander, Gabriel Kendii, Joannes Forro, Georgius Literatus, Joannes Gerendius, Joannes Abſtemius, Albertus Lonaius, Georgius & Ladislaus Salancii, Balthaſſar Silvaſchius, Nicolaus Gannaius, & Dionyſius Thamaſchfalvius in proditionis crimen vocati. Steph. Bathorius in Poloniã fugâ elapſus, ceteri ferè omnes capite luerunt. Andreas verò Bathorius, tanquam ſi particeps ac ſocius fuiſſet ſceleris abſens de majeſtate damnatus. Dimiſſa concio VI. Nonas Maji, varia ſecum cogitans ac coquens propter tot charorum funera. Interea ex peditibus Iſtro tranſmeare aſſvetis, ad tria millia quingentóſque Turci propter Bodonium proſtravêre. Hac clade excitus, & quaſi expergefactus Princeps Bathorius inſtaurat bellum, præpoſito copiis Georgio Barbelio. Hic abjecta omni cunctatione in hoſticum profectus, duo caſtella Boctſchenſe, & Varſchovien-

*Tranſſilvani, & Hungari nobiles proditionis accuſati, & damnati.*

*Ad Bodonium in Bulgaria Valachi, & Ungari proſternuntur.*

*Georgius Barbelius plura caſtella ad Marũ amnem, & in Comitatu Zarandienſi expugnat.*

en-

enſe, oppidulúmque Bonam Herbam (*Jó Fü*) ad Marum amnem ſitū in deditionem accepit; pro Fatſchadi mœnibus Temeſchienſis Paſchæ copias profligavit, ac diſperſit, captis inter pugnam duobus Begis, Cajfero Jeneienſi, & Membete Lippenſi, dantéque cælo orſis proſperos ſucceſſus Lippā aliquamdiu tormentis verberatam ſubegit. Quibus intellectis Turcæ, qui in arce Lucida (*Világos Vár*) Pancotæ, Schiri, Tſchanadii ſtationem agebant, metu perterriti diffugerunt. Per eos dies Cæſariani oppugnabāt Strigonium. Cæſo ac propulſato Turcarum, qui ſuppetias obſeſſis accurrerant, ex XXX. MM. conflato exercitu, ductáque in quinq; hebdomades obſidione arx ſuccubuit. Antequam redderetur Rudolpho Imperatori, & Chriſtianis Carolus Mansfeldius, præpoſitus bello imperator, fato conceſſit. Sed ad Valachos revertendum. Sinanes peſtem, ac perniciem illis allaturus, ad arcem Girgioviam ducentorū prope millium in provinciā tranſporta-

*Strigoniū à Chriſti, anis obſidetur, & deditione recipitur.*

*Sinanes cū exercitu magno in Valachiam infeſtus infertur.*

ta-

tavit exercitum. Michaël præfectus ſtructa acie cum hoſtibus congredi reformidans, carpere eos ac fatigare decrevit. Eſt in ea regione ſalictum creberrimum, in quo multis rivis, cœnóque via impeditur. Michaël prope extrema aqvarum caſtra opportuno loco locavit. Pontem vicinum, quò Turcas alliceret, non reſcidit. Sinanes eo ſuperato duodecim millia fortiſſimorum ac vetuſtiſſimorum militũ in aciem prodire jubet: neque enim locus in quo decertandum erat, plures capere poterat. Concurritur itaque, diùque pertinaciter pugnatur, Valachis æquè ac Turcis in gradu conſiſtentibus. Ad fortiter dimicandum Sinanes ſuos, Michaël ſuos cohortabatur. Præcipiti demum die cùm Chriſtiani integri recentéſque defatigatis ſuccederent, Turcæ terga dederunt. Valachi vadorum gnari ſociis viam monſtravêre, univerſi verò fugientibus adeò fortiter inſtitêre, ut deletis poſtremis agminibus, qvatuor tormenta ænea, pluráque ſigna

*Sinanis congreſſus cum Valachis &c.*

*Sinanis receptus fuga ſimilis.*

gna

*Vexillum viride Turcis ereptũ.* gna militaria abſtulerint. Inter hæc unum viridi colore infectum erat, quod Mahometi dicatum fuiſſe, creditum eſt, atque à Turcis boni ominis gratiâ eatenus per maria, pérque terras circumlatum. Sinanes quoque capite periclitabatur. *Sinanis periculum.* Inter fugiendum namque de ponte delapſus, vix à ſtipatoribus ſervatus fuit. Emicuêre ante omnes in prælio Nicolaus Senneius, & Albertus Regius, nobiles Hungari. Cecidit ex illuſtribus Turcis Paſcha Haſſanes. *Braillã arcem Sinanes expugnat.* Ad abſtergendam acceptam cladem atque ignominiam Sinanes Braillam arcem omnibus viribus obſedit, expugnavítque, defenſoribus, qui ad quadringentos erãt, partim occiſis, partim diſpu ſis: tuna per totam volitavit provinciam. *Zamoiſcius in Moldaviam irrumpit,* In Moldavia quoque nova rerum facies. Joannes Zamoiſcius, ſummus copiarum Polonicarũ dux, & regius *Cancellarius*, privatas quaſdam cum Principe Sigiſmundo, fortaſſe ob dotem Griſeldis Bathoriæ, ſimultates gerens, inſciente, ut poſtea dictitabant, Rege, magno mili-

litum numero in Podolia conquiſito in eam provinciam irrupit. In locum Stephani Vajvodæ abſentis Jeremiam legit, eúmque in verba ſui Regis adegit. Graviter hæc tulit Clemens VIII. Sigiſmundúmq; Regem per literas officii commonuit. Cognitis Polonorum auſis Tartari ſimili licentia in Moldaviam involaverunt, caſtráque ad fluvium Prutum poſuerunt. Poſt aliquot leves dimicationes venerunt certi in congreſſum, & colloqvium Polonorū, qui Zamoiſcio promittebant, ſe intra triduum è provincia diſceſſuros, ſi Moldavi denuo ſe Turcarum Imperatori addixerint. Adhæc poſtulabat Chamus, ut quotannis ipſi dona à Polonis mitterentur, útque Coſacci, Neſtri accolæ, exſcinderentur. Acta ſunt hæc menſe Octobri, dum Bathorius in Tranſalpina rem Chriſtianam promovebat. Sinanes ſecurus metu, quia Michaël in campum prodire non audebat, quò firmiùs jugum Tranſalpinæ imponeret, ad Bucoreſtum, & Tergoviſtum muniendum animum

*Vajvodam pronunciat Jeremiam.*

*Tartarorū incurſio in Moldaviā.*

*Tartari quædam poſtulant à Polonis.*

*Sinanes munit Bucoreſtum, & Tergoviſtum.*

mum adjecit. Bathorius interim omnia, quæ ad uſus belli neceſſaria erant, diligenter apparabat, auxiliáque opperiebatur. Nequa mora cœptis injiceretur, ſummè cavit, ac providit. Quare nihil antiquius habuit, quàm Siculos in libertatẽ, quam ipſis Joannes Sigiſmundus, & Stephanus Bathorius ademerant, reponere; indignum nempe ratus, genus Ungaricum ſervitute premi. Promulgatum itaq; eſt, nationem immunem futuram, omniúmque nomina ad perpetuam rei memoriam in codicem referenda, qui ſacramento dixerint. Solius Sedis Auratæ nulla ratio habita. Ne tamen eximii plenè, & ſui juris viderentur, conſtitutum eſt, ut quotannis ad D. Georgii ferias ſinguli patresfamilias, domos habentes, in fiſcos Principis unum *florenum* inferrent; ad ferias verò omnium Cælitum unum modium tritici, & avenæ unum Albam alióve apportarent; pro ſemodio autem cerviſiæ præſentem pecuniam ſolverent. Si tempus, neceſſitáſque flagitârit, pro-

*Sigiſmundus Bathorius promittit Siculis reſtitutionem libertatis, ſi militaverint.*

*Siculorum penſiones, & libertatis conditiones.*

prout definitum erit, ampliùs penſuri. Cum nobilibus de occupatis utrinque fundis ipſi tranſigent. In dandis, aut redimendis decumis antiquam conſvetudinem ſervabunt. Salem, & ferrum præſenti ære mercabuntur. Equites, peditéſque convenienter ordini ſuo ab armis inſtructos eſſe oportebit. Moderator nationis erit præfectus arcis Udvarhelienſis, qui cum adjunctis à Principe viris in ſingulis annis eam luſtrabit, ac centuriones deliget. Sulphur apud utroſque Torjenſes liberè effodient, ſed in armamentarium Principis omne importabunt. Senes, impuberes, & famuli à militia liberi ſolutiq; pronunciati. Acta ſunt hæc, & in literas relata apud Nigrum Tumulũ, oppidulũ Saxonicum, tractûs Barcenſis XVII. Calendas Octobris, tacentibus nobilibus. Interea advenerant eodem plures duces cum turmis & cohortibus. Stephanus Botſchcaius octingentos equites, & totidem ferè pedites Varadino, Stephanus Hoffmannus ex Moldavia plu-

*Sulphur apud gemmam Torjam in Tranſſilv.*

*Sigiſmundus Bathorius acceptis auxiliaribus copiis ducit in Valachiam.*

plures, Albertus Reibicius ↀↀ cataphractos à Maximiliano Archiduce, Franciſcus denique Picolomineus ducentos Italici generis, à Ferdinando Magno Hetruriæ Duce, miſſos adduxit. Recenſo univerſo exercitu reperta pugnatorũ LX. millia. Ne fortè inſignis facinoris edendi occaſionem amitteret Princeps Bathorius, V. Calendas Octobris caſtra movit, ſuperatíſq; alpibus quarto menſis Octobris lumine ad mapalia Ruccæ vici conſtitit. Ibi dum tentorium ejus explicatur, prægrandis aqvila jã præ ſenio albicans, ex alpe delapſa præcipiti volatu, cùm ſe repente attollere non qviret, à prætorianis capta eſt. Id à pleriſque in felicis exitûs omen acceptum. Receptis Michaëlis Vajvodæ in caſtra poſtridie copiis de ratione ſtruendæ aciei, anteqvam ad mauus veniatur, Bathorius edixit. Præſcripto ordine unius diei iter milites progreſſi, ad quandam planiciem, quæ M. paſſibus Tergoviſto abeſt, pervenerunt. Rumor ſparſus erat, Sina-

*Aquila bono omine capitur.*

*Sinanes pavore percellitur.*

nanem ſpeculandi gratiâ collem quendam conſcendiſſe. Tanto certè terrore perfuſus fuit, ut ſub noctem impedimenta colligi juſſerit, fugámque tertiâ vigiliâ adornârit. Bathorius ignarus ejus conſilii, & fugæ providens ſuorum ſecuritati ſomnum ea nocte vidit nullum. Poſtera luce inſtructa acie lento gradu Tergoviſto appropinqvavit. Tertio verò die quamvis exercitus locum ferè caſtrorum Sinanis attigerit, duces tamen inſidias veriti, noctem inſomnem duxerunt, ac ſequenti luce aciem denuò ſtruxerunt. Caſparus Corniſius, compluréſque alii Catholici poſitis tantiſper armis ſordes animi ſacra confeſſione eluerunt, & ſacroſancto Chriſti corpore more veteri Ungarorum paſti ſunt. Paulò poſt certò compertum eſt, Turcas abiiſſe. Qvare Chriſtiani ad eum locum, in quo Sinanes caſtra habuerat, ſe contulerunt. Ne ſequenti die ad perſequendum hoſtem copias produceret Bathorius, ſed Tergoviſtũ obſideret, auctores illi fuêre Ste-

*Bathorius cum copiis Tergoviſto appropinqvat.*

*Catholicorum pietas in caſtris.*

phanus Botſchcaius, eqvitum præfectus, Petrus Huſſarus, & Franciſcus Magnus. Exiſtimabant enim non è re futurum, ſi hoſtis poſt tergum relinqueretur. Et quoniam locus, in quo Sinanes conſtiterat, veneno infectus eſſe poterat, placuit concilio, ut dcſereretur, caſtráque in adverſa fluvii Dombroviciæ ripa locarentur. Id ubi effectum datum eſt, Princeps ad oppidum admovit exercitum, atque aggere, vineis, turribus illud oppugnare incepit; deinde tormenta expedivit; quibus cùm parum promoveret (erant enim muri, vel potiùs aggeres viminibus firmati, recéntque calce durati) qua parte tectoriis carebant, de conſilio Alberti Regii oppugnationem urgere decrevit, negotiúmque ſvaſori commiſit. Is Siculis, ut non modò dicto audientes eſſent, ſed ultima quoque auderent, nobilitatẽ, fundos, colonos, montes polliceri: illi tanti promiſſis bene animati, ſub noctẽ (quia luna pernox erat) contento curſu ad opera imperfecta dela-

*Dombrovicia amnis ad Tergoviſtum.*

*Tergoviſtũ oppugnatur.*

*Siculis facta promiſſa.*

lati, ignes iis injecêre. Inflammatis Viminibus ſerpſit incendium; quo dirupti, dirutíque aggeres Chriſtianis in oppidum plures aditus aperuerunt. Turcæ cùm de reſtingvendis ignibus deſperâſſent, reſeratis etiam pſeudothyris in caſtra agminatim irruperunt; at quia in paratos Chriſtianos inciderunt, pauci incolumes ad brevis vitæ uſuram in oppidum recurrerunt. Etenim Chriſtiani repreſſo hoc eorum primo, & ultimo impetu oppidũ undique invasêre atque expugnavêre. Proſtrati ſunt Turcæ ad octingentos, conceſſà vita pauculis, in quibus ſummi fuerunt duo, Paſcha, cuſtos loci, & Begus, equitum præfectus. Princeps Sigiſmundus cùm primùm didicit, captum eſſe oppidum, ex equo deſiliit, ac genibus nixus omnipotenti Deo gratiam pro beneficio retulit; aſcendens iterum eqvum oblitus fuit pilei, quẽ exultans gaudio ſalutaturus Deum in terram abjecerat. Ceſſerunt victoribus in prædam XXXVIII. minora, IIII. majora tormenta ænea, ingens

*Siculi ſuccendunt ſepimenta Tergoviſti.*

*Turcarum eruptio repreſſa. Tergoviſtum captum.*

*Sigiſmundi Bathorii religio.*

*Bucoreſto Turcæ aufugiunt facto in templo ſtratagemate.*

gens vis pulveris nitrati atq; commeatûs. Turcæ, qui Bucoreſti collocati erant, accepta expugnatione Tergoviſti maximo timore perculſi, conſilium fugæ inierunt. Ne Chriſtiani ſtationem in oppido figerent, tecta inflammaverunt; fanum, quod antiqvo opere Alexander Vajvoda, homo impuriſſimus, antequam à Chriſtianorum ſacris defeciſſet, ædificârat, vitiaverunt: actis enim cuniculis in fundamenta ignes eo conſilio indiderunt, ut Chriſtiani illud ſubeuntes lapſu molis opprimerentur atque exanimarentur. Corruptâ inſuper annonâ, ſed multis impedimentis relictis fugæ ſe dederunt. Ad impediendum inſequentibus victoribus iter, quacunque ferebantur, pontes reſcindebant. Chriſtiani oppidum incendio deformatum turmatim introgreſſi, multa è flammis, quæ uſui eſſe poterant, erepta, ad ſuum commodum converterunt. Negligentiâ curatorum bellica ſupellex admodum exigua in armamentarium Principis illata eſt.

eſt. Ad ſummam lætitiam, quam ex ſubactis Valachiæ oppidis ceperant Chriſtiani, acceſſit cumulus gaudii ex capta arce Jeneïa (*Jenő*) eo tempore munitione valida, ac memorabili; quã ſæpe poſtea à Tranſſilvanis Turcæ repetebant. Sita eſt inter Lippam, & Varadinum ad radicem montis Matræ, in cujus altero extremo Lippa explicatur. Arx umbilicum oppidi obtinet, Chriſio, foſſis ac muris munita. hodie neſcio cur, negligitur. In ejus oppugnatione ducebant ordines, Georgius Regius, Georgius Borbelius, & Stephanus Bekeſchius. Bathorius ubi primùm nunciis evangelia reddidit, fugientem Sinanem perſequi ſtatuit. Et ibatur quidem, ſed lento gradu in hoſtem, ſive quia milites de via laſſi erant, ſive quia præfecti quidam hoſti favebant, dictitantes, hoſti fugienti aureũ pontem ſterni oportere. Sinanes quoque homo experiens belli artium. & ex dolis conſutus, quò inſtantibus illuderet, qvingentos delegit, qui leves pugnas cierent tantiſper,

*Jeneia arx à ducibus Sigiſmundi Bathorii expugnatur.*

*Situs ejus.*

*Sinanem Chriſtiani pedetentim inſequuntur.*

*Sinanis ſtratagema*

dum ipſe exercitū in tuto locaret. Lentè itaque gradum inferentes Chriſtiani, apud pontes Girgiovienſes carros duntaxat, & impedimenta aſſecuti ſunt. Bathorius perſpiciens eqvitatū vix ulli uſui eſſe poſſe, pedeſtres copias in cuſtodiam, eqviſones, & carros irruere juſſit. Fecêre actutum imperata milites, ac perturbato carrorum ordine, pontéque citeriore ſuperato, tantam edidêre ſtragem, ut minor Iſtri alveus ad Valachiam pertinens, hominum pecudúmque cadaveribus oppleretur. Sinanes ex oppoſita ripa viſa ſuorum clade pontem, quo major Iſter junctus erat, metu trepidans interrupit. Certatum exinde tormentis cum neutrius partis notabili detrimento. Poſtridie contuente, & ne quicquam ringente Sinane arx expugnata, direpta, incenſa. Ferunt opus eſſe Georgii Raſciæ Deſpotæ, hominis annalium monumentis celebrati. Collocârat in ea Sinanes bis mille armatos. His rebus confectis Bathorius reduxit exercitum.

*Ad Girgioviam delati Chriſtiani impedimenta Sinanis occupant cum ſtrage.*

*Girgiovia expugnatur*

Apud

Apud Gergitiam, Valachiæ oppidulum, alpibus ſubjectum, legavit ſibi avunculum Botſchcaium. Ipſe accelerans gradum medio quaſi menſe Novembri Coronã invectus eſt. Poſtquam paululum ſe collegit ac recreavit, Albam Juliam petivit. Priuſqvam domum ſuam intravit, in ædem Divi Michaëlis memoriæ ſacratam ſe contulit, Deóque Optimo Max. gratias debitas perſolvit. Sinanes re malè geſta Conſtantinopolim mœſtus rediit: à Mahomete inſuper aſperè tractatus, præ ira in morbum mortiferum incidit. Anteqvam efflâſſet animam, indignabatur ac lamentabatur, ſe poſt tres in totidem mundi partibus nobiles reportatas victorias à puero Tranſſilvano ad mortem impelli. Indignum relatu eſt, quòd Stephanum Vajvodam, virum bello Tranſalpino bene de republica Chriſtiana meritum, Poloni, & Moldavi brevi vinxerint, crucique affixerint. In conventu Albenſi Tranſſilvaniæ proceres pactis, de reſtituenda Siculis libertate, ante expeditionem fa-

*Gergitiæ oppidulũ Valachiæ.*

*Sigiſmundus Bathory ex Valachia reducit exercitum.*

*Ejus religio.*

*Sinanis moribundi in Bathorium indignatio & ſtomachus.*

*Moldaviæ Vajvodam Stephanũ reducem Poloni in crucem egerunt.*

*Tranſſilvani pactiones de reddenda Siculis libertate reſcindunt.*

factis reclamârunt, principibus populi, qui præſentes aderant, causámque communem agebant, in carceres & tenebras abreptis. Quibus cognitis ii, qui domi ſe continebant, rem atrociter ferre, ac fidem Principis implorare. Ne tumultum excitarent, confeſtim in regiones eorum certi præfecti dimiſſi ſunt; qui gliſcentis ſeditionis molitores ex improviſo opprimerent, & ſuppliciis afficerent. Atq; hæc reddita ſunt præmia vice illorum, quæ bellicoſæ genti ad Tergoviſtũ promiſſa fuêre. Reſpiraverunt tamen paucis poſt annis, & quod mirum eſt, in turbis jugum excuſſerunt. Neque deinceps ager eorum decumanus fuit. Sub initium anni CIↃIↃXCVI. Bathorius Princeps Pragam conceſſit, ad conſultandum cum Rudolpho Auguſto. Abſente eo Caranſchebeſchienſes, Lugoſchienſes, & his finitimi Chriſtiani milites Paſcham Temeſchienſem cum octingentorum virorum comitatu Budam tendentem profligaverunt, ac deſpoliaverunt. Opinione cele-

*Siculi libertatem recuperant tumultu Botſchcaiano.*

*Sigiſmundi Bathorii profectio Pragam.*

*Ejusdem reditus.*

leriùs Bathorius ex Bohemia in provinciam reverſus, concilium Ordinum Claudiopoli coëgit. Deliberabatur de Lippa majori præſidio munienda, & Moldavo adjuvando. Sciverunt itaque proceres, Lippam quaternis millibus armatorum firmare; Moldavo verò (quem vivere credebant) magna equitum, peditúmque auxilia mittere, ſub ducibus Alberto Regio, Joanne Selejteio, Franciſco Magno, Franciſco Thurio, & Pancratio Senneio. Ipſe Bathorius commiſſo fidei Stephani Botſchcaii Varadino in Paſcham Temeſchienſem, Lippam obſidentem, ſigna movit, famáque ſui adventûs ſolvit obſidium, quod quatuordecim dies jam tenuerat. Ut verò par pari referret, revocatis illis agminibus, quæ in Moldaviam miſerat, XVI. Calendas Junii exercitum ad Temeſchvarum obduxit. Caſparo Cornisio ad Aqvilonem, ad occaſum Alberto Regio, & Stephano Toldio ſtatio aſſignata. Nihil omnibus machinis, & artibus effectum. Tarta-

*Claudiopoli conventum habet.*

*Lippæ providet, eámque obſidione eximit.*

*Temeſchvarum obſidet.*

tari modò arcem obſidione liberare volentes cũ ſtrage repulſi. Quoniam Raſcii fidem prodebant, & conſtans fama erat, Mahometem in Hungariam infeſtum venturum, Bathorius ſignum dari juſſit, & vaſa more militari conclamari. Dum maximè animum in oppugnationẽ intendebat, accepit Româ gladium, pileum, & ſignatum æs in ſtipendia militum. Per eos dies Jeremias Mogila recens, ut dictum eſt, Moldaviæ præpoſitus, formidans audaciam, & minas Haſſanis Belgradi cuſtodis, Bathorio provinciam detulit. At is poſt pugnam ancipiti fortuna atque eventu pugnatam, in conſiliis ac decretis fluctuare, animóſque ſubmittere. Michaël Valachiæ præfectus in omnẽ occaſionem rei fortiter gerendæ intentus, mille quingentos è numero ſuorum in Bulgariam trajicere, & Bodonium diripere juſſit. Illi verò non ſolùm oppidum diripuerunt, ſed etiam inflammaverunt. Turcæ, & Tartari in vicinis locis ſta-

*Relinquit obſidionem, & Romã accipit dona.*

*Moldaviæ Vajvoda Jeremias Bathorio ſe ſubjicit: at is animum deſpondet.*

*Bodonium in Bulgaria diripitur, & incenditur cum detrimento.*

ſtationem habentes, viſo incendio Bodonium accurrerunt, & diſperſos Chriſtianos maxima ex parte interfecerunt. Ne tamen miles otio torperet, dum ad Agriam Turcæ furere, & volitare inceperunt, rurſus Michaël ad hoſtes laceſſendos, Nicopolímque oppugnandam animũ appulit. At fortuna optatis non reſpondit. Jam tormentis verberabat muros, ſpémque capiendi oppidi non vanam concipiebat; cùm ſubitò injucundus ab Agria manans rumor eum incepto deſiſtere coëgit. Anno CIↃIↃXCVII. Aaron Satrapes Moldaviæ, dum ſpe ſuſtentatur libertatis, & priſtinæ dignitatis recuperandæ, in caſtello Vincienſi captivus de vita migrat. Sequente Sigiſmundus Bathorius curis, & gloria ſaturatus Rudolpho II. Cæſari Daciam Mediterraneam tradit. Stupor omnes provinciales viros admiratione rei defixit. Arbitri ceſſionis Georgius Suhaius, Antiſtes Vacienſis, & Nicolaus Iſtvanſius, alpes tranſ-

*Vajooda Valachiæ Michaël incaſſum oppugnat Nicopolim*

*Moldaviæ Vajooda Aaron obiit captivus.*

*Sigiſmundus Bathorius Tranſſilvaniam Rudolpho Cæſari tradit.*

tranſgreſſi Michaëlem quoque Valachiæ præſidem, auctoraverunt.

# CAPUT XVII.

## *De Illyrico Hungarico.*

*Illyrici finium mendoſa deſcriptio cujusdam Hiſtorici.*

SCriptor Sclavonicus, apud gentiles ſuos celebratiſſimus, in literas retulit, ex novem regnis componi conſtaréque Illyricum. Verba ejus ſunt: *ac imprimis illud obſervandum, nos initio hujus libri (primi) abundè magnitudinem Illyrii latiſſimè ſumpti poſuiſſe, attamen magis propriè novem cenſeri regna, quæ Illyrii appellatione, velut communi ac generali nomine intelliguntur, nempe Dalmatiam, Croatiam, Sclavoniam, Boſnam, ſeu Mœſiam, ſive Ramam, Bulgariam, Serviam, ſeu Galliciam, Raſciam, ſeu Thraciam, Dardaniam, & Epirum, ſeu Albaniam; quibus adnumerari poteſt Liburniæ provincia, olim ad Croatiam pertinens, quemadmodum & Iſtria ad Dalmatiam.*

Ver-

Verba non multa, errata plurima maximáq;: confuſa vetera cum recentioribus, aut cohærentia diſtracta. Illyricum in omni memoria conſtabat ex Liburnia, & Dalmatia, quî igitur Liburnia ſolùm adjicitur Illyrico? Tametſi autem Illyricum aliquando omnes illas regiones complexum fuit, non tamen ea ratione, qua exponit Scriptor. Veteribus namq; ignota fuêre, Servia, Boſna, Rama, Croatia, Bulgaria, Gallicia, Raſcia, contrà Mœſia duplex ſuperior, & inferior, Dardania, Epirus, Liburnia, Dalmatia, Iſtria cognitiſſima vocabula. Accuratiùs conſiderandum eſt, videndúmq;, quænã verba nova reſpondeant vetuſtis, réſq; rebus? alioquin omne ſolidæ eruditionis lumen perire neceſſe eſt. Mera proinde monſtra loqui videtur, qui dicit, Boſnam eſſe Mœſiam totam, Serviam Galliciam, Raſciam Thraciam. *Liburniam olim ad Croatiam, & Iſtriam ad Dalmatiam pertinuiſſe*, auribus & animis literatorum abſurdum eſt: ſiquidem dum regio illa affuſa mari

*Hiſtorici ejus errores deteguntur.*

*Liburnia antiquitus non poterat eſſe pars Croatiæ.*

Adriatico Liburnia dicebatur, Croatia nulla erat. Iſtria verò interjectâ Liburniâ quî ad Dalmatiam pertinere potuit? Quem eruditorum fugit, Mœſiam ſuperiorem, & Serviam eandem eſſe Provinciam, cur ergo diſtrahuntur? Taceo Gallicia provinciam ab Illlyrico remotam. Peculiariter ergo accepta Illyris planiùs, & vulgò ità deſcribitur: *regio Europæ ſecundùm dextrum maris Adriatici latus extenſa, à ceteris partibus Iſtria, Mœſia ſuperiori, & Macedoniæ parte, quæ Adriatico incumbit, terminata.* Poſterioribus Romanorum temporibus latiùs patuiſſe Illyricum convenit inter ſcriptores; qui produnt, Mœſiam, Pannoniam, & Thraciam nobiles ſanè provincias, illi annumeratas fuiſſe. Hungariæ Reges totum vetus Illyricum, hoc eſt, Dalmatiam & Liburniam poſſederunt; recentioris magnam partem. Boſna enim continetur parte-ſuperioris Mœſiæ, Croatia ejuſdem extrema, & Liburniæ, Sclavonia plurima parte Pannoniæ Saavienſis. Mœſia ſuperior adjacens Da-

*Illyrici antiqui vulgaris deſignatio.*

*Illyricum latè acceptum.*

*Boſnia pars Moldaviæ, &c.*

Danubio, & Savo abiit in Serviam, inferior in Bulgariam, Dardania in Raſciam.. Hungariæ Reges Belam IIII. ſequentes ducem, Dalmatiam, Croatiam & Sclavoniam peculiarem, uno nomine vocabant Sclavoniam, præfectósq; omnium trium earum regionum *Banos* totius Sclavoniæ in diplomatibus ſuis nuncupabant: quod ſervabatur etiam poſtquam Carolus I. Croatiæ, & Dalmatiæ peculiares dedit præſides; potiórq; erat illorum, quàm horum auctoritas. Sclavonia autem propriè dicta raró admodùm ſuos habebat præfectos. Hæc diſcrimina ſi explorata fuiſſent Georgio Ratcaio, næ ille feliciùs proceſſiſſet in deſcribendis Banorum rebus. Circa annum CIↃCCLX. ut Docent literæ à nobiliſſima, & antiquiſſima Urſina, vel Blagaiana gente aſſervatæ, cum titulo Ducis tenuit Sclavoniam Albertinus, Comes Poſſeganus, Stephani V. Regis H. avunculus. Anno verò CIↃCCLIIII. ex laudata gente Stephanus Comes Zagrabienſis titulo *Capitanei* præfuit

*Sclavonia totius nomine Hungariæ Reges accipiebant Dalmatiam, Croatiam & Sclavoniam.*

*Sclavoniæ Dux Albertinus.*

*Styriæ Capitaneus Stephanus.*

fuit Styriæ, in qua ſubigenda Belæ IIII. Regi adjutor fuit. Hoc adhuc incognitum erat doctis. Denique anno CIↃCCCLV. Dux Sclavoniæ fuit Stephanus, frater Ludovici Regis. Adi Annales Paulini Ordinis paginâ 134. Conceſſit fato anno ſequenti relicto filio Joanne, in prima pueritia extincto. Conjux ei fuit Margarita, quæ poſt exitum mariti retinuit dominatum cum titulo Ducis in Sclavonia, & Croatia. Juſta fratri chariſſimo honorificentiſſimè perſolvit Ludovicus Rex Zagrabiæ. Mathias Corvinus regiis titulis interponere incepit Sclavoniam, & antiquavit dignitatem Bani totius Sclavoniæ; cujus ſplendor jam pridem armis Venetis defloruerat. Ab eo tempore uſq; ad hoc unus ferè adminiſtrat tria illa regna, ut exprimit formula in diplomatibus Regum uſurpata, quæ talis eſt: *N. Regnorum noſtrorum Dalmatiæ, Croatiæ, & Sclavoniæ Bano.* Eo muneri præpoſitum Nicolaus Iſtvanffius in Hiſtoria Ungariæ rectè appellat præfectum Illyrici. Idem ſcriptor in eadem

*Sclavoniæ Regis titulo Ungariæ Reges antiquiores non ſunt uſi.*

dem *Hiſtoria*, Stephanus Verbecius in *Catalogo Comitatuum*, Gregorius Petheo in Chronicis Hungaricis viri eruditiſſimi atq; ſpectatiſſimi, & in republica maximis graviſſimisq; cauſis cogniti, qui ante Ratcaium, & duo quidem in ipſa Sclavonia ſcripſerunt, pro certo habent, reſtrictæ ad Savum Dravúmq; Sclavoniæ regnum tribus tractibus, Zagrabienſi, Criſienſi, & Varaſdienſi finiri. Joannes tamen Broderitus in deſcriptione cladis Mohatſcienſis Comitatum Verecenſem, cujus ſummum magiſtratum Præſul Zagrabienſis quondam gerebat, concedit ei regno; id ipsúmq; ſignificare videntur ordines Sclavoniæ in conſtitutionibus ſuis annni CIↃIↃXXXVIII: ubi quidem de Poſchega prorſus tacent, quamvis non longè diſtet Velicâ, ad quam commeatum pro defendendo regno ſuo ſubvehebant. Verùm controverſiam hanc exploratè diriment ſcrinia Hungarorum; quorum majores Poſchegano in agro poſſeſſiones olim habebant. Incolæ hujus regni vernaculâ ipſorum,

*Sclavoniæ regno tres comitatus tribuunt Iſtvanvius &c.*

*Verecensẽ Comitatũ Broderitus tacitè aſcribit Sclavoniæ.*

*Sclavoniæ incolæ Sclavonicè Horvathi, Latinè Croatæ.*

*An ex Sclavon. Tſchechus, Lechus & Ruſſus duxerint colonias.*

rum, & ceterorum Sclavorum Horvathi, Latinâ Croatæ appellantur. Adde ſupradictis de Tſchecho, Lecho, & Ruſſo. Fratres hos domo emigrare non potuiſſe, antequam de Croatis fama percrebuiſſet. Unde enim obſervatum fuiſſet, eos generis Croatici eſſe? Ubi autem gentium, & apud quos hiſtoricos invenies nomen hoc Croata, vel Croatia ante imperium Heraclii, qui rebus præfuit ab anno Chriſti IↃCXI. ad IↃCXLI? nuſquam profectò, & apud nullos. Quis deinde adeò rudis in rebus hiſtoricis, & peregrinus eſt, ut neſciat, Sarmatas, Bohemos, Ruſſos ante ætatem Heraclii, Imp. terras ſuas implêſſe? aut quis ignoret, Sclavonicas nationes longè ante tempora ejuſdem Principis ab extremo ſeptentrione erupiſſe, Iſtrum tranſîſſe, ſedéſq; quæſîſſe? Ac coluerint quidem ante dominatum Romanorum Pannoniam, & agrũ Zagorienſem Sclavi; at hi quota pars fuerint innumerabilis nationis plurimo diſperſæ ſeptentrione? Quorſum igitur ſpectâſſet fratrum illo-

illorum in Bohemiam, Poloniam, & Ruſſiam transmiſſio? quorſum in eaſdem terras coloniarum inductio, quæ in annum Chriſti IϽC. aut IϽCC. incidiſſet? Quid? quod Plinius (*Natural. Hiſt. Lib. VI.*) Serbos, & Choatras nationibus Mœoticam paludem accolentibus annumerat? Quocirca bene Joann. Maginus. *Hodie totus Illyridis tractus inter Arſam, & Drinum amnes communi vocabulo Sclavonia nuncupatur, à gente ſcilicet Sclavonica, quæ olim circa Mæotida paludem habitavit, & inde progreſſa eſt.* Ne plura, movent me plures, qui fortâſſe ſtomachum in me erupturi ſunt. Croatarũ genti à Croato, ſive potiùs Chrobato quodam appellationem inditam eſſe, veritati proximum eſt. Nam Theophanes Bizantius meminit Crobati Bulgarorum Ducis. Multos quidem jam annos advenæ Sclavi accoluerunt Danubium, Savum, Drinum, Colapimq;, at primum conceſſione Baſilii Macedonis Græcorum Imp. ut auctor eſt Curopalates, obtinuerunt regiones, quarum altera Servia, altera

*Croatæ dicti de Croato v. Chrobato.*

*Croatiam & Serviam concedit, Sclavis poſſidendam Baſilius Macedo Imp.*

tera Croatia jam nuncupata fuit. Tenuit autem clavum imperii Baſilius, ut in Imagine antiquæ Hungariæ retuli, ab anno Chriſti IↃCCCLXVII. ad annum IↃCCCLXXXVI. Scriptores Dalmatici Sclavoniciq; protulêre in lucem priſcos Reges Dalmatarum & Croatarum: at ii veriùs Duces, quàm Reges fuerunt. Primus enim illorum populorum Rex à Gregorio VII. Summo ſanctiſſimóq; Antiſtite renunciatus eſt anno CIↃLXXVI. Demetrius Suinmur; quem hiſtorici Zolomerum, & Zvonimirum vocant. Is completis in regno annis decem, diem ſuum obiit. A morte illius delibavit tantummodo honorem regium quidam Stephanus: eveſtigio enim vel à popularibus rejectus, vel immaturo fato abſumptus eſt. Idcirco non meminit ejus Thomas Archidiaconus in Hiſtoria *Salonitanorum Pontificum*; ſed ſolùm refert, Suinnimirum ſine hærede deceſſiſſe. Succeſsêre itaque in locum Sclavorum Regum Hungari, ac jure quidem optimo. Quis enim comminiſci auſit? Divum

*Suinmur Rex Dalmatiæ, & Croatiæ.*

*Moritur ſine ſtirpe & hærede. S. Ladislaus vocatur ad capeſſenda regna.*

vum Ladiſlaum, qui jam tum terras famâ ſanctitatis impleverat, in aliena involâſſe? Delata ei fuiſſe à quibuſdam optimatibus regna illa, ſimillimum veri eſt: nam de vidua Zvonimiri, eadémq; ſorore ſancti Regis nulla apud antiquiores mentio. Non ſinè oſtentatione armorum S. Ladislaum potitum eſſe eorundem regnorum memorat Archidiaconus, indicántq; verba diplomatis Andreæ II. quæ attuli, cùm hiſtoriam Zagrabienſis Sacerdotii tractarem, ſunt autem iſta: *Cùm S. Rex Ladislaus I. tranſiverit Dravæ fluvium, & partes ibi Slavicas regno primùm occupavit adductas.* Sanè ſinè militari manu partes eas haudquaquam occupâſſet. Si porrò trans Dravum partes occupavit Slavicas, perſpicuum eſt, ceteras ultra id flumen partes jam ditionis Hungaricæ fuiſſe. Circa añum CIƆLXXIII. propter incurſionem, quam Raſcii, & Bulgari tranſito Savo in agro Sirmienſi fecerunt, Salomon Rex, Gejſa, & Ladislaus Duces Albam Græcam obſederunt, ceperúntq;, unde am-

plius patet, ante illum annum Savienſis Pannoniæ partem in ditione Hungarorum fuiſſe. Jam quo anno ſanctus ac Marianus Rex trajecerit in Sclavoniam, inquirendum eſt. Ex iiſdem monumentis Zagrabienſibus intelligitur, ea tempeſtate fuiſſe Comitem Palatinum Julam, & *Metropolitam* Strigonienſem Acham. Catalogus Palatinorũ Hungariæ notat, Julam eum magiſtratum geſſiſſe anno CIↃLXXV. Gejſa I. Rege. Poterat is vitam propagare ad regnum Ladislai, eſséq; in magiſtratu. At iſtud parum illuminat rem, quæ in quæſtione verſatur. Alexander Serenius (*Szőrényi*) S. J. Sacerdos in *Serie Archiepiſcoporum Strigonienſium*, quam emiſit anno CIↃIↃCCXVII. declarat, annum primum pontificatûs Achæ cecidiſſe in annum Chriſti nati CIↃLXXXV. ultimũ verò in CIↃLXXXVIII. Quod ſi verum eſt, & ſimul illud, quòd Suinnimirus è vita migrârit anno CIↃLXXXVII. poſt exceſſum ejus maturavit D. Ladislaus expeditionem in Sclavoniam, inſtituitq; Epiſcopatum

*Sclavoniam & Croatiã quo anno S. Ladislaus ſub imperium ſuum ſubjunxerit?*

Za-

Zagrabienſem anno ſequenti, quo adhuc Acha inter vivos numerabatur: Anno ſubinde CIↃXCI. Almum Ducem in Croatia à D. Ladislao conſtitutum eſſe Regem, docet inſcriptio Jadrenſis apud Joannem Lucium, quam *Synopſi Rerum Hungaricarum* inſerui. An autem in jus, imperiúmq; Ladislai conceſſerit Dalmatia? res controverſa eſt, & plena diſſenſionis. Ajunt ſcriptores noſtri, negant Dalmatici, monumenta cetera tacent, méq; ſilere jubent. Revertor itaq; ad Croatas. Joannes Lucius in *Opere de regno Dalmatiæ* Belgradum & Nonam, loca maritima, attribuit Croatiæ, Tinninium Dalmatiæ. Georgius Ratcaius ſubdubitans ſuſpenſúsq; animi exiſtimavit, regionem in longitudinem à Savo Tinninium uſque; in latitudinem verò ab Unna, vel Vunna amne uſq; ad mare Adriaticum porrigi. Blagaianam certè arcem, quæ inter eum amnem, & Virbam olim poſita, jam diu ſitu horret, in Boſnæ finibus eſſe antiquorum Regum narrant diplomata.

*Zagrabienſis Epiſcopatûs conſtitutio.*

*Croatiæ Rex Almus.*

*Croatiæ fines ambigui.*

Ac

Ac proindè ad amnem Unnam Croatia procurrit. Confitetur deinde Ratcaius, latere ſe numerum Comitatuum Croatiæ, aſcribit tamen illi, Modruſienſem, Segnienſem, Cetinenſem, Corbavienſem, Udvinenſem, Cliſſenſem, Bihatſchienſem: & addit, Frangepanos non ſolùm perpetuos, ſed etiam ſupremos Comites fuiſſe Segnienſis, Modruſienſis, & Cetinenſis: Carlovitſchios verò (qui etiam Torquati dicebantur) Corbavienſis & Licenſis. Verùm an hoc regnum ad normã Hungaricam in tractus, quos Comitatus vocant, diſtributum fuerit? & an præſides ejus conditionis ac fortunæ fuerint, cujus ſunt ſupremi Comites in Hungaria, ambiguum eſt: hac enim de re magnum in tabulis regni, & apud hiſtoricos ſilentium. Quid igitur? Corbavia, Lica, pluréſq; arces atq; oppida hujus regionis quondam celebriora, videntur fuiſſe liberæ Satrapiæ. Nam in Decretis an̄i CIↃCCCCXCVIII. Art. XXII. Fragepanes, & domini Corbaviæ liberis Comitibus interponuntur.

*Croatiæ Comitatus apud Ratcaium.*

*Croatiæ Comitatus nõ erant ejus generis, cujus ſunt Ungarici.*

Duæ

Duæ porrò ex ſupradictis ſatrapiis fuerunt regiæ, Bihatſchienſis, & Cliſſenſis: huic enim Ferdinandus I. præſidium impoſuerat, illam contra Tartaros Bela III. de ſuo munierat. Corbavienſem fuiſſe Torquatorum, Modruſienſem verò, & Segnienſem Frangepanum in dubium vocari nequit. An autem Segnia, & Modruſa ſint in Croatia poſt paulùm patebit. De reliquo in hoc regno pauca hodie memoratu ſunt digna atq; conſpicienda. Luxit ejus caſus Paulus Ritter duobus poëmatibus, quæ *Plorantis Croatiæ ſecula duo* inſcripſit. Ex queſtibus ejus intelligi poteſt, Licenſem Comitatū appellationem accepiſſe, à flumine ejuſdem nominis. Oſtraviciam in monte quodam illius poſitam eſſe, & in extremo limite Peruſitſchum. Udvinam præcipuum locum fuiſſe Comitatûs Corbavienſis cum Bunitſcho arce. Cetera regni oppida, & caſtra fuiſſe Cresniciam, Mutniciam, Coſtaniciam, Buſinum, Tzazinum, Zrinium, Claduſſam, Gvozdanum, Dubovacium, Slunnam, Iva-

*Croatiæ arces & oppida.*

Ivanitſchium, Camengradum ad amnem Sanam, qui in Unnam fertur. Tres tractus præterea in media regione Topuſcenſem, Pernenſem, Stenisnacenſem; quibus adjungitur Vinodolenſis. Jajciam denique Ritter contra opinionem omnium magis attribuit Croatiæ, quàm Boſniæ. Ceterùm ſubacto Illyrico Hungariæ Reges non continuò nomen Regis Croatiæ ſibi aſciſcebant, nam Bela II. hoc titulo utebatur: *Bela Dei gratiâ Hungariæ, Dalmatiæ, Ramæq; Rex in perpetuum*, ubi rama Croatiam amplectebatur.

*Croatia aliquamdiu non fuit in titulis Regum Hungariæ.*

*Dalmatiæ partitio in Auſtriacā, Venetam, Turcicam.*

Tranſeo ad Dalmatiam. Hanc Provinciam nonnulli partiuntur in Turcicam, Venetam, Auſtriacam, Hungaricæ immemores. In Turcica collocant Antibarum, Drinum, Liſſum, Medonem, Montem Nigrum, Dulcignum, Scodram, vel Scutarū, Tribuniam, Drivaſtum; quibus rectè adjungunt Civitatem Raguſanorum, antea Hungariæ Regibus obnoxiam, nunc Turcis vectigalem. Perperam autem illis interſerunt Ducatum Sancti Sabæ, montem Nigrum

*Dalmatiæ Turcicæ Loca.*

grum

grum, & Clinovam. Venetæ Dalmatiæ aſſignant Jadram, Belgradũ, Almiſium, Budoam, Caſtellum Novum, Catarum, Cliſſam, Naronam, Nonam, Sibenicum, Spalatum, Tinnium, Tragurium, Novigradum, Roſonum, Salonæ ruinas, Auranã, & quædam alia loca operibus ac munitionibus ſepta; quibus adjiciunt complures inſulas; quas inter eſt Pagus, cujus incolas Ludovicus I. Rex Hungariæ recuperatâ Dalmatiâ è ſervitute Jadrenſium exemerat. Belgradum & Nonam, ut dixi, Lucius extrudit è Dalmatia: Tinninium alii, Cliſſam, & Oſtroviciam omnes, non omnino recentes hiſtorici. Iidem ſcriptores Auſtriacæ Dalmatiæ attribuunt Sanctum Vitum, ſive Flumen oppidum, arcem Terſactanam, Regium & Bucarenſem portus: Segniam præterea, & partem ſaxoſæ regionis, quam abhinc annis amplius CXL. *geographi* Morlachiam nominârunt. Joannes Lucius negat, ab Hungariæ Regibus poſſideri ullam Dalmatiam. Si ita metiaris regionem, ſicut eam deſcri-

*Dalmatia Veneta Loca.*

*Dalmatia Auſtriaca loca.*

*Dalmatiã extenderunt longiùs Hungariæ Reges, quàm veteres.*

deſcripſerunt veteres, Plinius & Ptolemæus, fateor Lucium verum dicere. At jam ævo D. Hieronymi Liburniæ commune nomen erat cum Dalmatia. Reges verò Ungariæ ignari antiquorum terminorum, aut eos neglectui habentes, pro poteſtate ac lubidine ſua omnem oram maritimam ab agro Raguſano uſq; ad arcem Terſactanam Dalmatiam appellavêre. Id verò ita ſe habere magno argumento eſt Lex XXXII. anni CIƆIƆXCVI. quæ ſic loquitur:

*Grobnik, Bukar, Hrelin & alia loca appoſita Adriatico ſecundũ uſurpationem Ungarorum in Dalmatia.*

*Dominus Comes de Zrinio conqueſtus eſt, ſe habere in Dalmatia circa litora maris Adriatici certas arces, ut Grobnik, Bukar, & Hrelin, quibus ipſe, & pater ac majores ejus cum omnibus vectigalibus, portubus, aliisq; pertinentiis liberè uſi ſunt, ſed non ità pridem officiales, & triceſimatores Sereniſſimi Archiducis Ferdinandi, in terra Fluminis conſtituti ipſum moleſtare inceperunt, non permittendo mercatoribus Venetis, & aliis Italis eò merces advehere, & eas aut permutare, aut vendere ſolutis iis, quæ debent ſolvi, cogentes eos illinc ad terram Fluminis Sancti*

*Viti*

*Viti accedere &c.* Arces verò illas uſurpatione Hungarica in Dalmatia exiſtere, non aliunde cognoſcere poterat Zrinius, aut concio ordinum, ac ſenatûs, niſi ex literis antiquorum Regum. Portum igitur Buccarenſem, & Segniam cum finitimis, quæ occurrunt oram Adriatici legentibus, eſſe in Dalmatia, prout hanc accipiunt Ungari, conſentaneum eſt; olim autem ea fuiſſe in Liburnia certum. Accedit alterum dictis pondus ex Decretis regni: nam longè poſt amiſſam veram illam Dalmatiã ãno CIↃCCCCLXXI. Lege VI. cavetur, ne Rex *caſtra in regnis Sclavoniæ, Dalmatiæ, Croatiæ* externis, & peregrinis donet. Complures jam omnes induſtriæ nervos in perveſtigandis Croatiæ, & Dalmatiæ finibus intenderunt, at in pluribus offenderunt, atque à recto tramite deflexerunt. Notitia hæc ex monumentis Frangepanum, ſive Vegliorum, Zriniorum, Torqvatorum, & Sluniorum eruenda eſſet. Aſſervantur autem monumenta ea in

*Dalmatiæ, & Croatiæ finium notitia unde petenda eſſet?*

O ædi-

ædibus Quæſturæ regiæ Poſonii ſed, quod eruditis doleat, multis re pagulis clauſa. Ad renovandam Hungarici Illyrici memoriam con ducet, exhibere nomina Antiſtitū, quæ diplomatis inſeri, & Hungariæ Pontificum nominibus addi juſſit Ludovicus I. Rex, poſtquam rece pit Dalmatiam propriè nuncupatā exempli causâ anno CIↃCCCLXV. *Venerabilibus in Chriſto Patribus, & Dominis, eodem Nicolao (Cancellario) Strigonienſi, Thoma Colocenſi, Ugolino Spalatenſi, Nicolao Jadrenſi, Elia Raguſienſi, Archiepiſcopis, Demetrio Varadienſi, Dominico Tranſſilvanienſi, Colomano Jaurienſi, Villermo Quinqueeccleſienſi, Ladislao Veſprimienſi, Stephano Zagrabienſi, regníque Sclavoniæ Vicario generali, Michaële Agrienſi, Joanne Vacienſi, Dominico Chanadienſi, Petro Boznenſi, Demetrio Sirmienſi, Fratre Stephano Nitrienſi, Nicolao Traguríenſi, Demetrio Nonenſi, Valentino Macarienſi, Stephano Farenſi, Matthæo Sibinicenſi, Michaële Scardonenſi, & Porcina Segneienſi. Tinnınienſi, & Corbavienſi ſedibus vacan-*

*Dalmatiæ Archiepiſcopi, & Epiſcopi diplomatis regiis inſcribi ſoliti.*

*cantibus.* Ceteri Dalmatici, utpote minoris cenſûs omittebantur. DeCorbavienſi illud occurrit, everſo bellis oppido ſacerdotium hoc translatum eſſe Modruſam; hac ſimili modo anno CIƆIƆXCI. afflicta adjungi cœpiſſe Segnienſi. Mathias Corvinus in diplomatis miſſos faciebat Dalmatiæ, & Croatiæ Epiſcopos extra Modruſienſem, Segnienſem, & Tinnienſem. Secutus eſt eum Vladislaus. Uterque tamen tres quoq; illos nonnunquam nullo loco numeróq; habuit. Rurſus ſub annum CIƆIƆCL. nominari, Hungariæque Præſulibus adjici cœperunt Dalmatici maximo ſcribarũ regiorum compendio. De Boſna regione vicina Croatiæ, & Dalmatiæ, jam plura memoravi, pauca adhuc ſuppeditant. Tributa fuit quondam hæc regio in duas partes; quarum altera ſuperior, altera inferior vocabatur; hæc regalis erat juriſque Hungarici, illa Ducalis, & illuſtris familiæ. Superioris poſſeſſores ac domini dicebantur Duces Sancti Sabæ, vel Hercegovinæ, vel

*Corbavienſis, & Modruſienſis Epiſcopatus.*

*Boſna duplex, Regalis & Ducalis.*

vel Montis Nigri, ab Romanis Pontificibus Bani. Connivente Ludovico I. Rege Hungariæ Tvartcus in ſua Boſna obtinuit honorem regium: Hungari enim ſuam uſque à Bela luminibus orbo, Ramam appellabant. Unus Ludovicus I. Rex in Decreto anno CIↃCCCLI. ſcripto, Boſniam regnũ ſuum nuncupavit.

*Boſniæ Hungaricæ arces*

In Hungarica Boſna erant arces nitidæ ac validæ Jajcia, Dobor, Uſſora, Salinæ, Srebernicum, pluréſque aliæ: Ducalis contermina fuit agro Raguſano. Terminare videntur regionem amnes clari, Drinus, Savus, & Virbas; Boſna mediam interluit. Jam finire volebam narrationes de rebus Sclavonicis, pergere cogor propter Hungaricas.

*De Hungaricis rebus graves controverſia.*

Paulus Ritter, cujus ſuprà memini, anno CIↃIↃCCIII. vulgavit libellum, neſcio cujus formis, & ubi terrarum excuſum cum titulo hoc, *Natales D. Ladislao R. Slavoniæ Apoſtolo reſtituti.* Fuit hic ſcriptor, ut vel ex hoc opuſculo apparet, non ſatis Latinus, neque in hiſtoria univerſali verſatus. Illud pugnat atque

que enititur, ut oſtendat, priſcos Hungariæ Duces, ac Reges natione Slavos fuiſſe, quódque majus eſt, Croatici generis. Hujus igitur ſcriptoris tela paucis retundenda ſunt. Paginâ VII. explodit Bonſinium ex eo, quòd ſcripſiſſet D. Stephanum *anno ſalutis nongenteſimo nono* Strigonii genitum eſſe. At error hic non fuit auctoris illius, ſed librarii. Sæpè enim libri ejus editi ſunt. Veritatem hanc Ritter oculis deprehendiſſet, ſi aliud quodpiam exemplum ( quod tamen in anguſtiis vix reperire potuit ) inſpexiſſet. Quòd autem D. Stephanus Strigonii natus fuerit, vel in ruinis declarat ſacellum, in ejus natali loco quondam conditum. Paginâ VIII. ex diplomate quibusdam virginibus Deo dicatis dato colligit, plures D. Stephano Regi liberos fuiſſe. Demus ita rem ſe habuiſſe, quid inde efficitur? Potuiſſe tamen eos ante S. Emericum è vivis excedere, nec ipſe diffitetur. Paginâ XI, negat Andream, Belam, & Leventam apud Polonos exulâſ-

*S. Steph. R. natus Strigonii.*

*Andrea, Bela & Leventa exilium.*

lâſſe, quòd neque Poloni, neque Bohemi hiſtorici hujus rei meminerunt. At neque Croatici ejus meminerunt. quid igitur hinc inferas aliud, niſi eos ſolùm non vertiſſe, quod nihil facit ad propoſitum Ritteris. Credibile tamen eſt, exulâſſe illos apud quosdam Sclavonicos populos, quia hiſtoricus, qui ante Turocium res Hungaricas perſcripſit, id ipſum in literas retulit. Paginâ XIV. gloriatur, à Tomco Marnyavitio, Epiſcopo Boſnenſi, palàm prolatum eſſe, nomen ſorori D. Ladislai Demetrio Svinimiro Regi nuptæ, fuiſſe Lepæ. Verùm ad comprobandam hanc aſſertionē neceſſarium eſt auctoris antiqui, aut literarum teſtimonium, alioqui nulla eſt, & conficta, Paginâ XV. Epitaphium illud quondam in Veſprimienſi æde poſitum, *Ladislai ſanctiſſimi Pannoniæ Regum conſortum oſſa quieſcunt*, in hunc modum auget, *Geslæ, & Olhajt, Stephani, & Ladislavi, ſanctiſſimorum Pannoniæ Regum hic oſſa quieſcunt.* at perperam; ſiquidem Geslam, vel Gislam S. Ste-

*Lepa aliqua an ſoror S. Ladislai R.*

*Epitaphiū cujusdam Regū Hung. conjugum malè auctū.*

S. Stephani conjugem Paſſavii eſſe ſepultam, notum eſt. De Olhajt nihil ſtatuo, quia non mihi vacat, & res in diſqviſitione poſita eſt. Paginâ XXI. retur, Gejzam patrem D. Stephani citiùs Illyricum, quàm Ungarum fuiſſe, quia ex Illyrico verbo *goi*, quod educare ſignificat, nomen ejus formatum eſt, & *Gojacz*, ſive *Gojzo* educatorē ſonat. At enim convenientia quarundā literarum non ubique valet, hic certè minimè. Quî enim natio & gloriæ cupida, & præferox imperium exteri Principis pati potuiſſet? ſi autem Dux ille reapſe Gayſa vocabatur, argutiæ Ritteris leviculæ ſunt. Paginâ XXII. ſcribit quidem, ætate ejusdem Ducis, Hungariam obnoxiam fuiſſe Romanorum Imperatori, ſed nullo argumento probat. Paginâ XXIII. Sanctum Emericum cum ſuo Mernyavitio vocat Mircum, id eſt, manſvetum ea mente, ut eum Slavonico generi inſerat, ſed ineptè. Conſtat enim inter doctos, Sancto illi juveni nomen Henrici ad colendum debitâ obſervan-

*Gejſa pater S. Stephani an Illyricus*

*Emericus an Mircus?*

fuiſſe Slavum ex vocabulo *bel* non oſtenditur. Si enim ita argumentari licet, rectè quis intulerit, Belum primum Aſſyriorum Regem fuiſſe etiam natione Slavum. Belam apud Ungaros Adalbertum valere, jam dudum in *Synopſi rerũ Hungaricarum* docui. Paginâ XXVIII. Pazmanum virum Gejſæ Ducis, & Stephani ejus filii ævo clarũ Croatam fuiſſe aſſerit, in ora Adriatici ortum; verùm inſigniter retegit ignorantiam ſuam. Nos enim virum illum Paznanem; non Pazmanum dicimus. Paginâ XXX. Albam Græcam ab Salomone Rege quondam expugnatam fuiſſe, & ab Sigiſmundo Rege emptam, miratur. Hanc quæſtionem jam diſſolvi. Paginâ XXXI. affirmatè ait Almum, anteqvam in *cœnobium* miſſus fuiſſet Colomanus, non modò Croatiæ, ſed Ungariæ quoque Regem fuiſſe. Probatio hic deſideratur. In monumentis Hungaricis hujus rei ne indicium quidem adhuc repertũ eſt. Paginâ XXXIII. pari confidentia aſſeverat, & non demon-

*Bela idem, qui Adalbertus.*

*Almus Dux nunquam* [*an aliquando*] *Rex Ungariæ.*

monſtrat, Almum Ducem fuiſſe filium Divi Ladislai, vocatúmque Slavizem, & Petrum. Paginâ xxxIIII. Colomanum quoque fuiſſe filium ejusdem ſanctiſſimi Regis leviter aſtruit. Quamvis ſanctimoniæ viri nihil offeciſſet conjugium, & ſuſceptio liberorum, nos tamen ſentimus, eum vel in matrimonio pudorem, & pudicitiam coluiſſe, quod eidem magis glorioſum eſt. Ultimum argumentum, quo eundem D. Regem in ſtirpem Slavonicam infert, ducit ex vocabulo *Vlada*, & *Slava*, ex quibus conflatum ſit nomen hoc Vladislaus. At hinc ad extremum nihil aliud confici poteſt, quàm illum natum eſſe inter Sclavos, & non obnitente patre, aut matre nomen tale illi inditum, quod Ungari vernaculâ ſuâ etulerunt *Láſzlo*, Latinâ Ladislaus. Tranſeo ceteras Ritteris inanes argutias, & conjectationes.

*S. Ladislaus an matrimonio implicitus, & genitor?*

CA-

# CAPUT. XVIII.

## *Res quædam memorabiles Boſnæ, Raſciæ, à regno Caroli I. Regis Ungariæ, uſque ad amiſſionem, & exitium earum terrarum.*

ANimadverti ſcriptores, præſertim extraneos, in deſcribendis rebus regionum Tranſſavanarum nutare, veráque cum falſis permiſcere; cui malo mederi in animo eſt. Anno CIↃCCCXX. Carolus Rex Ung. de Uroſcio, vel Uroſio Raſciæ tyranno memorabilem reportavit victoriam. Conſenſerant una mente, & voce Macedones ad recipienda Romana ſacra ritúſque; quapropter Uroſcius, homo factioni Græcè magnopere deditus, horribilia omnia igni ferróque illis minitari. Hortatu Joannis Pontificis Max. conſcripto exercitu erexerunt primùm afflictos, Philippus Princeps Tarentinus, cognatus Caroli Regis, & Mladinus Boſnenſis Banus; commiſſo deinde prælio fractus eſt impuri Chriſtiani furor. Macedones pro-

*Macedones conſentiunt cum Romana Eccleſia.*

in-

inde ſe in clientelam, & fidem Regi Hungariæ tradiderunt. Recenſet hæc fuſiùs Odoricus Raynaldus. Et verò Macedones diutius manſiſſent in poteſtate Hungarorum, niſi Mladinus victoria, & ſpe inflatus Regi repugnâſſet, atque ad extremum omnia vertiſſet. Scriptor quidam à Cutheis dictus in *Hiſtoria de Geſtis civium Spalatinorum* prodit, anno CIↃCCCLXVI. ſeptuaginta circiter Turcorum millia tranſmiſiſſe fluvium quendam, quem ipſe Marizam vocat, ac in campo Coſovo cum XXX. millibus Raſciorum manus conſeruiſſe, amiſsíſq; prope tricenis millibus gradum per flumen retuliſſe; quo viſo Raſcios veſtigiis eorum inſtitiſſe, prælium redintegrâſſe: verùm variante fortuna in fugam conjectos ad qvina millia partim ab armis, partim ab eqvis perîſſe, cæſo quoque Vulchaſino, quem modò Regem, modò legatum Regis auctor appellat. Adeò non ſemper reſpondent extrema primis! Hungari pugnæ vix adfuêre. Adierat quidem eo anno

*Subjiciunt ſe ſub poteſtatem Caroli I. Regis Ung. victo Uroſcio tyranno Raſciæ.*

*Raſcii victores & victi in campo Merulæ ſive Caſovo.*

no Joannes Palæologus Ludovicū eorum Regem de ſuppetiis, promiſsâ Romanæ Sedi obedientiâ. At Ludovico viſum eſt, ante Bulgarorum ferociam comprimere, quàm Turcarum impetum propulſare, Græcóſque jacentes ac ſpoliatos protegere. Intulit itaque ſigna in Bulgariam, rémque ex ánimi ſententia geſſit, & confecit: Stratimerum enim Regem comprehendit, & vinctum in Sclavoniam deportandum curavit; poſtea tamen, quâ erat clementiâ, è vinculis hominem emiſit. Magnum erat nomen eo tempore Ludovici Hungari, ùt ſcribit Raynaldus res anno CIƆCCCLXVI. geſtas perſeqvens. Per idem tempus Raſcii, Boſnenſes, & Bulgari, populi Græcorum erroribus capti, iisdem magnam partem exoluti ſunt. Verùm Ludovicus plurimis maximíſque negotiis, & expeditionibus diſtrictus diu Bulgaros frenare neqviit. Gens enim intolerans jugi anno CIƆCCCLXIX. Baſſaratum quendam creavit Regem; qui continuò Bodonium

*Bulgaros Ludovicus I. Rex Ung. ſubigit capto Principe gentis.*

*Ludovici I. Hungariæ Regis magna exiſtimatio.*

*Bulgari creato Rege Baſſarato Bodonium recipiunt ſævientes in Catholicos.*

nium (*Vidin*) oppidũ regium, præſidio aliquo Ungarorum firmatum obſedit, & proditione popularium cepit, cæſis compluribus Ungaris, & qvinis ſacerdotibus Franciſcanæ diſciplinæ alumnis. At Turcis omnia propinqua diripientibus, Bulgaris deinceps breve imperium fuit. In Boſnia anno CIↃCCCLXVII. major natu Dux Græcis partibus infectus, minorem, quia cum Romana ſentiebat Eccleſia, inſectari cœpit: quamobrem Urbanus Papa anno ſequenti cohortatus eſt Ludovicum Hungariæ Regem, ut afflicto vexatóque ad præſidium præſto eſſet. In literis, quas ad Ludovicum dedit Boſnæ Principem vocavit Banum. Anno CIↃCCCLXXXIX. à morte ejusdem Ludovici Regis ſeptimo, Stephanus Tvartcus Hungaris eripuit Cliſſam, & Oſtroviciam, arces Croaticas ac forſitan Albam Græcam, non horrens ingrati animi crimen, quod invicti illius Regis conſenſu, & munere non modò Boſnæ, ſed Raſciæ quoque Rex dictus fuerit. Suffra-

*Boſnenſiũ Ducum diſſenſio.*

*Stephanus Tvartcus Rex Boſniæ, & Raſciæ, Cliſſã, & Oſtrovitzã ſubigit.*

fragante fortuna eodē anno Tvartcus ſuperavit Turcarum Principē, Amuratem I. XII. Calend. Julii. De victoria per literas certiores fecit Tragurienſes ex regia ſua Suthiſtena titulos hujuſmodi adhibens: *Stephanus Tverko D.G. Raſciæ, Boſniæ, Maritimæque &c. Rex*. In prælio hoc bene pugnato à milite quodam Vulci, Deſpotæ Raſciæ, interfectum eſſe Amuratem illum, memoriæ proditum eſt. Anno poſtero Tvartcus fato functus eſt, & turbare deſiit in terris Hungaricis. Apud Boſnenſes, Raſcios, Albanos, fractóſque jam Bulgaros honorem Imperatoris adeptus eſt. Ne interregnum diutinum eſſet, eodem anno Boſnenſes filium ejus Stephanum, cognomine Dabiſciam, Regem prodiderunt. Is concupiſcendo Dalmatiam, vix ſe præſtitit Ungaris patreæqviorem. Interea Turcæ multam ſubegerunt Bulgariam, & Sigiſmundi Hungariæ Regis copias anno CIƆCCCXCVI. ad Nicopolim profligaverunt; quo ipſo anno exceſſit de medio Dabiſcia ac in

*Amurates II. occiſus.*

*Stephanus Tvartcus obiit ſuccedente filio Stephano Dabiſcia.*

*Bulgariam occupant Turcæ, Sigiſmundū Hung. Regē vincunt.*

*Stephanus Dabiſcia defungitur ſubjecto Stephano Oſtoya.*

in locum ejus ſuffectus eſt Stephanus Oſtoyas, año ciↄcccccvi. à Tvartco Scuro, filio Tvarci I. exactus. Hinc diſſenſio inter proceres Boſnæ ducta in añum tertium. Oſtoyas rurſus regnum aſſecutus, anno ciↄccccxiii. & deinceps amicus, aut cliens Sigiſmundi Ungarorum Regis extitit: nam antea Ladislai, Caroli ab Hungaris cæſi, filii in Dalmatia, & vicinis huic terris dominantis partes ſeqvens, captivitatis ejusdem Sigiſmundi R. adjutor, vel approbator fuiſſe traditur. Produxit vitã ad annum ciↄccccxxxv. ſervatâ Boſnâ, & ſuâ, & Hungaricâ. Anno ciↄccccxxviii. deceſſit de vita Catharina quædam Regina Boſnenſis; cujus epitaphium extat Romæ, in æde Mariana, Ara Cœli nuncupata, compoſitum ſermone Sclavonico, literis Glogoliticis, ſive Cyrillicis ſcriptum, quod in Latinum quiſpiam taliter convertit: *Catharinæ Reginæ Boſnenſi, Stephani Ducis Sancti Sabæ, ex genere Helenæ, & Domo Cæſaris Stephani natæ, Thomæ Regis Boſniæ Uxori, quæ vi-*

*Boſnenſiũ diſcordia. ob Regem*

*Stephanus Oſtoyas amicus Sigiſmundi Hung. Regis moritur.*

*Boſnenſis Reginæ Catharinæ epitaphiũ.*

*vixit annos* LIIII, *& obiit Romæ anno* CIↃCCCCXXVIII. XXV. die Octobris. *Monumentum ipſius ſcriptis poſitum.* Non erat ea conjux, ut nonnulli cenſuerunt, Stephani Thomæ ultimi Boſnæ Regis; ſed Tvartci Scuri regno pulſi. Falsò autem memoriâ proditum eſt (*apud Lambecium Commentario de Bibliotheca Cæſar. Lib. I.*) intra Hungaricorum regnorum terminos apud ſolos Boſnenſes ſupereſſe literas Cyrillicas: ſiquidem in ipſo Ungariæ ſinu Ruſſi, & Valachi eas in ſacris uſurpant. Anno CIↃCCCCXXXIX. Georgius Deſpotes Raſciæ ſimul atque nuncios de motu Amuratis II. accepit, in Hungariam properè cum lauta ſupelectili, & ſacerdotibus ſe contulit, relicto ad cuſtodiam Senderoviæ filio Stephano; qui aliquamdiu oppidum ſtrenuè tutatus, ad extremum labori, & vi ſuccubuit magno ſuo incommodo malóque. Amurates enim accepto in deditionem oppido oculos illi effodit. Similiter ſæviit in fratrem ejus Georgium, incertum, quo incurſu. Horri-

*Cyrillicarũ literarum uſus in Hungaria.*

*Georgii Deſpota Raſcia receptus in Ungariam ingruente bello Turcico.*

*Filium ejus Stephanum captâ Senderoviâ Amurates gener excæcat.*

ri-

ribilis ſanè affinis, utpote ex nuptiis, quæ non matrimonii dignitate, ùt ait Tullius, ſed ſcelere conjunctæ fuerunt. Hoc ſolo officioſus, quòd affinium vitæ pepercit. Nomen filiæ Georgii Deſpotæ, quã in matrimonio more Mahometano habebat, erat Cathaguſinæ. Biennio poſt poſſeſſione quoque Raſciæ propinquos detruſit; at Belgradum compreſſit feroces tyranni ſpiritus, arcem, oppidúmque viriliter defendente Joanne Priore Auranæ, Ordinis Crucigerorum, oriundo Raguſâ, fratre Maticonis Tallocii totius Sclavoniæ Præſidis. Cùm id caſtrum obſidione premeretur, Albertus Cæſar inter Danubium, & Tibiſcum caſtra poſuerat; ſed quia à ſtatario milite non ſatis firmus fuit, hoſtem laceſſere non auſus, aliquamdiu auxilia opperiebatur; quibus deſperatis, imminutóq; alvi profluvio exercitu omni, incepto deſtitit. Anno CIↃCCCCXLII. cæſo Mezerhe Bego, copiiſque Turcicis ab Joanne Hunniade attritis Moldavi, & Tranſalpini in

*Belgradũ incaſſum oppugnavit Amurates*

*Ejus ſaluti ſuccurrere volebat Albertus Imp.*

*Moldavi, & Valachi juvant Joannẽ Huniadem decertantem cum Abedine Turca.*

Vladiſlai Regis, & Hungarorum fidem ſe denuo contulerunt, actáq; ſua operâ comprobaverunt, dum ſcilicet Hungaris cum Abedine Thraciæ, ſive Romaniæ Beglerbego adverſis ſignis concurrentibus auxilio fuêre, conſortéſq; laboris pariter atq; gloriæ extitêre. Abedinem Bonfinius Sciabadinem, Laonicus Græcus Sabatinem, Turcici añales Scachum Abedinẽ appellant. Anno inſequenti armis Vladiſlai Regis Hungarorum, & Joañis Huniadis capto apud Urbem Sophiam Carambo, vel Caſane, recens declarato Thraciæ præfecto, Raſcia quoque recreata revixit. Non multò poſt Georgius Caſtriottus, cognomento Scanderbegus, manum cum Alipaſcha conſerens glorioſã victoriam adeptus eſt; de qua gratulatus eſt ei Vladiſlaus Rex per literas, quas pervulgavit Odoricus Raynaldus. At Georgius Deſpotes vel ſuopte ingenio incitatus, vel barbari generi artificio circum ventus, nil penſi habens tam pulchras, támque præclaras Chri-

*Raſcia reſpirat virtute Vladiſlai R. comprehenſo Duce Turcarum.*

*Scanderbegi victoria.*

ſtia-

ſtianorum victorias, rupto, quod cum Uugaris junxerat fœdere, anno poſtero non tantùm amicos ante Varnenſe prælium auxilium implorantes deſeruit, verùm etiam moram atque impedimentum intulit Scanderbego, ne Ungaris ſuppetias venire poſſet. Oppetiit itaque mortem in eo prælio Vladiſlaus Rex cum multis omni genere excellentibus viris; inter quos fuit Joannes Albæ Græcæ ſervator. Vivit tamen immortalis eorum gloria, & fama. Hunniadem fugâ ſalutem petentem Dracula Valachus comprehendit, & aliquamdiu cuſtodiâ ſeptum tenuit. Verùm is anno ſequenti ſimul ac primùm Gubernator Hungariæ declaratus eſt, & ſupplementis legiones integravit, inhoſpitalem ac ferum hominem capitali animadverſione punivit, ſubſtituto in ejus locum Dano; quem Laonicus Græcus Maſaranapis filium fuiſſe tradit. Anno CIↃCCCCXLVIII. Hunniades itidem pænas de perfido Deſpota ſumpturus, apud arcẽ Severienſem in-

*Vladislai R. Ungar. ruina ad Varnam.*

*Valachus Dracula comprehendit Huñiadẽ, à quo dein de medio ſublatus eſt.*

*Severinenſis arx.*

 eun-

eunte autumno vix tranſportavit exercitum, cùm communi fama, atque ſermone accepit Turcorum exercitum, ad quorum opes Deſpotes confugerat, in propinquo eſſe. Igitur contra innumerabilem multitudinem congreſſus, in tertium diem pertinaci virtute certamen extrahens, non tam hoſtium vi atque arte, quàm defectione Valachorum victus eſt, cruentam hoſti relinqvens & ipſam victoriam. Opportuna explicandis copiis regio eſt, eqvitabilis & vaſta planities, in qua pugnatum eſt. Panditur ea in Serviæ, & Bulgariæ confinio. Coſovam ex vocabulo Sclavonico, quod merulam valet, dixêre accolæ. Valachi perfugæ juſſu Amuratis interfecti ſunt. Turcæ juxta fluvium, ùt ſignificare videtur Laonicus, Moravam humati. Hunniadem Deſpotes intercepit. Tantum heroëm indignis accepit modis; preces orantis diu ſuperbéque reſpuit, ad ultimum tamen non tam obſecratione, quàm promiſſis Deo, hominibúſque inviſis,

*Joannes Hunniades in tertium diem pugnans defectione Valachorum vincitur in campo Coſovo.*

*Capitur à Deſpota.*

*Dimittitur iniqvis conditionibus.*

ſis, victus, eum domum dimiſit, accepto obſide filio Ladislao. At fruſtra ſibi obſide cavit. Quippe Nicolaus V. ſummus ſacrorum diſpenſator, declaravit, Hunniadem promiſſis ſuis nequaquam teneri. Ille ergo curâ ſolutus collectis exercitûs reliqviis, & legionibus ſuppletis Deſpotæ terras populari, & bona, quæ in Hungaria habebat publicare. Ea tamen erat clementia ac placabilitate, ut nondum vertente anno ſupplici indulſerit. Imò verò im̃emor injuriarum fuſis Turcarum copiis anno CIↃCCCCL. fortunarum ejus ſtatum ſalvum atque incolumem reddidit. Extat quoque lex anno CIↃCCCCLIIII. lata de reſtituendis Deſpotæ fundis, quos antea in Hungaria tenebat. Ineunte eo anno Bladus, vel Valdus Vajvoda Valachiæ, qui Dano ſucceſſerat, nobili magnóque vallatus comitatu venit Budam, ubi in fidem, & clientelam Ladislao Regi ſeſe tradidit. Anno CIↃCCCCLVI. beneficio superûm, virtutéque Joannis Hunniadis, & Joannis Capiſtrani,

*Iis ſolutus Deſpotam exagitat, & eidem ignoſcit.*

*Valachiæ Vajvoda Bladus venit Budam.*

*Belgradi obſidio irrita.*

memoria noſtra in divos relati, ſubmotus eſt à Belgrado cum ingenti clade, & jactura tormentorum Mahometes. Uterque propugnator calamitate, & inſomnia fractus extremum effudit ſpiritum. Eodem anno, vel ſequenti naturæ quoque conceſſit Georgius, Deſpotes ille Raſciæ, nonagenarius, incaſſum à Capiſtrano monitus de abjiciendis Græcorum erroribus. Sepultus traditur Cratovacii, ſeu Crattovæ, ubi plures ſtirpis ejus tumuli. Fuit filius Lupi, unde cognomen Vucovitii indeptus; nepos autem Lazari, pronepos Uroſcii. Aſcribebat ſibi titulum etiam Albaniæ Domini. Mirum eſt, qui Caliſtus Pontifex Max. literis, quas vulgavit Raynaldus, ad Ludovicum Patriarcham, ſuum in partibus orientis legatum, ſcriptis, inſerere iſta potuit: *Deſpotus Raſciæ, qui nullo relicto hærede mortuus eſt, terras ſuas Cardinali S. Angeli legato noſtro pro nobis, & Apoſtolica Sede tradi, & conſignari mandavit, &, ut credimus, jam eas nominibus prædictis acce-*

*Georgius Deſpotes deceſſit.*

*Genus ejus.*

*Legavit Raſciã in ſpeciem Romanæ Sedi.*

*ce-*

cepit: ſiquidem tres filii ejus ſuperſtites fuerint, ac de Lazaro quidem nulla dubitatio eſſe poteſt: anno ſiquidem CIↃCCCCLVII. Talliam (*Tallya*) in Ungaria poſſedit. Teſtata eſt hæc res literis certis, quas propterea curioſiùs legi. Occupavit autem in Raſcia dominatum Stephanus Thomas, Rex Boſnæ, jure uxorio, quia filiam Lazari Deſpotæ nuptiis ſibi copulârat. Inauſpicata porrò fuit ejus gubernatio, & graviſſimus exitus. Raſcii namq; Turcicam illico maluerunt ſervitutem ſubire, quàm ei parere. Acceſſit ad ejus, & ad cetera Chriſtianorum incommoda, quod per ſcelus Boſnenſium militum Turcæ in poteſtatem ſuam iterum redegerint Senderoviam; cujus caſum deploravit, & per literas ſignificavit Pius II. Alberto Marchioni Brandeburgico anno CIↃCCCCLIX. Stephanus verò Rex dimiſſis Romam legatis de amiſſione ejus oppidi purgabat ſe eidem ſummo Eccleſiæ patri, cauſam in neceſſitatem conferens. Illud verò re, & dictu mira-

*Raſciam Thomas Rex Boſnæ ſibi vendicat.*

*Senderoviam amittit.*

*Purgat ſe ob id apud Pontificem Max. Epiſcopos, & diddema petit.*

rabile atque inopinatum, quod exemplo Divi Stephani Hungariæ Regis per eos ipſos legatos à Pio petiverit atque contenderit, ut non modò Epiſcopos in Boſnia conſtitueret, ſed diadema etiam, quod ipſi, ſucceſſoribúſque imponeretur, daret. Re cognita anno CIↃCCCCLX. interceſſit poſtulationi ejus Mathias Corvinus, declarando, nulli tribuendum eſſe inſigne ejus regni, quod Hungariæ Rex ſummo cum imperio obtineret. Anno CIↃCCCCLXII. idem Corvinus in Transalpinos duxit exercitum propterea, quòd anno ſuperiore fines Tranſſilvaniæ pervaſtâſſent. Præfectum provinciæ, hominem omni diritate (út perhibent) & immanitate teterrimum, comprehendit quidem, ſed quia pro ejus vita multi deprecabantur, vinculis quantumvis ſontem levavit. Turcæ verò homines, omnis humanitatis expertes, iterum captum fruſtra Deum, hominéſque obteſtantem, morte mulctaverunt, capútque ejus cervicibus abſciſſum Maho-

*Reclamat illius petitioni Mathias Corvinus,*

*In Valachiam movit Corvinus injuriam ulciſcens.*

*Clemens in Draculam à Turcis poſtea peremtum.*

hometi miſerunt. Talibus enim donis oblectantur ejus gentis Principes. In locum cæſi alium quendam ſuppoſuerunt Turcæ, cujus appellationem Mathias quoq; Rex poſtea ratam habuit. Perdomitis Valachis iidem populi incurſiones fecerunt in Boſnenſes, Matſchovienſes, & Sirmienſes; ſed in hos non omnino impunè: reduces quippe pars occiſi, pars in fugam dati ſunt. Anteqvam Mahometes in Valachiam, & Boſniam juſſiſſet ferrum flammámque inferri, à Corvino Rege, neſcio quo jure, per nuncios eas regiones poſtulavit. Ille verò magis cupiebat, ac ſtudebat fines imperii Hungarici propagare, quàm coarctare. Mahometes igitur, inſolens ferendi repulſam, irâ incenſus anno poſtero in Boſnam ſigna movit, cunctámque dearmatam ſub jugum miſit. Ex pube Boſnenſi valde auxit numerum eorum militum, qui ſub eo pedibus merebant. Stephanum Thomam, Regem Boſnæ, in caſtello quodam ſe tenentem

*Boſnam, Matſchovienſem, & Sirmienſem tractum vaſtant Turcæ.*

*Valachiam & Boſnã à Corvino Mahometes petiit.*

*Mahometes Boſnam ſubigit, Stephanum ejus Regem interimit.*

tem, blanditiis & vaframentis ad congrediendum evocatum, per ſummam crudelitatem interfecit. Bonfinius prodit, cute exutum, Paulus Papa in epiſtola, quam ſcripſit ad Ludovicum Francorum Regem, ait, gladio ab ipſo Mahomete percuſſum eſſe. Nempe petebat diadema perenne homo, qui de capite ſecurus non erat. Neque prorſus à culpa aberat. Denegavit enim vectigal, quod majores ejus Turcis pendere ſolebant, ac in nuncios Mahometis contumeliam quandam effuderat. Antonius Bonfinius priuſquam exponat recuperationem Jajciæ, attingit familiam famoſi illius Georgii Deſpotæ, ubi mentionem quoque injicit Stephani Regis Boſnæ, hujuſmodi narratione: *Georgio Deſpoti liberi tres mares fuêre, Stephanus, Georgius, & Lazarus: Stephanum & Georgium Turca excæcavit. Ex Stephano Lupus miræ fortitudinis; è Georgio Deſpote noſtri temporis Joannes ac fratres ſunt geniti. Lazarus, qui regno ſucceſſit, unam tantùm filiam*

*Deſpotæ liberi.*

*liam genuit; quam Stephanus Boſnenſium Rex uxorem duxit. Is defuncto Lazaro non ſolùm uxore, ſed regno quoque Raſciæ potitus eſt. Turcico ingenio, ſumma impietate, & profana religione præditus.* Hæc Bonfinius. Vix tamen Lazarus rexit Raſciam. Ac conveniebat quidem illum in locum patris ſuccedere, ſed ab affine Stephano, ùt dixi, excluſus eſt: atque idcirco, quoad vixit, in Ungaria commorabatur. Lupus Deſpotes, quem mira fortitudine meritò prædicat Bonfinius, egregiam Mathiæ Corvino bello Bohemico, tum Vladislao Regi anno CIƆCCCCXCV. adverſus Laurentium, Ducem Ujlacenſem navavit operam. De Joanne, & fratribus nihildum comperi. Credibile eſt, omnes nullis ſuſceptis liberis exceſſiſſe. Nam ſatrapiæ cunctæ, quas in Ungaria regnante Vladislao II. poſſidebant, in jus, ùt Ungari loqvuntur, ſacræ coronæ regiúmque redierunt. Sunt tamen, qui in genus Deſpotarum horum ſe inſinuant. Cete-

*Raſciæ Deſpotarum genus extinctum.*

terùm Mathias Rex exeunte prædicto anno CIↃCCCCLXIII. Jajciam cum vicinis locis Turcis eripuit, rémque perditam reſtituit. Recentiores quidam levant viri gloriam, quaſi non virtute, ſed civium Chriſtianorum ſtudio, & conſpiratione eam arcem expugnâſſet. Præfecit, quam recuperavit regioni, Emericum Zapolium titulo Gubernatoris, ducem ſanè illuſtrem, qui oppugnationi præfuit, in eáque gravia aliquot vulnera excepit, ùt ipſe in tabulis teſtamenti ſui aſſeverat. Poſt decem verò annos Mathias Corvinus creavit Regem Boſnæ Nicolaum Ujlakium; qua de re majorem in modum gloriantem dicere ſolitum accepimus, *quia obnoxium ſibi haberet Regem, ſe Archiregem eſſe.* Dum de ſumma rerum dimicant Ferdinandus I. & Joannes Zapolius, deperit rurſum Jajcia cum omni Boſna anno CIↃIↃXXVIII. Belgradum autem cum tota Servia ſenis ante annis ceſſerat Turcis in

*Jajtzam Mathias Corvinus recipit.*

*Boſnæ Rex Nicolaus Ujlakius.*

*Belgradũ, & Boſna amittuntur.*

in prædam, & ſedem. Emerſit è fluctibus ſervitutis armis Leopoldi I. Magni, Pii, Felicis anno CIƆIƆCLXXXVIII. amiſſum rurſus per dedecus, & ignaviam anno CIƆIƆCXC. At reſtituitur feliciùs anno CIƆIƆCCXVII. auſpiciis Caroli VI. Auguſti, potentiſſimi, fuſo fugatóque XVII. Calendas Septembris innumerabili Turcarum exercitu per Eugenium Ducem Sabaudiæ, & Joannem Palffium, præfectum Illyrici, hujuſce ætatis clariſſimos duces. Per noctem milites moniti alii ad ſtationem tuendam, alii ad erumpendum ſe comparârunt. Hi ſub aurora tegente eos nebula in hoſtes quaſi certamini paratos irruerunt. Pugnatum igitur utrinque aliquamdiu magna cum pertinacia, & ſtudio vincendi. Turcæ denique incompoſita acie dimicantes terga verterunt relictis ferè omnibus impedimentis, & machinamentis. Dicebantur in congreſſu cecidiſſe ad V. millia;

*Belgradũ cedit armis Leopoldi I. & Caroli VI. Auguſtorũ.*

lia; inter fugam verò plura partim mutuis armis, partim Raſciorum, & Bulgarorum ferro proſtrata eſ-
*XVIII. Auguſti.* ſe. Univerſam nationem metus intravit. Tertio à prælio die obſeſſis conditiones propoſitæ.
*XXII. ejusdem menſis.* Iidem quarta poſt luce loco demigrârunt tanto numero, ut obſidionem longo tempore tolerare potuiſſent. Hoc beneficium ut perpetuum eſſe juberet, cunctáque terrarum ſola in deditionem Chriſtianorum traderet, optabam à Deo immortali eo anno, optóque in præſenti.

*LAUDETUR JESUS CHRISTUS.*

IN-

# INDEX
# NOMINUM, ET RERUM.

## A. *Pag.*

*Aaron* Moldaviæ Vajvoda in Turcas, & Tartaros incurrit, 168.
in fide nutat 170.
in carcerem includitur 171
*Agaſonum* Magiſtri in Ungaria officium 75.
*Alba Julia* in Tranſſilvania communita, & Carolina dicta. 91.
*Almus* Dux an aliquando Rex Ungariæ. 218.
*Aluta* fluvii fons, 101
ejus curſus in Tſchikienſi Sede, *ibid.*
Augetur rivis, 102
curſus ſupra Fogaraſchum, 125.
loca ab Auſtro in Septemtrionem ſupra Coronam reflexi, *ibid.*
*Amurates* *II.* occiſus, 224.
Belgradum incaſſum oppugnavit, 227.
ſaluti ejus volebat ſuccurrere Albertus Imperator, *ibid.*
*Amurates* *III.* decedit ſuccedente Mahomete. 170
*Andrea*, Belæ, & Leventæ exilium, 213
an fuerint Slavi? 217.
*Argenſis* Epiſcopatus antiquitus, 153.
*Aurata* Sedes, 120.

## B.

*Banatus* Brontſchenſis obſcurus, 46.
Cutſchovienſis, *ibid.*

Q Se-

Severinenſis, & ejus auctor, 3[?]
traditur Cruciferis Rhodiis. 39
reſtituitur per Laurentium Judicem Curiæ, ibid.
variæ ejus vices, 40.
ejusdem arx, 41
*Banatûs* Hungarici, 31
plures extraordinarii, 41.
totius juriſdictionis Sclavoniæ termini. 46.
Matſchovienſem, & ejus Judicia octavalia ſuffert Corvinus, 47.
*Bani* numero aucti, 41.
Paulus Magnus Garanſchebeſchini habitans, ibid.
*Barbelius* plura caſtella expugnat, 173.
*Barciæ* tractus, 96.
*Barones* Ungariæ majores, 76.
*Batborii* Sigiſmundi Tranſſilvaniæ Principis titulus, 167.
deſpondetur ei Maria Chriſtierna, 172.
Conjugium illud cur inauſpicatum. ibid.
expeditio in Valachiam, 179.
profectio Pragam, 188.
*Batſchienſis* Comitatûs loca, 51.
Archiepiſcopi, 71.
*Bebecius* Franciſcus obtinet præfecturam Tranſſilv. 157.
traditur in cuſtodiam muliebri fraude, ibid.
*Bekes* Stephanus Banus, 41.
*Belæ III.* R. affinitas cum Frid. Imperatore, 28.
obitus, 134.
*Belæ IIII.* bella, 137.
Bela ſignificat Adalbertum, 218.
*Belgradi* Epiſcopi ſub Carolo primo Rege, 35.
redimitur à Sigiſmundo Rege, 36.
à Raſciis expugnatur, 37.
irrita obſidio, 237.
cum Boſna amittitur, 238.
cedit armis Leopoldi I. & Caroli VI. Auguſtorum, 239.

Beſ-

*Beſſarabia* pars Moldaviæ Tartaris, & Turcis inhabitatur, 148.
*Biſtricienſis* Saxonum Sedes in Tranſſilvania, 95.
fluvii ejus, 96.
tractus, *ibid.*
*Bladus* Valachiæ Vajvoda venit Budam, 231.
*Bodonium* capitur, 190.
*Bodrogienſis* Comitatus, 52.
*Boſna* duplex, regalis & Ducalis, 211.
Hungaricæ arces, 212.
item, & oppida aliqua, 50.
Epiſcopatus, 63.
*Boſnenſium* Ducum diſſenſio, 223.
diſcordia ob Regem, 225.
Reginæ Catharinæ epitaphium, *ibid.*
*Bucoreſtum* Turcæ deſerunt, 184.
*Bulgari* creato Rege Baſſarato Bodonium recipiunt ſævientes in Catholicos, 222.

# C.

*Carolus* I. R.H. copioſiores appellabat comites, 42.
*Caſſonia* Sedes in Tranſſilvania, 103.
*Chartuitius* quid hominis fuerit, 56.
*Chuni* Ponti accolæ iidem & Cumani, 142.
*Cibinium*, 93.
*Cicelli* majoris fons, 115.
minoris fons, & curſus, 117.
ejuſdem curſus cæterus, 122.
*Claudiopolis* ſitus, 92.
*Colocenſis* metropolis occaſio, 71.
prævalet, & conjungitur cum Batſchienſi, 72.
*Comitatus* Torontalenſis, & Bodrogienſis, 47.
malè indicati cum multis aliis à Geographis, 48.

Urbanenſis, & Salagagewrienſis incogniti, 4.
Ungariæ, 6.
Ungariæ Tranſſavanæ, 21.
*Corbavienſis* Epiſcopatus, 211.
*Corona*, Cibinium, Claudiopolis oppida frequentia, 92.
*Corona* cum tractu Barcenſi, 96.
*Coronenſe* caſtellum ædificari cœptum, 155.
*Corvinus* injuriam ulciſcens in Valachiam movit, 234.
clemens in Draculam à Turcis poſtea peremptum,
*Croatæ* dicti de Croato vel Chrobato, 199.
*Croatiæ* Rex Almus, 203.
fines ejus ambigui, *ibid.*
Comitatus apud Ratcaium, 204.
non erant ejus generis, cujus Hungarici, *ibid.*
arces, & oppida, 205.
aliqvamdiu non fuit in titulis Regum Hungariæ, 206.
*Croatiam*, & Serviam concedit Sclavis poſſidendam Baſilius Macedo Imperator, 199.
*Cumani* hoſtes, & dedititii Hungarorum, 2.
Hungaricæ ſtirpis populi, 142.
impugnantur à Tartaris, *ibid.*
latini ritûs retinentes, 146.
*Cumania* Turcis Carabogdania, 143.
diu deſerta frequentatur à Bogdano Maramaroſienſi Valacho, 144.
Moldavia dicta, 147.
*Cumaniæ* ſines, 143.
incolæ, *ibid.*
qualitas, & fertilitas, *ibid.*
Regis titulus Belæ IV. onceroſus, 142.
myſteria Chriſtiana genti aperiuntur, 144.
de Epiſcopo illis dando laborat Clemens VI. Papa, 145.
eorum reliqviæ inſtituuntur ad Chriſtianorum inſtituta, *ibid.*
*Cyrillicarum* literarum uſus in Hungaria, 226.


D. *Dal.*

# D.


*Dalmatiæ*, & Croatiæ finium notitia, 209.
Archiepiſcopi, & Epiſcopi diplomatis regiis inſcribi ſoliti, 210.
partitio in Auſtriacam, Venetam, & Turcicam, 206.
loca Turcicæ, *ibid.*
loca Venetæ, 207.
loca Auſtriacæ, *ibid.*
longiùs extenderunt eam Hungariæ Reges, quàm veteres, 208.
*Daniel* Rex Ruthenorum primus Tzarus cum Ratislao Duce, & Ungaris prælium gerit, 136.
*Deſpota* Devaium Ungarum interimit, 162.
detecta cæde in periculum capitis venit, 163.
fœdè trucidatur, *ibid.*
*Deſpotæ* prætoria cohors à Moldavis conciditur. 160.
incolumitatem ei promittit nuncius Turcicus, 162.
*Dombrovicia* amnis Valachiæ, 182.
*Dracula*, Valachorum præfecti cur appellati, 152.


# E.


*Emerici* Regis geſta, 29.
ejus & Andreæ II. Regum tituli, 141.
S. Emericus an ſit Mircus, 215.
*Epiſcopatus*, qui & quot à S. Stephano R. inſtituti, 56.
indicantur, 67.
*Epiſcopi* in Ungaria an 1156. *ibid.*
*Epitaphium* cujusdam Regum Hung. conjugum malè auctum, 214.


# F.


*Flaccus* Romanus an parens Valachorum? & an Flacci dicti Valachi, 150.

## G.

*Gallicia* ſive Halliciæ regnum, 133.
præfecti ejus ſub Regibus Ungariæ, 134.
pro illa Hungarorum expeditiones, *ibid.*
ejus, & Lodomeriæ primus R. Andreas II. 141.
*Gallicienſes* ab Andrea II. Colomanum filium poſcunt ad regnum, 134.
à vexatione Lithvanorum eos vindicat Ludovicus I. Rex, 138.
*Gejſa* parens S. Stephani an Illyricus, 215.
an ſacro lavacro tinctus à Bruno Epiſcopo quodam, 216.
*Giergio* Sedes Siculorum in Tranſſilvania, 99.
ejusdem loca, 100
*Girgiovia* arx expugnatur, 186.
*Girgiovium* oppidum Hungari, & Valachi depopulantur, 169.
*Grobnik*, Bukar, Hrelin & alia loca appoſita Adriatico, 208.

## H.

*Haliciam* Ludovicus abalienat, 138.
quando facta juris Hungarici, *ibid.*
regnum illud ubi ſit, 133.
Vide *Gallicia.*
*Heraclides* Alexandrum Moldaviæ Vajvodam prælio ſuperat, & occupat provinciam, 158.
imponitur illi diadema, 159
odium ſibi conciliat mutatione ſacrorũ, *ibid.*
*Hoffmannus*, Moldaviæ Vajvoda creatus, 171.
*Homorodus* fluvius, 113.
ceterus ejus curſus, 124.
*Hungari*, & Valachi Hæmum tranſeunt, 170.
cum Tranſſilvanis nobilibus proditionis accuſati, 173.
de eorum rebus graves controverſiæ, 212.
*Hungaria* & Poloniæ Regum ob limites ad Moldaviam diſſidium, 147.
*Hunniadem* Joannem decertantem cum Abedine

Tur-

Turca Moldavi, & Valachi juvant, 227.
comprehenſus à Dracula Valacho, quem deinde de medio ſuſtulit, 229.
pugnans defectione Valachorum vincitur in campo Coſovo, 230.
capitur à Deſpota, *ibid.*
dimittitur iniqvis conditionibus, *ibid.*
iis ſolutus Deſpotam exagitat, & eidem ignoſcit, 231.

## I.

*Jaitzam* Mathias Corvinus recipit, 238.
*Ad Jaroslaviam* pugna, 136.
*Jeneia* arx *Jenô.* 185.
*Jeſuitæ* in Tranſſilvaniam revocantur, 172.
*Illyrici* ſcriptoris errores deteguntur, 193.
antiqvi vulgaris deſignatio, 194.
*Illyricum* latè acceptum, *ibid.*
Hungaricum, 192.
*Iſabella* cum filio reducitur in Tranſſilvaniam, 157.
inde decedit, 158.
*Judicis Curiæ* in Ungaria magiſtratus, 74.

## K.

*Kezdienſe* Forum, 106.
*Kezdienſis* Sedis loca, 107.
*Kisdenſis* Sedes Saxonum in Tranſſilvania, 94.
*Kükôllô* vide Cicelli,

## L.

*Ladislai* V. Regis ſucceſſio in regnum, 63.
S. *Ladislaus* an matrimonio implicitus, an genitor? 219.
vocatur ad capeſſenda regna, 200.
*Ladislaus* Dux Oppuliæ, Hungariæ Palatinus. 138.
*Laurentius* Dux de Ujlac cur? 65.
*Lepa* aliqua an ſoror S. Ladislai? 274.
*Liburnia* antiqvitus non poterat eſſe pars Croatiæ, 193.

*Lippa* obſidione liberatur, 189.
*Litera* Capituli Budenſis pro Georgio Deſpota Raſciæ, & Paulo Birinio, 49.
*Lodomeriæ* regnum an Vuladimiriæ 140.
videtur eſſe vicinum Galliciæ, *ibid.*
*Ludovicus* I. R. ſubigit Valachos in Cumania, 144.
ejus magna exiſtimatio, 222.
ſubigit Bulgaros capto Principe gentis. *ibid.*

## M.

*Macedones* conſentiunt cum Romana Eccleſia, 220.
ſubjiciunt ſe ſub poteſtatem Caroli I. 221.
*Mahometes* petiit à Corvino Valachiam, & Boſnã, 235.
Boſnam ſubigit, Stephanum ejus Regem interimit, *ibid.*
*Mari* amnis, ùt eum vocat Herodotus, curſus uſque Carolinam, 120.
*Maroſchienſis* Sedis deſcriptio, 118.
*Matſchovienſis*, & Sirmienſis tractus vaſtatur à Turcis, 235.
*Marothus* Joannes Banus Matſchovienſis, 35.
*Media* oppidum, & Sedes in Tranſſilvania, 95.
*Michaël* Valachorũ Vajvoda Tartarorũ vim reprimit, 168.
ad Oroskinum Turcas fugat, 169.
providit, ne Valachi, & Siculi ebrii fierent, *ibid.*
*Milco* rivus dividens Valachias, 152.
*Milcovienſis* Epiſcopatus, 90.
*Modruſienſis* Epiſcopatus, 211.
*Moldavia* Vajvodæ Eliæ, & Tranſalpinorum incurſationes in Tranſſilvaniam, 155.
Stephanum Vajvodam appellant, & ſæviunt Moldavi, 160.
in crucem agunt Stephanum, 187.
Jeremias Vajvoda ſe Bathorio ſubjicit, 190.
Aaron obiit captivus, 191.
Moldavorũ doli ad perdendũ Deſpotã, 159.
Vide Cumania,

## N.

*Nicopolis* fruſtra oppugnata, 191.
*Nitrienſem* Epiſcopatum non conſtituit S. Stephanus Rex, 65.

## O.

*Ojtoziæ* arcis ruinæ, 106.
*Orbaienſis* Sedis loca, 109.
*Oſſorienſis* arx, 50.

## P.

*Palatini* magiſtratus in Ungaria, 73.
*Patareni* hæretici in Boſnia, 33.
in eos Culini Boſnenſis propenſio, *ibid.*
cum iis Hungarorum prælia, 34.
*Patſinus* Demetrius oppugnat Sociaviam, ipſe impugnatur à Stephano Vojvoda, vincit, & vincitur, 160.
*Petrovaradinum* in Comit. Sirmienſi, 64.
*Pincernarum* & Dapiſerorum magiſtri officium, 75.
*Poſchegienſis*, Valcovienſis, Sirmienſis comitatus, 20.
*Præfecturæ* Limitaneæ quibus dandæ, 40.

## Q.

*Quinqueecclesienſis* Epiſcopatus termini, 59.

## R.

*Radnenſis*, & Coronenſis aditus in Tranſſilvaniam, 156.
*Raſcia* reſpirat virtute Vladislai Regis compreſſo Duce Turcarum, 228.
eam ſibi vendicat Thomas R. Boſnæ, 233.
*Raſciæ* Deſpotæ Georgii receptus in Hungariam ingruente bello Turcico, 226.
filium ejus Stephanũ capta Senderovia Amurates gener excæcat, 226.
deceſſus, 232.
& genus ejus, *ibid.*

legavit Raſciam in ſpeciem Romanæ Sedi, *ibid.*
genus illius extinctum, 237.
*Raſcii* Sigiſmundo Bathorio ſe ſubjiciunt, 167.
victores & victi in campo Merulæ, 221.
*Rupenſis* Sedes, 94.

## S.

*Sabeſſus oppidum,* 92.
*Salankemen,* 50.
*Saxones* quando venerint in Tranſſilvaniam 85.
de eorum origine opiniones, 84.
eorum præfecti Comites dicti, 83.
immunitas, fines, & Sedes eorum, 86.
quamobrem liberi, 87.
condunt inſignem Præpoſituram Cibinii. 88.
contentio ob eam, 89.
ejusdem ruina, 90.
*Saxonum* vinealis terra, 95.
civitates, 91.
*Saxopolis* oppidum, 93.
*Scanderbegi* victoria, 228.
*Schegeſchvarum* oppidum, & Sedes, 94.
*Schenkenſis* Sedes, 93.
*Schepſchienſis* Sedis loca, 109.
*Sclavoniæ* totius nomine Hungariæ RR. accipiebant Dalmatiam, Croatiam, & Sclavoniam, 195.
*Sclavoniæ* Regis titulo Ungariæ Reges non ſunt uſi, 196.
*Sclavoniæ* Dux Albertinus, *ibid.*
tres Comitatus illi regno tribuunt Iſtvanfius, &c. 197.
incolæ Sclavonicè Horvathi, Latinè Croatæ, 198.
*Sclavoniam,* & Croatiam quo anno S. Ladislaus ſub imperium ſuum ſubjunxerit, 202
*Senderovia* Ungarici, poſtea juris Raſcii, 37.
ejusdem qualitates, 38.
*Severinenſis* arx, 229.

*Siculi* Tranſſilvani, 97.
eorum diviſio, & conditio, 98.
recuperarunt libertatem, 188.
*Siculis* Tranſſilvanis promittitur reſtitutio libertatis quibus conditionibus, 178.
facta illis promiſſa ante expugnatũ Tergoviſtum, 182.
poſtea non impleta, 187.
*Sinanes* cum exercitu infeſtus in Valachiam infertur, 174.
congreſſus ejus cum Valachis, 175.
receptus fugæ ſimilis, *ibid.*
periculum ejus, 176.
expugnat Fraillam arcem, *ibid.*
munit Bucoreſtum, & Tergoviſtum; 177.
ejus ſtratagema, 185.
obitus, 187.
*Sirmienſis* Epiſcopatus, 61.
*Sirmienſis* Comitatus non fuit Ducatus, 65.
*Sociaviæ* obſidium continuat Stephanus Vajvoda, 162.
accipit auxilium à Tranſſilvano, *ibid.*
*Solymanus* Joannem Sigiſmundum Belgradi regem dicit, 164.
*S. Stephanus* natus Strigonii, 213.
*Stephanus* Tuartcus Rex Boſniæ, & Raſciæ Cliſſam, & Oſtrovitzam ſubigit, 223.
obiit ſuccedente filio Stephano Dabiſcia, 224.
cui ſublectus Stephanus, Oſtoyas, *ibid.*
*Strigonium* à Chriſtianis obſidetur & recipitur, 174.
*Styriæ* Capitaneus Stephanus, 195.
*Suinmur* Rex Dalmatiæ, & Croatiæ, 200.
moritur ſine ſtirpe, *ibid.*
*Sulphur* apud Torjam in Tranſſilvania, 179.

## T.

*Tallocius* Comes Kevinenſis, 35.
*Tavernicorum* magiſter, 74.

*Tartari* aliqui Chriſtiani facti, 146.
incurſio eorum in Moldaviam & poſtulata, 177.
*Tazlo* fluvius Moldaviæ, 104.
*Temeſchienſis* præfectura vice Banatûs Severienſis conſtituta, 40.
*Temeſvari* ſitus,
*Tergoviſtum*, & Bucoreſtum, 152.
*Tergoviſtum* oppugnatur, & expugnatur, 182.
*Thomas* R. Boſnæ Senderoviam amittit, 233.
purgat ſe ob id apud Pontificem Max. Epiſcopos, & diadema petit, *ibid.*
reclamat illius petitioni Mathias Corvinus, 234.
*Tibiſcus* Comitatum Torontalienſem à Batſchienſi diſtrahit, 51.
*Titia* quondam Tibiſcus, 50.
*Torontalienſis* Comitatus quædam loca, *ibid.*
*Tranſſilvanarum* nationum inſignia, 81.
*Tranſſilvani* advocant Moldavos, & Valachos, 156.
mittunt Legatos ad Rudolphum Imp. 171.
quatuor religiones illis permiſſæ, 172.
ad Bodonium in Bulgaria cum Hungaris proſternuntur, 173.
*Tranſſilvania* diviſio, 77.
ſitus, & fines, 80.
præfectus Vajvoda dictus, 81.
primus Princeps Stephanus Bathorius, *ibid.*
promiſſa ejus facta Maximiliano Imp. 82.
dominus Tranſſ. Joãnes Sigiſmundus affectans regium titulum, *ibid.*
nationes Tranſſilvanæ, 84.
Majlathus Vajvoda Tranſſ. Conſtantinopolim relegatur, 155.
Principum Tranſſ. ſeries, 126.
Erdel primitus dicta Tranſſilvania, 80.
à Bathorio Rudolpho Imp. tradita, 191.
*Triſedis* Siculicæ Geographia, 105.

*Tſche.*

*Tſchechus*, Lechus, & Ruſſus an ex Sclavonia duxerint colonias, 198.
*Tſcheſtochovium* inducitur ordo Ungaricus S. Pauli primi Eremitæ, 139.
*Tſchikienſis* Sedes in Tranſſilvania, 101.
ejus montes ab oriente, 101.
memorabilia, 104.
*Turcæ* Bulgariam occupant, Sigiſmundum Hung. R. vincunt, 224.
*Turum* oppidum in Comit. Solnok, 51.

V.

*Vacienſis* Epiſcopatus, 68.
*Valachi* Hungariæ Regum dedititii uſque ad cladem Mohatſchienſem, 147.
antea Elachi, Balachi, & Blaci, 149.
Olachi etiam dicti, 150
de etymo hujus vocabuli Valachus, *ibid.*
Romanorum ſunt progenies, 151.
poſt excisos à Tartaris Hungaros implent Tranſſilvaniam, *ibid.*
vectigales Ungaris, 152.
vexillum viride Turcis eripiunt, 176.
*Valachiæ* Vajvoda Alexander ſucceſſor Baſſarabi magiſtratu movetur ſuccedente Petro, 156.
Petrus obiit, Alexander in locum reſtitutus,
*Valachiæ* limites, 166.
nomina, & qualitates, 151.
Michaël Vajvoda occiditur, 154.
Petrus Vajvoda vicit Tranſſilvanos, *ibid.*
ejusdem geſta, *ibid.*
*Valachiæ* Vajvoda Stephanus, 165.
Michaël Vajvoda deſcivit à Turcis, & Sigiſmundo Bathorio ſe ſubjecit, *ibid.*
conjunctionis conditiones, *ibid.*
*Varadienſis* Epiſcopatus, 69.
*Vargiaſchus* fluvius, 112.

*Udvarbelienſis* Sedis loca, *ibid.*
memorabilia ejusdem, 117.
aditus in Tſchikienſem Sedem, 114.
*Verecenſem* Comitatum Broderitus tacitè aſcribit Sclavoniæ, 197.
*Ujlacum* diœceſis Quinqueeccleſienſis, 64.
*Világos* vár, 50.
*Ujlakius* Nicolaus Boſnæ Rex, 238.
*Vladislai* Regis Ungar. ruina ad Varnam, 229.
*Ungaria* unde dicta, 3.
à quo primò cum aſpiratione ſcripta, 4.
trans Savum fluvio Morava terminata, 27.
eadem dilatata, 29.
temporibus Sigiſmundi Regis oppugnata 36.
*Ungariæ* inſignia, 4.
diviſiones, 5.
Pannonicæ fines, *ibid.*
Comitatus enumerati, 7.
expoſiti breviter, 8.
inferiores partes ad Dravum, 21.
*Uroſcius* tyrannus Raſciæ vincitur, 221.
*Uſſora* abalienata rediit ad Ludovicum I. 45.
*Uzus* fluvius, 103.

Z.

*Zagrabienſis* Epiſcopatûs ortus, 58.
conſtitutio, 203.
fines, 59.
*Zamoiſcius* in Moldaviam irrumpit, 176.

K.K. RECHTSAKAD. BIBLIOTHEK IN KASCHAU

| *Menda.* | *Fol.* | ℣. | *Corrigenda.* |
|---|---|---|---|
| Szoréiny | 71. | *in margine* | Szőrényi. |
| Oſchdola | 17. | 4. | Ozdola |
| | 109. | 10. | |
| à regione | 107. | 14. | è regione. |
| Gemerienſi | 69. | 28. | Tornenſi |
| indegenæ | 135. | 12. | indigenæ |
| ↃIↃIↃLVLI. | 158. | 7. | CIↃIↃLVII. |
| Cibicienſis | 164. | 4. | Cibinienſis |
| perditum | 170. | 7. | peditum |
| ſratres | 170. | 21. | fratres |
| mavus | 180. | 23. | manus |
| illins | 208. | 28. | illinc |

IHS